HVNC · LIBRVM
INTER · ALIOS
GOLDWINO · SMITH
QVI · ODE · LATINA
PRAEMIVM
SEXTAE · CLASSI
ET · QVINTAE · CLASSIS
PRIMO · ORDINI
PROPOSITVM
REPORTAVIT
D · D
SCHOL · REGAL · ETONENS
MAGISTRI
ET
AVXILIARES
E · C · HAWTREY · R · OKES
E · COLERIDGE · G · G · COOKESLEY
E · H · PICKERING · H · DVPVIS
C · O · GOODFORD · C · J · ABRAHAM
G · A · CARTER · F · E · DVRNFORD
E · BALSTON · C · LVXMOORE
G · L · ELIOT · I · E · YONGE
A · D · $\overline{\text{M}}$ · $\overline{\overline{\text{DCCC}}}$ · $\overline{\text{XL}}$ · $\overline{\text{I}}$

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/oratorumgraecoru08reis

L.Gr.C.
R

ORATORVM GRAECORVM

VOLVMEN OCTAVVM

tenens reliquias

LESBONACTIS, HERODIS ATTICI, ANTISTHENIS, ALCIDAMANTIS et GORGIAE.

Accedunt ad volumina IV. et VII. acceſſiones.
IO. TAYLORI prolegomena ad Demoſthenem.
HIER. WOLFII vita ab ipſomet conſcripta.
GREGORII, Corinthi Metropolitae, Comment. ad HERMOGENIS π. μεθ. δειν. e MS. editus.

Curauit

IO. IACOBVS REISKE.

LIPSIAE,
TYPIS W. G. SOMMERI.
MDCCLXXIII.

1130 44
30/5-/11

VIRO

PERILLVSTRI REVERENDISSIMO

ATQVE DOCTISSIMO,

DOMINO

NICEPHORO THEOTOKIO,

SACERDOTI ET DOCTORI ECCLESIAE GRAECAE, ELECTO ARCHIEPISCOPO DALMATIAE ATQVE PHILADELPHIAE,

S. P. D.

I. I. REISKE.

Discedenti a nobis tibi, Archiepiscope Reverendissime, quod viae quasi comitem hoc addo meae erga Te voluntatis documentum, pace id tua fieri, vt volo, ita nullus dubito. Octauum hoc volumen oratorum graecorum nominis tui

ſplendore, quaſi praefixa quadam face, vult illuminari. Proficiſceris ad capeſſendum munus in eccleſia graeca imprimis amplum, ſed idem arduum quoque, moleſtiarumque atque diſcriminum acerrimis quaſi ſpinis quibusdam horridum. Quod honoris faſtigium, meritis tuis partum, tibi, Vir Reuerendiſſime, bona fide congratulans, teſtor me deum rogare, vt ei prouinciae te iubeat quam diutiſſime, eximia cum gloria, fructuque ampliſſimo, cum pace domi forisque, cum ſtudiis bonorum, cum proſperitate rerum coeptorumque omnium, praeeſſe, laudumque tuarum fructus percipere quam vberrimos. Quarum laudum recenſionem vnde exordiar? Non dicam, qua vitae ſanctimonia, qua morum elegantia, qua comitate, atque officioſitate, bonorum omnium, donec inter nos fuiſti, et oculos in te conuerteris, et voluntates tibi obſtrinxeris. Literas, quibus abundas, et quae publicum praeconium ante omnia flagitant, quibus ego dignis modis ornabo? Parum eſt, quamquam in ſe admirabile atque praeclarum eſt, in iſto aetatis tuae flore, ſacris te atque graecis excellere literis, quae loci tui munia, tuae-

tuaeque ſtirpis nobilitatem decent. Sed latinis quoque polles, et francicis adeo, illisque omnibus, quas illiterati imperite profanas, liberaliores conuenientius ciuiles, ſeu ſeculares, appellant. Primo loco a me commemorari par erat exquiſitam tuam hiſtoriae eccleſiaſticae peritiam, cuius documentum in praefationibus ad tuam Σειρὰν *dediſti admirabile, quo documento planum feciſti, ne de Patribus Eccleſiae dicam, ſcripta Cauei, Fabricii, ſimiliumque tam bene te callere, atque domum tuam. Philoſophiae, non vetuſtae modo, ſed recentiſſimae quoque, te peritum teſtantur abs te edita vetuſto graeco ſermone conſcripta, Elementa Phyſices Neutonianae. Iſaaci Syri Aſcetica ne commemorem, abs te primo in lucem edita, neue R. Samuelis Arabis contra Iudaeos diſputationem, in nouam graecam dialectum abs te translatam; Homiliae abs te in coetu gregis tui moderna dialecto pronunciatae, et typis pariter inuulgatae, quin eloquentiae ſacrae luminibus radient, dubitare nos non ſinit oris tui ſuauitas et cordis integritas, et pietatis erga deum ardor. Faxit ergo deus, Archiepiſcope Reuerendiſſime, vt hae lau-*

des tuae, et tibi priuatim, et publice eccleſiae, quam impoſterum gubernabis, ornamento ſint praeſidioque, fructusque ſui referant quam copioſiſſimos. Amorem ſtudiumque, quo me praeſens proſecutus es, cuius ego tibi gratias habeo debeoque quam maximas, vt abſens quoque ſerves, maiorem in modum abs te peto atque contendo. Scripſi d. 27. Sept. 1773.

AEQVO

AEQVO LECTORI

S. P. D.

I. I. REISKE.

Licet itaque mihi tandem, cuius rei gratias indulgentias diuinae quas poſſum maximas animoque habeo, verbisque refero conceptiſſimis, hanc finire collectionem reliquiarum earum, quae de oratorum atticorum monumentis ingenii ſuperſunt, pro virili mea, quoad per otii anguſtias, per trepidationem meam, ingeniique mediocritatem, in iſto moleſtiarum et ſollicitudinum et aegritudinum vortice licuit, expolitam. Atticis his, a potiori parte appellatis, (inſunt enim huic numero, quos atticos conſtat non eſſe,) addi decuerat vtique Iſocratem cum Thucydideis orationibus; et profecto, ſi res pariter tuliſſet, atque animus ferebat, hos ipſos quoque reliquis aggregaſſem. Verum a principio ſtatim profeſſus ſum me ab operis mei ambitu Iſocratem excluſum velle; de Thucydide tum in mentem non veniebat. Interim, dum reliqui vulgo ſic dicti minores oratores graeci, ab Aldo et Stephano ſingularibus voluminibus concluſi, excuduntur, vix et aegre ſuſtinui flagitationes poſtulantium annotationes ad Demoſthenem, qui reliquorum oratorum ſolus adhuc iis caret. Quorum flagitatorum ea fuit quibusdam impudentia,

vt tantum non vanitatis atque impoſturae meam cunctationem accuſarent. Quam calumniam vt a me quamprimum depellam, nihil habebo prius, quam vt apparatum criticum ad Demoſthenem prodam; et dabitur opera, vt prima eius pars vere proximo prodeat; quae pars Wolfii et Taylori ad Dem. annotationes complectetur, criticaque Dionyſii Halicarn. opuſcula ad Demoſth. et Thucydidem pertinentia, ſi locus capiet. Meas ad Dem. annotationes, quas alienis immiſcere viſum non fuit, volumen apparatus critici ſecundum exhibebit, tertium indices. Quamquam de numero voluminum nunc quidem certum praefinire non licet. Forte defungar tribus voluminibus; ſed fieri quoque poſſit, vt quartum accedat. Sed mittamus nunc haec, de quibus ipſa res, vbi euenerit, certiſſima docebit.

Octauum hoc volumen miſcellaneum eſt. Lancem ſaturam recte appelles; in quam congeſſi complura diuerſi generis, alia primo volumini, alia quarto, alia ſeptimo debita. Exordiens enim hoc opus materiae partem longe maximam in animo tantum informatam habebam, minimam in chartis exaratam. Quo factum eſt, vt hiulca et distracta nonnulla ſint, quae facile tamen, veluti ſparſi ſimulacri artus, colligantur atque componantur a futuro, ſi quis erit, editore.

Ipſis de oratoribus, vel ſophiſtis potius, hoc volumine exhibitis, quid praedicem non habeo ſecundum illa a me iam ſuis locis de quoque praedicata, niſi hoc vnum, vt Georgiae Leontini Manibus, ſi ſenſu grati animi afficiuntur, grates referam eius oblectationis, quam mirificam ex eius defenſione Palamedis percepi. Meretur hoc opuſculum, mea quidem ſententia, non tam vetuſtate, quamquam eſt vetuſtiſſimum, quam crebritate et vi telorum, quae ſpargit, vt in archetypis eloquentiae graecae forenſis habeatur. Mihi quidem

dem non ſuccurrit aliud, quod, in pari breuitate, tam plane, tam neruoſe, tam morate rem propoſitam doceat, et ſpicula argumentorum tanto lacertorum robore, tanta neruorum contentione, tam crebra, tam acria, tam inuicta et ineuitabilia intorqueat. Tironibus meis, quibus opuſculum hoc ſuperiori menſe Auguſto interpretabar, et vernacule reddendum proponebam, commendare cum vellem, memini me id dialectices atque rhetorices graecae catechiſmum appellare. Factum eſt tum temporis, quum id publicis in ſcholis enuclearem, vt nonnulla obſeruarem noua, alia meis annotationibus addenda, alia illinc tollenda. Quae nunc promere tanti non eſt.

Hauptmannianas de Andocide proluſiones cur ediderim, erunt procul dubio qui mirentur, atque querantur. Quos ignorare nolim, eo me illas edidiſſe, quo ne eſſent, qui, ſi eas ſuppreſſiſſem, dubitarent mecumque expoſtularent, cur feciſſem; quibus ſi iudicium meum ſine re ipſa aperuiſſem, excuſaturi me fidemque verbis meis habituri non videntur fuiſſe. Victus ego, non gratia viri, quem alias non parui facio, ſed neceſſitate, opuſculum hoc, paucis viſum, quod ſine mea opera breui poſt e rebus humanis fuiſſet elapſurum, reprehendi quaſi atque reuocaui, non quo probarem id, cuius pauciſſima mihi probari haud diſſimulabo; ſed exiſtimans, vt Demoſthenis et Lyſiae notitias a Tayloro, Antiphontis, et vniuerſorum oratorum graecorum a Ruhnkenio traditas, recudendas curaſſem, ita haud committendum mihi eſſe, vt, quae de Andocide collegiſſet vir multae lectionis, atque typis prodidiſſet, ea, cum noſſem, neſcium ſimulans, abſconderem, qualiacunque eſſent. Meliora vtique ſi habuiſſem, loco iſtaec ſuo reliquiſſem. Ego vero, locum vacuum eſſe relinquendum non arbitrans, qui poſſet vtcunque expleri, reddidi, quae in promtu habebam. Meos me lapſus

lapsus praestare par est; (quamquam id est satis arduum et molestum) alienos, haud conuenit.

Taylori ad Andocidem et Dinarchum annotatiunculae ex eodem codice prodeunt, (quo fructu, dicent alii rectius) e quo Taylorana ad Isaeum paulo ante prodierunt.

Hieronymi Wolfii de vita, fortunis, ingenio, moribus atque successibus in re literaria amplificanda commentarium, ab ipso conscriptum, ea conditione, vt ederem, a b. Bruckero acceperam, qui Bruckerus, eum edere, id quod contendebat, a multis negotiisque aduersisque temporibus impeditus, tamen ex eo excerptos sat grandes locos in Meletematibus tradiderat. Opusculum hoc ego legens, a viro conscriptum, quem ob egregia ipsius et nunquam interitura de graecis literis merita summi facio, quibus versatus compunctusque sim animi mei commotionibus, quid attinet me dicere? Ingenii si quos, morumue, fatorumue similitudo bono cum Wolfio committet, cum sortis suae cum Wolfiana mirabuntur similitudinem, tum deplorabunt atque miseratione prosequentur suamque infelicitatem seculique peruersitatem. Alii simplicitatem hominis pectus suum denudantis, atque inuolucris omnibus sese destringentis, rem hodie raram, et nescio an minus etiam probabilem minusque imitabilem, exosculabuntur. Alii ridebunt, et cum fastidio explodent, veluti cerritum, hominem stultitiam suam ipsummet suo praeconio promulgantem; homines nimirum, infirmitatis atque inconstantiae miseriaeque humanae immemores, sapientiae suae seu famae, seu opinione domestica inflati, rerumque secundis successibus turgidi; qui, cum sapientissimi sibi videantur, dementiae de se edunt, et pone se relinquunt, tot numero, et plura adeo, documenta, quot fatuus ille nimirum Wolfius, et lymphatus, ipsisque nunc, et olim aequa-

aequalibus viſus, ſapientiae reliquit. Exemplum huius commentarii ſupereſſe negatur aliud, praeter illud, e quo nunc edo, a ſcriba exaratum indocto, ſupino, feſtinante, eo denique, qui videatur in laude neſcio cuius eximiae dexteritatis poſuiſſe, vt per notas, ſeu ſiglas, vocabula exarandi compendifaceret moleſtiam. Quae ſiue ſegnities, ſiue praua affectatio, ſcripturam reddidit admodum lectu impeditam et ambiguam. Meae quidem culpae imputari nolim mendas, quae numero non paucae hanc in editionem noſtram irrepſerunt, vna cum lacunis item crebris; quae vitia interdum vocabulo *ſic* uncis incluſo indicaui.

Coronidem ſic imponens huic Syntagmati, emptoribus eius, quotquot fuerunt, quamquam fuerunt vltra fidem pauci, gratias ago habeoque debitas voluntatis eius, qua inſtitutum hoc ſecundatum ierunt. Qui Kennicotum, aut Baſedouium, inaurarunt, me contemſerunt, omnium ordinum homines, de iis nil queror. Numorum ſuorum arbitrum quemque eſſe conuenit, quos ſi tu in cloacam abiicere, quam ad rem honeſtam conferre, malis, miſeret me quidem tuae infelicitatis atque vecordiae, fero tamen, neque hiſco. Quid enim id ad me? Iudicium quemque ſuum praeſtare par eſt. Aliis glorioſum ſi eſt, a viris primi ordinis cum fuiſſent aureo imbre rigati, armisque ad rem praeclariſſime gerendam inſtructi, tantam liberalitatis publicae abundantiam exſpectationisque magnitudinem exitus turpiſſimi vanitate eludere; pudendum mihi, ni fallor, non erit, adſpirante ſola diuini numinis aura, opus a me peractum eſſe, patriae profecto non ignominioſum futurum. Quod opus quomodo ſim exſecutus, iudicia ſeculorum, huiusque atque poſterorum, me non decet anticipare; res ipſa dicet, longaque dies, iudices incorrupti. Huius equidem rei auctor ſim idoneus, ad hoc opus facilitandum a mortalium

talium omnium nemine vel teruncium gratuitum esse collatum. Quodsi molestias illas omnes, curasque et taedia, reique familiaris detrimenta praeuidissem, ab hoc opere mihi contracta, otio somnoque tempus perdere maluissem, quam vigilias et expensas incassum a me factas seculo ingerere, quod tametsi nil pudet illiberalitatis et iniquitatis notas sibi conscisce re, pudori tamen meoque illiusque malo consulere, quam mores huius seculi dignis laudibus exornare. Facile fidem non inueniat, quamquam est certo certius, non in librariorum modo ordine, sed in ipso quoque doctorum virorum numero esse, qui exempla operis a me postulata cum tulissent, mercedem aut lenti dependant, aut dependere prorsus obliuiscantur. Professor est in vniuersitate celeberrima (nomen celabo, sed longinqua dies olim denudabit) cuius indignissima illiberalitas simplicitatem atque credulitatem meam circumuenit, ipsi fidem penes me omnem probitatisque opinionem eripuit. Numinis vltioni commissae sunto hae aliaeque plures iniuriae, optimae meae voluntati, et nescio an ita singulari, vt pro stultitia rideatur, oblatae. Qui deus adhucdum prouidit, vt excudendo huic operi ne deessent necessarii sumtus, is non ita fallet spes meas, vt calcem mordens opus hoc destituat. Non me primum seculi laesit iniquitas. Erunt secundum me alii numero infiniti, quibus pro bona gratia pessima referatur. Age cedamus volentes necessitati, aequi legi pareamus immutabili, acquiescamus in conscientia tacita recte factorum, et in spe certa, (quamquam plurima sunt, quae incertam eam reddere atque nobis eripere contendant,) praemii olim aliquando a deo impetrandi, cuius praemii excellentia ieiunas has omnes atque caducas amplitudines obruat atque extinguat. Scripsi Lipsiae d. 28. Sept. 1773.

ΛΕΣΒΩ-

ΛΕΣΒΩΝΑΚΤΟΣ ΛΟΓΟΙ.

ΠΟΛΙΤΙΚΟΣ ΛΟΓΟΣ

ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΠΟΛΕΜΟΥ ΤΩΝ ΚΟΡΙΝΘΙΩΝ.

Εἰ μὲν ἑώρων τοὺς ὑμῖν συμβουλεύοντας, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τὰ βέλτιστα βουλευομένους τῇ πόλει, καὶ περὶ ὧν παρελήλυθεσαν ἐρῶντες, ὀρθῶς παρ' αὐτοῖς ἐγνωκότας συμβ-
169.36. λεύειν [2], ὑπὸ σιωπῆς ἂν τὴν ἐμὴν παρεῖχον γνώμην· νῦν δὲ ὁρῶν τός τε τῇ Θηβαίων πόλει προστιθεμένους παρὰ τὴν αὐτῶν γνώμην τὰ βέλτιστα [3] γράφοντας, ὑμᾶς τε περὶ τῶν τῇ πόλει συμφερόν-
39. των ἐκ ἐπιχειρῶντας λέγειν, παρελήλυθα διδάξων περί

1. In inscriptione. τῶν κορινθίων] imo vero τῶν θηβαίων.

2. συμβουλεύειν] videtur ita distinguendum et leg. esse ἐγνωκότας, συμβουλεύειν παρεὶς, ὑπὸ σιωπῆς ἂν τὴν ἐμὴν κατεῖχον γνώμην.

3. τὰ βέλτιστα] num ἃ τὰ β.

περί τε τῦ παρόντος [4] ὑμῖν πολέμυ, καὶ τῶν ἐν ὑμῖν ἀεὶ λέγειν εἰωθότων, ὡς χρὴ [5] τότων ἕκαστα πράττειν. εἰ μὲν γὰρ δὴ καὶ πρότερον πρὸς τὴν ὑμετέραν πόλιν * ὑπῆρχον [6] Θηβαῖοι μὴ δυσμενῶς διακείμενοι, (καίτοι πρὸς τὲς προγόνες ἡμῶν πολλὰ καὶ δεινὰ καὶ μεγάλα πεπραγμένοι [7], καὶ διὰ παντὸς τῦ χρόνυ πολέμιοι καθεζῶτες ὑμῖν,) παριδὼν ἂν τὰ νῦν αὐτοῖς ἡμαρτημένα, περὶ ἑτέρων ἂν τὲς λόγες ἐποιέμην. τίς δὲ ἐκ οἶδεν, ὅτι πρότερον μὲν ἡμῖν * μετὰ [9] τῶν Λακεδαιμονίων καὶ τῶν ἄλλων 170.1. 42.

4. περί τε τῦ π. ὑ. π.] Sed neutrum fit in hac oratiuncula, quae eſt frigida et puerilis aduerſus Thebanos declamatio, confuta e locis ſaepe multumque contritis et recoctis. Paret initium ſolummodo nos habere huius exercitatiunculae ſcholaſticae, maximam vero eius partem intercidiſſe, nullo prorſus cum damno rei literariae.

5. ὡς χρὴ —] id eſt ὡς χρὴ περὶ τότων ἑκάστυ ὑμᾶς διδάσκειν. Non enim propoſuerat ſibi de ratione modoque belli gerendi diſputare, ſed ſolummodo cauſas proponere, cur bellandum aduerſus Thebanos eſſet.

6. ὑπῆρχον] ſic dedi de meo, pro vulgari ὑπήκουεν.

7. πεπραγμένοι] poſſit videri εἰσὶ ſubaudiendum eſſe. mihi vero potius videtur φαίνονται deeſſe.

8. τὶς δὲ τὶς ἐκ οἶδεν] deleui ſecundum τὶς arbitratu meo.

9. μετὰ dedi de meo, pro vulgari κατὰ. v. verſu 9. quam vero incurſionem Thebanorum in agrum atticum deſignet, me fugit. oportet illam quidem Xer-

ἄλλων Πελοποννησίων ἐπιβελεύσαντες, ἀναστάτους ἡμᾶς ἐπεχείρησαν ποιεῖν; εἰ μὴ διὰ τύχην αὐτοῖς ἡ ῥώμη καὶ τὰ βελεύματα διεφθάρη· δεύτερον δὲ, μετὰ τῶν βαρβάρων γενόμενοι, καὶ σύμμαχοι ἐκείνῳ καταστάντες, ὃς ἦλθεν ἀνυποστάτῳ δυνάμει καὶ τὰ σώματα καὶ τὴν χώραν ἡμῶν διαφθερῶν, ἐναντίοι παραταξάμενοι, τοῖς ἡμετέροις φρονήμασιν, ὑπ' ὀλίγων πολλοὶ, μάχῃ κρατηθέντες, ἔφυγον. μετὰ δὲ ταῦτα πάλιν μετὰ τῶν ἡμετέρων ἐχθρῶν γενόμενοι, τὴν χώραν ἡμῶν ἔτεμον τὴν πολλάκις τούτους σώσασαν· καὶ τὴν πόλιν ἕτοιμοι κατασκάπτειν ἦσαν, ἣν πολλάκις αὐτοὶ θεραπεύσαντες, σωτηρίας ἔτυχον. διὰ παντὸς δὲ χρόνου, τοτὲ μὲν μετὰ Λακεδαιμονίων ἡμῖν ἐπιβελεύσαντες, ἄλλοτε δὲ τοὺς ἡμετέρους συμμάχους ἀφισάντες· αἰεὶ δὲ αὐτοὶ καθ' ἑαυτοὺς πολεμικῶς καὶ δυσμενῶς ἔχοντες πρὸς ἡμᾶς διατελοῦσι. νῦν δὲ τοτελευταῖον Πλαταιεῖς [10] ἀνα-

3. 6. 9.

xis inuasione vetustiorem fuisse. Nam de illa nota Thebanorum immanitate, qua Graecis auctores fiebant, vt Athenae solo aequarentur, paulo post, ordini temporum conuenienter, commemorabit; neque existimandus est Lesbonax idem factum bis perstrinxisse, et consecutiones temporum ita conturbasse, vt a nouissimis rebus gestis ad vetustissimas prosiliret, et rursus ab his ad easdem nouissimas resiliret.

10. Plataearum euersio antiquior fuit euersione Athenarum, cuius auctores Thebani Peloponnesiacis fiebant. Qui ergo potest illam Plataearum cladem appellare casum recentissimum? Profecto coaeuus non fuit Lesbonax bello Peloponnesiaco, sed multo poste-

στάτας πεποιήκασιν, ἡμετέρας μὲν ὄντας συμμά- 12.
χους, εὐμενῶς δὲ ἀεὶ πρὸς τήνδε τὴν πόλιν διακει-
μένους, μόνους δὲ μεθ' ἡμῶν ὑπὲρ τῆς τῶν Ἑλλήνων
ἐλευθερίας πρὸς τὸν βάρβαρον διαγωνισαμένους, καὶ
τρόπαιον στήσαντας. ὑπὲρ ὧν εἰκὸς ὑμᾶς ὀργισθέν- 15.
τας, παυδημεὶ μετὰ τῶν ὅπλων ἐξιέναι, καὶ τὴν
αὐτὴν Θηβαίοις ἐπιτιθέναι τιμωρίαν, ἥνπερ οὗτοι
τοῖς ὑμετέροις συμμάχοις ἐτόλμησαν. ἀξιῶ μὲν δὴ
καὶ τὲς ἀποτρέποντας ὑμᾶς τὴν αὐτὴν ἐμοὶ γνώ-
μην ἔχειν, καὶ μὴ πείθειν, ὡς ἐπολεμητέον ἐστὶ Θη- 18.
βαίοις. εἰ δὲ μή, διδασκόντων, ὡς ἀδὲν εἰς ὑμᾶς ἐξη-
μαρτήκασιν.

ΛΕΣΒΩΝΑΚΤΟΣ

ΠΡΟΤΡΕΠΤΙΚΟΣ ΛΟΓΟΣ.

Οἱ μὲν πολέμιοι ἐγγύς, ὦ ἄνδρες στρατιῶται, ὧν 24.
εἵνεκα ἡ σύμπασα παρασκευὴ παρεσκεύασται·
τὰ δ' ἀπὸ τῶν θεῶν, ἀφ' ὧν χρὴ ἄρχεσθαι, κα-
λῶς

riore natus aetate, more ſcholaſticorum, vt fecit Ariſtides, argumenta ſtilo tractauit e vetuſta hiſtoria graeca repetita.

AD OR. LESBON. SECVNDAM.

Argumentum huic orationi hoc praeſcripſit Canterus. [Cum Lacedaemonii occupata Decelea, bellum Athenienſibus inferrent, adhortatur hos quidam

λῶς ἔχει κατ' ἀμφοτέρας [1] τὰς λόγας. τά τε γὰρ
27. ἱερὰ καλὰ ἡμῖν γέγονε, καὶ τὸ δίκαιον μεθ' ἡμῶν
ἐστιν. ἐν ὑμῖν δ' ἂν τὰ ἐπίλοιπα ἐσὶν, ἐὰν ἄνδρες ἀγα-
θοὶ γένησθε. ἐμὲ μὲν δ' εἰκὸς παραινέσαι ἃ γινώσ-
κω, ὑμᾶς δὲ προσέχειν τοῖς λεγομένοις· δοκεῖν τε,
30. ὥσπερ τὰς λόγας ἀκήκετε, ἕτως αὐτὰ τὰ ἔργα ὁρᾶν
παρόντα, ἃ ἐν τοῖς λόγοις δεδήλωται [2]. ἕτω γὰρ
ἂν ἄριστα γνοίητε τὰ συμφέροντα. δεῖ δὲ ὑμᾶς σκέ-
ψασθαι ὅσα ἀγαθὰ ἔνεστιν ἐν τῷ νικᾶν μαχομένας
τὰς πολεμίας. πρῶτον μὲν, τὴν πόλιν καὶ τὴν χώ-
33. ραν σώζετε, ἐν ᾗ ἐτράφητε, ἣν ὑμῖν οἱ πρόγονοι τει-
χίσαντες, καὶ ἄλλα πολλὰ ταλαιπωρηθέντες,
κατέλιπον, ἐκ ἀπολέσαι, ἀλλὰ σῶσαι· ἣν ἐλευθέ-
ραν μὲν καταλαβεῖν [3], αἰσχρὸν ὑφ' ὑμῶν μὴ ἐλευ-

θερω-

ad rem fortiter gerendam. Hiſtoriam tradit Thucydides libro. 7.]

1. κατ' ἀμφοτέρας τὰς λόγας] quaenam hae ſint ambae rationes, ipſe in continenti ſubiicit, ſcil. religiones deorum, et ius populorum.

2. δεδήλωται] malim in paulo poſt futuro δεδηλώσεται.

3. καταλαβοῦσιν] imo vero παραλαβοῦσιν. tum deeſt ſententia iſtaec ferme αἰσχρὸν ὑμῖν ἐᾶν καταδελωθῆναι. quam ſi nacti fuiſſetis a maioribus traditam liberam, turpe vobis foret committere, vt in ſeruitutem decideret. [aut etiam, αἰσχρὸν ὑμῖν τοῖς ἐκγόνοις δελεύσασαν παραδιδόναι.] δελεύσασαν δὲ παραλαβεῖν, αἰσχρὸν ὑφ' ὑμῶν μὴ ἐλευθερωθῆναι. ſeruam autem ſi nacti eſſetis, turpe vobis foret, operam nullam vos dare, vt manibus armisque veſtris in libertatem vindicaretur.

θερωθῆναι. καὶ μὴ, τὸν κίνδυνον καταδείσαντες,
καὶ νομίσαντες μείζω εἶναι, ἢ ὅσος ἐστὶ, τὴν μὲν ὑπ- 36.
άρχουσαν ἀρετὴν ἀπολέσητε, τὴν δ' οὐχ ὑπάρ-
χουσαν κακότητα κτήσησθε. ἔτι δὲ καὶ ἱερὰ ὑμῖν οἱ
πατέρες ἱδρυσάμενοι κατέλιπον, κοσμήσαντες ναοῖς [4]
καὶ βωμοῖς καὶ ἀγάλμασι, καὶ ἄλλοις πολλοῖς καὶ
καλοῖς ἀναθήμασιν. ἃ μὴ περιίδητε συληθέντα, καὶ 39.
πεσόντα ἀτίμως, ἀλλ' ἀμύνατε, ὅσον ἕκαστος δυνατός
ἐστι, τῷ θεῷ, ἄλλως τε καὶ μετὰ τοῦ ὑμῖν συμφέ-
ροντος, καὶ δεδηλωκότων τῶν θεῶν ἐν τοῖς ἱεροῖς [5]
τὴν εἰς ὑμᾶς εὔνοιαν· ἀναμνησθέντες πομπῶν καὶ 42.
πανηγύρεων καὶ ἀγώνων, ἐν οἷς τῶν μὲν παρόντων
συμφορῶν ἐπελανθανόμεθα [6], μετὰ δὲ τὴν ἡδονὴν
ἄλλας προσεκτώμεθα [7], συνόντες ἀλλήλοις κατά
τε φι-

4. ναοὶ scilicet partes erant τῶν ἱερῶν, cellae puta illae fanorum, vel niduli, in quibus deorum simulacra stabant expositа. *les Niches.*

5. ἱεροῖς] hic loci significat hoc voc. ἱερὰ non idem, quod paulo ante, fana, sed *exta.*

6. ἐπελανθανόμεθα] malim in praesenti ἐπιλανθ. et sic quoque in continenti προσκτώμεθα.

7. μετὰ δὲ τὴν ἡδονὴν ἄλλας πρ.] num μετὰ δὲ τὴν ἀπὸ τούτων ἡδονὴν ἄλλας π. scil. ἡδονὰς. secundum voluptatem ab his rebus exsistentem [a processionibus puta, congressibus solennibus, ludis gymnicis, spectaculis scenicis,] aliis insuper potimur oblectationibus nouis. inter nos priuatim coeuntes, vt quique amici inter nos sumus, aut familiares, aut coniuges secum, vel parentes cum liberis, aut cognati, affinesue, aut aequales annis atque studiis.

τε φιλότητας καὶ κατὰ συγγενείας καὶ κατὰ ἡλι-
171.1. κίας, ἐξευποριζοντες αὐτοί τε ὅπως ἡμᾶς αὐτοὺς
ὡς ἐλάχιστα λυπήσομεν, τές τε παρόντας ὡς πλεῖ-
στα εὐφρανεῖμεν. ὁ δὲ παρεσηκὼς ἀγὼν τέλος ἔχει [8]
3. ταῦτά [9] τε διασῶσαι, καὶ ἕτερα πολλῷ πλέονα καὶ
καλλίω καὶ μείζω προσκτήσασθαι, ἢ τῶν τε ὑπαρ-
χόντων σεσηθῆναι, καὶ αὐτὲς πολλὰ καὶ οἰκτρὰ
παθεῖν καὶ ἰδεῖν. ἐπανενεγκεῖν δὲ τὴν γνώμην ὑμῶν
ἑκάστε βέλομαι. ὃ καὶ δεῖ [10] σκέψασθαι. ἃ περὶ
6. πλείστε ποιέμενοι κατελίπομεν, τοὺς γεννήσαντας
πατέρας καὶ μητέρας. ὁ δὲ υἱούς τε ἐφύτευσε καὶ [11]

A 4 ἐξέφυ-

8. ἀγὼν τέλος ἔχει] huic autem, quod nunc obimus, certamini praesenti finis hic est propositus, vt — Recepi certissimam Stephani atque Canteri emendationem pro illa vulgari vitiosa ἐγὼ τέλος ἔχειν.

9. ταῦτα] malim ἢ ταῦτα. opponuntur inter se duo ἢ. *aut* — *aut*. v. statim post p. 171. 3.

10. βέλομαι. ὃ καὶ δεῖ σκέψασθαι ἃ —] H. Stephanus post primum vocabulum addi vult πρὸς. ad sententiam non male. mihi videtur sic leg. et distinguendum esse. βέλομαι, οἵ [*quo*] καὶ δεῖ. *quo etiam oportet* [scil. me vestrum cuiusque mentem reuocare.] Σκέψασθε [in imperatiuo, subaudi ταῦτα,] ἃ *considerate ea, quae* —

11. ἐφύτευσε καὶ ἐξέφυσεν] scil. pater φυτεύει plantat. mater autem ἐκφύει e corpore suo profert, extrudit, enititur veluti germen propullulans, vel progerminans. hactenus defendi posse videatur haec dictio, insolentior vtique, et poetae, quam oratori conuenientior. Sin autem statuatur vitium loco inesse, malim pro ἐξέφυσεν legi ἐξέθρεψεν. Verum praeter-

ἐξέφυσεν. ὁ δὲ, ὁμογενεῖς [12] ἀδελφός τε καὶ ἀδελφὰς, ὧν οἱ μὲν [13] γήρᾳ πολὺ ὑπερβάλλοντες, οἱ δὲ, νεότητι πολὺ ἐλλείποντες, τοῖς μὲν σώμασιν οὐχ οἷοί τε εἰσὶν ἀμύνειν, τῶν δὲ κινδύνων πλεῖσον μέρος μετ 9.
ἔχουσιν. ἐν οἷς ἡμῶν μὲν προθυμηθέντων, καὶ εὖ ἀγωνισαμένων, εὐδαίμονες μὲν οἱ πατέρες, τίμιοι δὲ οἱ παῖδες, ζηλωταὶ δὲ αἱ γυναῖκες καὶ αἱ θυγατέρες, καὶ αἱ ἀδελφαὶ, καὶ ἑνὸς ἑκάστου καὶ συμπάντων· ἐλλιπόντων δὲ ἡμῶν τὴν προθυμίαν, καὶ 12.
μὴ θελησάντων διαμάχεσθαι εἰς τὸ ἔσχατον, ἄθλιοι μὲν οἱ πατέρες, στερηθέντες μὲν τῆς ἡμετέρας προσόψεως, στερηθέντες δὲ πόλεως καὶ χώρας καὶ ἱερῶν· ἀντὶ δὲ καλλίστης ἐλευθερίας, εἰς αἰσχίστην δουλείαν * καθεσταμένοι [14], ἐν ἡλικίᾳ τοιαύτῃ, ἐν ᾗ 15.
τὸ μὲν φρονεῖν ἃ πάσχει [15] γεγήρακεν, ὃς [16] δὲ γι-

νώσκει

ea labat conſtructio in vulgata, quae mollius et planius procedet, ſi locum ad hunc modum concipias. κατελίπομεν, ὁ μὲν [facile potuit ὁ μὲν cum fine vocabuli κατελίπομεν concurrens, elidi] τὸς γεννήσαντας, [ſcil. κατέλιπε] πατέρας τε καὶ μητέρας [patrem matremque, item auum et auiam] ὁ δὲ υἱοὺς, [ſcil. κατέλιπεν] ὅς γε ἐφύτευσε καὶ ἐξέθρεψεν. ὁ δὲ [ſcil. κατέλιπεν] ἀδελφὸς —

12. ὁμογενεῖς] id eſt ὁμοπατρίες καὶ ὁμομητρίες.

13. ὧν οἱ μὲν — οἱ δὲ —] parentes — et liberi.

14. καθεσταμένοι dedi de meo, pro vulgari καθεσταμένοις (in datiuo)

15. τὸ μὲν φρονεῖν ἃ πάσχει] H. Stephanus corrigi vult τῷ et πάσχει, in indicatiuo: de poſteriore concedo, de priore adhuc ampliandum iudicans, in-

νώσκει ἃ πάσχει ἀδύνατος καθέστηκεν ἀμύναι ὥστε χαλεπώτερον φέρειν. εἰ γὰρ παρῆν γινώσκειν μὲν μὴ [17], δύνασθαι δὲ τῷ σώματι, ῥᾴων ἂν ἦν ἡ 18. συμφορά, οἰκτραὶ δ' αἱ γυναῖκες καθίστανται, δυστυχεῖς δὲ καὶ παῖδες καὶ ἀδελφοὶ [18], τῶν τε αὐτῶν τέτων [19] ζερισκόμενοι, καὶ τῶν ἐλπίδων, ἐφ' αἷς ἐτράφησαν. καὶ οἷς ἐν τῷ νῦν χρόνῳ ζῆλος καὶ τιμὴ κάλλος [20] καὶ εὐειδία, εἰς δειλείαν πίπτεσιν ἀνάγ-

A 5 κη καὶ

terim vulgatam ſeruabo, qua nil offendor. qua in aetate ſenſus malorum, quae patitur [ſentiens puta] conſenuit, h. e. elanguit, emarcuit. τὸ φρονεῖν ἃ πάσχει, ſcil. τις, vel ἡ ἡλικία e praemiſſis, idem eſt atque ἡ αἴσθησις τῶν κακῶν.

16. ὅς] ſic dedi de meo, pro vulgari οἷς. poterat quoque ὅσις corrigi.

17. γινώσκειν μὲν μὴ, δύνασθαι δὲ τῷ σώματι] ſic interſtinxi. vt ſententia haec ſit. Malorum noſtrorum ſenſu ſi cum careremus, tum tamen adhuc valeremus corpore, foret conditio noſtra tolerabilior. Iam vero multi ſunt nobis puerique foeminaeque, ſenſu quidem illi malorum ſuorum compuncti acerrimo, at viribus deſtituti. quo ſunt miſerabiliores. Vulgo ſic interſtinctus circumfertur h. l. γινώσκειν μὲν, μὴ δύνασθαι δὲ. Canterus pro μὴ ſuadebat ἀμύναι. et ſic vertit, *ſi cognitioni vires ad reſiſtendum eſſent coniunctae.*

18. ἀδελφοὶ] imo vero ἀδελφαὶ *ſorores.* docent inſequentia.

19. τούτων] ſubaudi τῶν ἄρτι εἰρημένων, quae modo verſ. 13. et 14. enumerauerat. Poſſit quoque τέτοις legi. *iisdem, quibus caeſorum parentes orbati fuiſſent.* Sed nil opus eſt, quicquam h. l. temerari.

20. κάλλος] ſubaudi ἐσὶ. quibus forma venuſta

κη καὶ αἶσχος καὶ ἀτιμίαν[21] φέρειν. ἀντὶ γὰρ τῶν 21.
καλλίστων καὶ ἐντιμοτάτων γάμων εἰς αἰσχίστας καὶ
ἀτιμοτάτας πίπτουσιν· ἥτε αὖ δυσειδία[22] εἰς τοι-
αῦτα ἔργα καθίστησι τὰ σώματα, ἐν οἷς καὶ τὸ ὑπ-
άρξαν ἀγαθὸν τῆς τροφῆς ζημίαν[23] καθίσταται.
ὃ δυνάμενοι δὲ τὰς πόνους ὑπενέγκειν, ἀντὶ τοῦ βίου 24.
τὰς αἰσχίστας καὶ βιαιοτάτας θανάτους αἱροῦνται.
ὅστις ἦν, τοιούτων ἄθλων προκειμένων, μὴ ἔσται ἀνὴρ
ἀγαθὸς ἐν τῷδε τῷ ἀγῶνι, ἀλλά τις εἰσαῦθις[24]
ἀπο-

nunc est honor et ζῆλος. h. e. qui nunc ob oris praestantiam in honore habentur, et magni fiunt ab omnibus, beatique praedicantur.

21. αἶσχος] vt stupra nempe patiantur, vt prostent in lupanaribus, vt pellices fiant.

22. δυσειδία] oris turpitudo detrudit illos pueros, illasque puellas ad pistrina, ad opera rusticana, fodiendum, arandum, pascendum et alias tales cum ignobiles, tum duras atque molestas seruitutes.

23. ζημία] quo magis innutriti fuerunt artibus liberalibus, hoc impatientius ferunt desiderium libertatis, eoque magis sentiunt pretium eius. et quo minus assueti fuerunt duris laboribus seruitutis, hoc magis sentiunt duritiem et acerbitatem eorum, eoque minus perferre possunt.

24. ἀλλά τις εἰσαῦθις] postremum vocabulum neque conuenire sententiae h. l., et e versu proximo insequente perperam huc ingestum esse paret. Sententia videtur hoc postulare, ἀλλ' αὐτὸς ἑαυτὸν ἀπολελείψεται ἢ γνώμη, ἢ ῥώμη. Sed minus facit, quam debebat facere, et ab ipso merito exspectabatur, siue ratione prudentiae, siue ratione virium atque roboris.

ἀπολείπεται ἢ γνώμη ἢ ῥώμη, ἀμφοῖν στερηθήσε-
27. ται, τῆς τε νῦν τῆς τε εἰσαῦθις τῶν ἔργων [25]. ὅδε
γὰρ ὁ ἀγὼν αὐτῷ τέλος ἔχει. ἐνθυμηθῆναι δὲ χρὴ
καὶ τίνος ἕνεκ' ἂν μᾶλλον ἀξιώσαιτε μάχεσθαι [26],
ἢ τί ἀγαθὸν ἐκ ἔνεστιν ἐν τῷ νικᾶν μαχομένοις τοὺς
πολεμίους. τοῦτο ἀρετὴν σύμπασαν λαβὸν [27] ἔχει·
30. ἐν τούτῳ ἔνεστιν ὑμῖν ὅσα τις εὔξαιτο. δοκεῖ εἶναι εἰ-
ρήνη ἀγαθόν; αὕτη ἐπὶ τοῖς τοὺς πολεμίους νικῶσι
γίγνεται, ὅπως ἂν βέλωνται καταθέσθαι [28]. δο-
κεῖ εἶναι κτημάτων κτῆσις ἀγαθόν; τοῦτο γὰρ τοῖς
νικῶσι γίγνεται. τά τε γὰρ ὑπάρχοντα, ἀσφαλῶς
33. κέκτηνται, τά τε τῶν πολεμίων ἀδεῶς καρποῦνται.
δικαιότητος τοίνυν τόδε τὸ ἔργον πλεῖον μετέχει.
δίκαι-

25. post τῶν ἔργων videtur δόξης vel εὐκλείας desiderari. Malim tamen a sophista sic relictum fuisse τῆς τε νῦν ἀπολαύσεως, τῆς τ' εἰσαῦθις ἐλπίδος τῶν ἔργων. carebit ambobus, et perceptione fructuum facinoribus suis pariendorum, in praesens, et bona spe commodorum inde olim aliquando percipiendorum.

26. μάχεσθαι] imo vero ἢ μάχεσθαι. qua tandem de causa magis velitis non pugnare, [subaudi, quam pugnare.] hoc est, maiorane sint emolumenta e desidia et ignauia enascitura et ad vos peruentura, quam ex alacritate pugnandi. μᾶλλον indicat omissum hic esse, subaudiendum tacite ἢ μάχεσθαι. magis non pugnare, quam pugnare.

27. λαβὸν] malim aut περιλαβὸν, aut συλλαβὸν.

28. καταθέσθαι] Noui πόλεμον καταθέσθαι dici, bellum componere, vel finire. verum εἰρήνην καταθέσθαι dici, me fugit. εἰρήνην θέσθαι simpliciter vsurpant, item διαθέσθαι. Num ἐν αὐτῇ γὰρ ἐπὶ —

δίκαιον μὲν γὰρ τῇ πατρίδι ἀμύνειν, ἐν ᾗ ἐτράφη-
τε, δίκαιον δὲ, ἱεροῖς [29] πατρῴοις καὶ μνήμασι
τῶν προγόνων· δίκαιον δὲ τὰς πατέρας ὑμῶν, ὑφ' 36.
ὧν ἐτράφητε, ἀντιγηροτροφῆσαι· δίκαιον δὲ τοὺς
παῖδας, ἐπειδήπερ ἐφύσατε, ἐκθρέψαι· δίκαιον
δὲ τούτων τινὰ μὴ ἐλλείπειν [30]. εἰ δέ τις σοφίαν ἐπι-
τηδεύει, τὸ νικᾶν μαχόμενον, τοῦτο σοφίαν ἡγησά-
σθω· εἴ γε οὐ σοφὸν τὸ δῆλον εἶναι· τὸ δὲ, ἐλεύ- 39.
θερον, σοφόν. κάλλος ἐν τιμῇ εἶναι δοκεῖ; οἱ αὐ-
τοὶ τοίνυν ἄνδρες νικῶντες, οἵ τε καλοὶ, καλλίστοι δο-
κοῦσιν εἶναι, οἵ τε αἰσχροὶ, δεινότεροι. πᾶν γὰρ τὸ
ἐλεύθερον, καλόν. εἴ τις τοίνυν εὐγενείας βάσανος,
ἐν τῷδε τῷ ἔργῳ μάλιστα ἔνεστιν. ὅστις μὲν γὰρ πρό- 42.
τερον δοκῶν εὐγενὴς, νῦν μὴ θελήσει διαμάχεσθαι,
τήν τ' ἐκ [31] τῶν προγόνων ὑπάρχουσαν εὐγένειαν
ἀπολεῖ, καὶ τοῖς παισὶ * δυσγένειαν [32] ἀπολεί-
ψει.

29. *ἱεροῖς*] malim *καὶ ἱεροῖς* etiam fanis deorum, et ſacris auitis, ſubaudi a communi *ἀμύνειν*.

30. *τούτων τινὰ μὴ ἐλλείπειν*] horum verborum ſententia mihi eſt obſcura, vt ſuſpicer nonnihil hic deeſſe. Sententia videtur hoc poſtulare et ſubiicere, *δίκαιον δ' ἐπιμελεῖσθαι, ὅπως τούτων μηδένα μηδὲν τῶν ἀναγκαίων ἐλλείπῃ.* ius et fas eſt operam dare, vt horum [liberorum puta] nemini quicquod deſit praeſidiorum et adminiculorum vitae tuendae neceſſariorum.

31. *τήν τ' ἐκ*] antitheton hoc ſi diligenter exprimere voluiſſet, ſic dicere debuiſſet. *αὐτός τε τὴν ἐκ* — opponuntur enim inter ſe *αὐτός τε* et *οἱ παῖδες*.

32. *δυσγένειαν*] ſic correxi de meo vulgarium vi-

ψει. ὅστις δὲ ἐν τῷ ἔργῳ ἔσαι ἀνὴρ ἀγαθὸς, τῶν
172.1 τε προγόνων τὴν ἀρετὴν ἀναμνήσει [33], τοῖς τε παι-
σὶν εὐγένειαν καταλείψει. τῶν γὰρ ἐν τοῖς δεινοῖς
ἀνδρῶν ἀγαθῶν γινομένων οἱ παῖδες εὐγενεῖς νομί-
3. ζονται. πολλὰ δὲ εἰρηκὼς ἀγαθὰ, ὅσα ἔνεστιν ἐν τῷ
νικᾶν, πολλὰ ἕτερα παρίημι, ὧν ὅ, τε [34] ἕκαστος
αὐτὸν ἀναμιμνήσκων, ἀνὴρ ἀγαθὸς γιγνέσθω· ὅ-
σα δὲ τὰ διαφέροντα ἐν αὐτῷ τῷ μάχεσθαι ἔνεστιν,
εἰς τὸ σώζεσθαί τε καὶ διαφθείρεσθαι, ταῦτα ὑ-
6. μᾶς διδάξω. πρῶτον μὲν, τὸ σῶμα εἰς τὸ ἔμπρο-
σθεν πέφυκε καὶ βαδίζειν καὶ βλέπειν· ἔπειτα τὰ
ὅπλα ἔτως εὕρηται ἔμπροσθεν τοῦ σώματος προβε-
βλῆσθαι· ἡ μὲν ἀσπὶς, τοῦ μὴ τιτρώσκεσθαι, τὸ
δὲ δόρυ, τοῦ ἀμύνεσθαι· ὥστε ἐὰν βέλησθε εἰς τὸ
9. ἔμπροσθεν βαδίζειν ἐπὶ τὸ μαχόμενον ἀεὶ πάντες,
ἀκούοντες τὰ λεγόμενα [35], καὶ τὰ παραγγελλόμε-
να ποιοῦντες, ἀναμιμνησκόμενοι τῶν ἀγαθῶν [36],

παρα-

tium δυσμένειαν. et poſtmodum vidi Canterum quoque ſic correxiſſe.

33. ἀναμνήσει] ſcil. τοῖς περὶ αὐτοῦ ἀκούσιν.

34. ὧν ὅ, τε ἕκαστος] aut deeſt aliquid, aut delenda ſunt iſta duo vocabula ὅ, τε. Si quid deſit, videri poſſit ita explenda eſſe lacunula. ὧν νῦν, εἴποτε, ἕκαστος. quae nunc maxime, ſi vnquam alias, ad animum ſibi quisque reuocans.

35. τὰ λεγόμενα] imperata a veſtris imperatoribus. idem eſt atque ſi dixiſſet τὰ προσαττόμενα, vel, quod ſtatim ſequitur, τὰ παραγγελλόμενα.

36. τῶν ἀγαθῶν] ſcil. τῶν ἐλπιζομένων ἐκ τοῦ νικᾶν.

παραθαῤῥύνοντες ἀλλήλους· καταφρονοῦντες μὲν [37] τοῖς ἔργοις, ἀξιοῦντες δὲ μάχεσθαι. καὶ ἐκείνους παρελθόντες [38], ταῦτα [39] ὑπεργήσαντες, ὅσα δὲ [40] 12. ἀνθρώπινα, νικήσετε. εἰ δέ τις ὑμῶν ἀξιώσας τὸν

μὲν

37. post καταφρονοῦντες μὲν deesse videtur τῶν πολεμίων. rebus ipsis testatum facientes, vos parui facere hostes. Canterus pro τοῖς ἔργοις correctum ibat τῆς ὀργῆς. ingeniose profecto, quam vere autem, viderint alii. In his duobus vocabulis τοῖς ἔργοις si vitium est, malim τῶν ἐχθρῶν. verumtamen succurrit, vocabulum ἐχθρὸς de inimico vsurpari, h. e. de ciue, quicum simultates gerimus, non de hoste extraneo, qui est πολέμιος.

38. ἐκείνους παρελθόντες] id est ἀρετῇ νικῶντες. redit ἐκείνους ad τοὺς πολεμίους. quorum factam esse mentionem in illis praemissis, quae hodie desunt, necesse est, et hoc e loco paret.

39. ταῦτα] imo vero πάντα. nulla non fungentes belli munia.

40. ὅσα δὲ ἀνθρώπινα] pro media voce malim γε. quae quidem sita sunt in humana facultate. Si scilicet ad πάντα referas. aut si mauoles in constructione post νικήσετε ponere, haec erit eorum sententia. vincetis, ὅσον ἥκει εἰς ἀνθρώπους, et collatum habebitis ad victoria potiundum quicquid homines conferre possunt. quantum in homines venit, a parte humana quidem, certo certius vincetis. nam casus fatales, si qui diuinitus interueniant, ecquis homo natus aut praeuidere, aut deuitare, aut auertere possit? quaecunque autem praestare possunt humanae seu vires et arma, seu prudentia, quibus victoria pariatur, ea omnia feceritis; et sic victoriae certi poteritis esse, secundum humanam quidem opinationem.

μὲν πολεμίους πλεῖόν τι * εἶναι[41] ἢ ἀνθρώπους, καὶ ἀτρώτους εἶναι, αὐτὸς δὲ ὡς[42] μηδενὸς ἄξιος ὑποχωρήσει, τοῦτο σωτηρίαν νομίσας εἶναι, πρῶτον
15. μὲν τὴν γνώμην ἡττημένος ἀδικεῖ[43], ἔτι δὲ ἔμπαλιν αὐτῷ τὸ σῶμα τοῦ ἔργου[44] * πεφυκὸς[45] τὰ μὲν ἐναντία οἷς βέλεται[46] ὑπεργήσει[47]· (εἰς τὸ ὄπισθεν μὲν

41. εἶναι] sic dedi de meo, pro vulgari εἰδέναι.

42. αὐτὸς δὲ ὡς μηδενὸς] Aut pro ὡς sufficiendum est τοῦ. quod si fiat, tum post ἄξιος tacite iterandum erit εἶναι e praemissis; et sic ἀξιώσας cohaerebit cum ὑποχωρήσει. Sin autem ὡς seruetur, tum pro ἀξιώσας leg. erit ἀξιώσει in indicatiuo futuri. Verum huic posteriori rationi obstant particulae μὲν et δὲ. quare quod priore loco posui, id praehabebo.

43. ἀδικεῖ] num ἑαυτὸν ἀδικεῖ. iniuriam ipse sibi facit, ipse sese suo iure, et dignitate fraudat, minoris se faciens, et pluris hostem, quam oportebat.

44. τοῦ ἔργου] scil. τοῦ ἀναχωρεῖν.

45. πεφυκὸς] sic dedi de meo, pro vulgari πεφυκότος. cohaeret enim πεφυκὸς cum σῶμα. qui est nominatiuus. corpus enim ita cum sit natura factum, vt contra faciat atque repugnet operi illi, quod retro cedens agitat.

46. οἷς βέλεται] scil. ὁ ἀναχωρῶν. qui sensim et pedetentim, luxata acie, e primo ordine in secundum, et e secundo in tertium se recipit. diuersus hic est ab eo, (quem paulo post seorsim notabit sophista) qui effuso cursu in pedes se coniicit fugam capessens.

47. ὑπεργήσει] id est πράξει. contraria omnia faciet voluntati sui domini. Recedere vult homo. corpus autem eius procedet. Nugae hae sunt sophisticae, quibus miles in procinctu stans profecto nil moueatur. Castra volunt aliis auris concitari.

μὲν γὰρ ἓΘ' οἱ πόδες πεφύκασιν ἀναχωρεῖν, ἓΘ' οἱ ὀφθαλμοὶ ὁρᾶν ἐδενός) δίχα δὲ διαιρεθεὶς, τῷ ἀναχωρεῖν ὑπηρετῶν, καὶ τὸν ἐπιόντα ἅμα κίνδυνον φυ- 18.
λάττων [48] κατὰ φύσιν, ταχέως καὶ [49] τὸν ἀντισάτην ἐδυνήσεταϳ ἀμύνεσθαϳ· ἐὰν δὲ ἀναστραφεὶς [50] ἀξιοῖ φεύγειν ὡς ἀποφευξόμενος, πρῶτον μὲν τὰ γυμνὰ τοῖς πολεμίοις δείξει, ἐν οἷς τιτρώσκεσθαϳ ἢ μάχεσθαϳ [51] ἀνάγκη· ἔπειτα πολλοὶ καὶ κἄφοι 21.
οἱ διωξόμενοι [52] ἀκοντισαὶ, καὶ σφενδονῆταϳ καὶ το-
ξόταϳ,

48. φυλάττων] obseruans, speculans, vnde veniat. mallem tamen φυλαττόμενος, *cauens*.

49. φυλάττων κατὰ φύσιν, ταχέως καὶ] et sententia h. l. laborat et interpunctio. primum pone φυλάττων (vel φυλαττόμενος) comma est ponendum. demendum idem est a vocabulo φύσιν et transferendum pone ταχέως, denique vocabula duo κατὰ φύσιν manifesto corrupta sunt. Hoc perspicuum est ista duo in vnum esse contrahenda, quod sit tertia persona singularis futuri primi actiui, atque significet, *animo deficiet*, aut tale quid. Num sic dedit sophista, — φυλαττόμενος, καταδείσει ταχέως, καὶ τὸν — *periculum accidens cauens, breui pauescet, et aduersarium defendere non poterit.* Vel ἀπαγορεύσει *deficiet.*

50. ἀναστραφεὶς] tergore hostibus obuerso. Is enim, de quo hactenus egerat, vultum semper habuit hostibus obuersum. Iam vero ingreditur sophista notationem pauidi effuse fugientis.

51. ἢ μάχεσθαϳ] dicere vult, in dorso vulnera qui recusat accipere, illi necessario ex aduerso pugnandum est.

52. διωξόμενοι] raro modo medium hic vsurpa-

ξόται, ἐς ἔτε αὐτὲς [53] ῥᾴδιόν ἐστιν ἀποφυγεῖν, ἔτε τὰ βέλη αὐτῶν ἧττον [54] ἔτι πολλῷ. ὁ γὰρ τάχιστος ἀνὴρ τῆ βραδυτάτη τοξεύματος ἀδὲ μέρος [55]
24. ταχυτῆτος παρέχει. εἰ ἄν τις ὑμῶν φιλοψυχῶν παρεσκευάσατο ἀναχωρεῖν ἢ φεύγειν, ἵνα σωθῇ, ἐκ ὀρθῶς γινώσκει τὸ φιλοψυχεῖν ὅ, τι ἔστιν. ἐν γὰρ τῷ μένειν καὶ ὁμόσε χωρεῖν, ἐ μόνον τὴν αὑτῆ, ἀλλὰ καὶ τὰς τῶν εἴκοι μενόντων ψυχὰς σώζει [56]. εἰ
27. μὲν ἓν εὖ ἤδει τις, ὅτι τόνδε τὸν κίνδυνον διαφυγὼν, μεθ' ἡδονῆς τὸν ἐπίλοιπον χρόνον διατελέσας σὺν εὐκλείᾳ τελευτήσει, εἶχεν ἂν λόγον τινὰ ἡ κακία· νῦν δὲ

uit, pro διώξοντες. quod vſitatius eſt. Contra paulo ante in φυλάττων fecerat, vt ibi notauimus.

53. αὐτὲς] ſic correxi, auctore Stephano, vitium vulgatarum αὐτὸς. *neque ipſos, neque tela eorum.* Sed merus hic eſt luſus ſophiſticus. Ecquando enim quaeſo vnquam aut ſagittarii, et funditores cominus rem gerunt? quando manus conſerunt? qui ſemper eminus pugnant; aut qui difficiliis ſit eos inermes effugere, quam alios? aut qui feriant quemquam ſagittae vel ſaxa ſola per ſe, ſagittariorum et funditorum lacertis non intorta?

54. ἧττον] imo vero ἀλλ' ἧττον. Sed haec tela, et ſaxa, multo etiam minus deuitabit, quam ipſos ſagittarios, ipſosque funditores.

55. μέρος] ſubaudi τὸ ἐλάχιστον. dicere vult, vel ſumma hominis currentis celeritas aequiparabilis eſt, ne minimae quidem celeritati ſagittae aut ſaxi funda intorti.

56. σώζει] ſubaudi oppoſitum, quod ipſa rei natura ſubiicit. ἐν δὲ τῷ φεύγειν ἀπόλλυσι.

νῦν δὲ πολλοὶ καὶ κακοὶ [57] δόξαντες εἶναι, ὀλίγον χρόνον βιῶντες, διὰ τὴν δύσκλειαν ἀνιώμενοι, καὶ ἄτιμοι παρ' ἐντίμοις ὄντες κακῶς τὸν ἐπίλοιπον βίον, τελευτήσαντες, ὀνείδη τοῖς παισὶ καταλείψουσιν [58]. ἐπεὶ δὲ πεφύκαμεν ἐκ ἀθάνατοι, πῶ καλλιον ἀποθνήσκειν ἢ ὑπὲρ ὧν χρὴ τιμωρεῖσι; ποίαν ἄλλην ἀρετῆς [59] κτωμένες [60]; ποῖος ἡδίων θάνατος; τίνες εὐκλεέστεροι ἀποθανόντες, ἢ οἱ ἔτω [61] τελευτήσαντες; δημοσίᾳ τάφῳ ἀξιῶνται, θυσίαι ἐπὶ τούτοις γίγνονται, ἀγῶνες ἐπὶ τούτοις τίθενται· ἀντὶ θνητῶ σώματος ἀθάνατον μνῆμα καταλείπουσιν. οἱ δὲ τούτων παῖδες δημοσίᾳ ἐκτρέφονται, τιμώμενοι πανοπλίαις, προεδρίαις, θαυμαζόμενοι καὶ ἐν χοροῖς καὶ ἐν γυμνασίοις, καὶ ταῖς ἄλλαις συνεδρίαις· τοῖς δὲ ἐκ τῶδε τῶ κινδύνω σωθεῖσιν, ἀνδράσιν ἀγαθοῖς γινομένοις, ἀκίνδυνος ὁ λοιπὸς βίος, μακαριζομένοις ἐν πάσαις πανηγύρεσιν, ἐν πάσαις θεω-

57. πολλοὶ καὶ κακοὶ] aut dele copulam. aut lege πολλοὶ, θεῖλοὶ καὶ κακοὶ. Pro ὄντες malim ἄγοντες.

58. καταλείψουσι] imo vero κατέλειψαν.

59. ἀρετῆς] Stephanus ἀρετὴν corrigi vult. verum id loci vitium non sanat. desunt paucula quaedam. num ποίαν ἄλλην μείζω δόξαν ἢ τὴν ἐξ ἀρετῆς.

60. κτωμένες] non per se vitiosum hoc est, sed per praemissum τιμωρεῖσι. cui si accommodandum est etiam hoc participium, vt videtur vtique esse, leg. erit in datiuo κτωμένοις.

61. εὐκλεέστεροι ἀποθανόντες, ἢ οἱ ἔτω] Morem gessi Stephano sic emendanti, vulgatarum vitium εὐκλεέστεροι οἱ ἀποθανόντες, ἢ ἔτως.

39. θεωρίαις. οἱ φίλοι τούτοις, φίλοι [62] εἰσὶν, οἱ ἐχθροὶ τοῖς τοιούτοις ὑπερεύχονται [63]· πᾶς ἀνὴρ αὐτὸς ξενῶσθαι βέλεται. ἐκ τῶνδε καὶ γαμετὰς προθύμως [64] ἂν εὕροις. ἔτοι γηράσκοντες εὐδαιμονίζονται. νῦν ἔν, ὦ ἄνδρες στρατιῶται, καθ' ὃ ὑμῶν ἕ-
42. κασος ἰσχύει, μηδὲν ὑπολειπόμενος τῆς δυνάμεως, ἀντιλαμβανέσθω τῶνδε ἀγαθῶν [65]. ὑπομιμήσκω

B 2 δὲ ὑμᾶς,

62. οἱ φίλοι τούτοις, φίλοι εἰσὶν] Haec si a sophista sic scripta sunt, captum meum excedunt. Num οἱ φίλοι τούτοις, [id est τούτων] πολύφιλοι [aut φοβεροὶ] εἰσὶ. amici eorum ob eos a multis amantur, aut formidantur, quippe qui per horum amicitiam aut prodesse aut obesse quam plurimum possint.

63. τοῖς τοιούτοις ὑπερεύχονται] imo vero τοὺς τοιούτους ὑπέρχονται inimici si qui antea illis fuissent, hi nunc incipiunt iis sese submittere, illis adulari, eos reuereri, et promereri pro αὐτοὺς malim αὐτοῖς.

64. προθύμους] adscripsit Stephanus sibi videri leg. esse προθύμως. vtinam interpretationem latinam quoque adscripsisset, vt constaret, quamnam inesse putasset sententiam suae correctioni, quae mihi perinde obscura est, atque vulgaris lectio. Num γαμητὰς leg. est? Nam γαμετὴ est mater familias, quae ab h. l. est aliena. γαμητὴς autem est sponsus. Hoc si admittas, erit sententia πολλὰς ἂν ἴδοις τὰς θέλοντας ἐκ τῶνδε γαμεῖν. id est τὰς τούτων θυγατέρας καὶ ἀδελφὰς γαμεῖν. multos inuenias cupide ambientes affinitates horum, volentes aut filias horum aut sorores domum ducere. Hoc si voluit sophista, aut insacundiam et ignorantiam graecae dictionis prodidit, aut affectationem nouae et quaesitae dictionis, et ita captauit elegantiam, vt obscurus atque ineptus fieret.

65. τῶνδε ἀγαθῶν] aut interponendum est τῶν,

δὲ ὑμᾶς, ὅτι καὶ τὰ ἱερὰ ὑμῖν καλὰ γέγονε, καὶ τὰ ἱερὰ καλὰ καὶ [66] τὰ ὑμέτερα παρεσκεύασαι. ἀλλ' ἄνδρας χρὴ εἶναι ἀγαθές· εἰκὸς δὲ ὑμᾶς περὶ τῆς ὑμετέρας αὐτῶν πατρίδος μέλλοντας ἀγωνιεῖ- 173.1.
σθαι, καὶ ὄντας πατρώων [67] ἀγαθῶν, τοιούτους εἶνε-
σθαι· ἢ ἄλλό τι παρασκευάσατε κάλλιον, ἢ ἄμει-
νον. ὥστε ἐ δεῖ ὑπερίδειν ἔτε λόγε ἔτε ἔργε ἑδενός· 3.
εἰ δ' μὴ, τοῖς ἑτοίμοις παρακελεύεσθαι. ἀλλὰ [68]
τοῦτο δή μοι δοκεῖ καὶ μάλιστα χρῆναι ποιεῖν. τοῖς μὲν
γὰρ μὴ θέλουσιν ἀγαθοῖς εἶναι, μάταιον καὶ λέγειν [69]
καὶ ποιεῖν, σπεύδοντα ὅπως ἔσονται ἀγαθοί· τοῖς
δὲ ἐθέ-

aut ſic legendum τῶν τοιῶνδε ἀγαθῶν. tantorum bonorum.

66. καὶ τὰ ἱερὰ καλὰ καὶ τὰ ὑμέτερα παρεσκεύασαι] primis quatuor deletis vocabulis ante poſtremum addi vult Stephanus καλῶς. quod mihi non ſatisfacit. quid ſi ſophiſta ſic dederit. καί τοι τὰ ἱερὰ καλὰ γενέσθαι τί ὄφελος, εἰ μὴ καὶ τὰ ὑμέτερα παρεσκεύασαι. quamquam ecquid proderit, auſpicia et exta nobis auguſta eſſe, niſi, quae a vobis proficiſci debent, ea quoque bene comparata ſint.

67. ὄντας πατρώων] Stephanus interponi ſuadebat aut ἀξίους aut κληρονόμους. verum nil h. l. deeſt, ſed ſolummodo pro poſtremo vocabulo leg. eſt πατέρων. ſcil. υἱὸς vel ἐκγόνους. conf. verſu 20.

68. poſt ἀλλὰ deeſt aliquid parum. e. c. κελεύσει σιωπᾶν qui parati non ſunt, vt a cohortationibus accendantur, ἐ παρακελ. ſed poſtulant, vt orator conticeſcat, his inprimis morem eſſe gerendum cenſeo. h. e. videtur mihi factu inprimis eſſe neceſſarium, vt orator id faciat, quod illi poſtulant, id eſt, vt conticeſcat.

69. poſt λέγειν aut poſt ποιεῖν deeſſe videtur πάν-

6. δὲ ἐθέλοσί γε καὶ βελομένοις, τοὐναντίον [70]. παντὸς γὰρ πράγματος ἐπίδοσίς ἐστιν, ἔστ' ἂν τέλος ἔχῃ· καὶ ἀρετὴν πλεῖσον ἂν εὕρῃς αὐτὴν [71] ἐπιδιδοῦσαν ὅπερ μεγίστην καὶ τιμὴν ἔχει καὶ ἄθλοις καὶ ἐπαίνοις [72]. ὥκιν (ὅπερ εἶπον ὀλίγῳ πρόσθεν [73]) οὐ-

9. δεὶς ἂν κάλλιον παρασκευάσαι [74] σημεῖον. ὥστ' εἰ

καὶ τα. Etiamsi tu nihil non dicas, nihil non agas, in cassum tamen laboras.

70. τἀναντίον] scil. δεῖ λέγειν πάντα, καὶ ποιεῖν πάντα, σπεύδοντα ὅπως ἔσονται ἀγαθοί.

71. αὐτὴν] malim καὶ αὐτὴν etiam ipsam.

72. καὶ ἄθλοις καὶ ἐπαίνοις] satis certum penes me est in locum datiuorum suffici debere accusatiuos. et satis planum proinde est ἐπαίνους corrigere. verum quid ἄθλοις faciemus. non profecto ἄθλους licebit substituere. fat nescio rursus an ἆθλα *praemia certaminum* minus liceat. Num ergo leg. καὶ τοῖς ἄθλοις ἴσους ἐπαίνους.

73. ὀλίγῳ πρόσθεν] Locus est p. 173. 2.

74. παρασκευάσαι σημεῖον] reliqui locum, vt Stephanus eum exhibuit, nescio quo iure aut qua ductus auctoritate. Mihi quidem satius videtur ille facturus fuisse, si locum mendosum, quem sanare coniectura sua non posset, intactum reliquisset, et lectionem Aldinam haud temeratam exhibuisset. Nam medicina eius ne attingit quidem vlcus, nedum vt sanet. Aldus dederat pro prima voce παρασκευάσαντος. vnde Canterus παρασκευάσαιτο efficiebat, quod multo est probabilius et loci sententiae conuenientius, quam Stephani παρασκευάσαι. deinde paret inter hoc, quodcunque est vocabulum παρασκ. et inter proximum σημεῖον pauca quaedam deesse. quae negatum est mera coniectura explere. Sed v. Supplementa.

καὶ νῦν * ὑμῖν [75] παρεσκεύασαι καὶ ἑνὶ ἑκάστῳ καὶ πᾶσιν, ὅπως ἔσεσθε ἀγαθοὶ, καὶ ἀξίωμα ἕξετε παρ' ὑμῖν αὐτοῖς μέγα, ἢ χ ὑμᾶς βλάψει [76] ἀνὴρ σαντας τὴν ὑμετέραν ἀρετὴν, καὶ τὸ ἀξίωμα τῶν προγόνων ὁμῶ, καὶ τὸ ἀξίωμα τῶν πολεμίων ὑμέ- 12.
τερον [77] δ' ὑμᾶς ἔχουσιν· ἀλλ' ὠφελήσει. ὑμῶν γὰρ οἵ τε παλαιοὶ πατέρες ἐν τοῖς Ἕλλησι μέγα ἀξίωμα ἀρετῆς εἶχον, καὶ λόγον ἀγαθὸν, οἵ τε νέοι. μαρτύριον δὲ τάτε ὑμῖν ἐρῶ. οἱ μὲν ἄλλοι πάντες Ἕλληνες, ἐκ τῆς σφετέρας αὐτῶν μεταξάντες οἱ 15.
κῶσιν * ἕκαστοι [78] αὐτῶν, ἐξελάσαντες ἑτέρους, καὶ αὐτοὶ ἐξελαθέντες [79] ὑφ' ἑτέρων. καὶ κατὰ τᾶτο

δύο

75. ὑμῖν] sic dedi de meo, pro ἡμῖν vulgari. ob insequen. ἔσεσθε.

76. βλάψει] sic correxerunt Stephanus et Canterus, haud recordantes Aldinae βλάψαι etiam probari posse, si pro 3. pers. optatiui habeatur.

77. ὑμέτερον δ' ὑμᾶς ἔχουσι] num ὑμέτερον ὂν. δ' ὑμᾶς γὰρ ἔχουσι. quae hostium quaecunque et quantacunque est dignitas, vestra est, nam vobis debetur. propter vos ea gaudent Canterus sic volebat πολεμίων ὑμετέρων, ὃ δ' ὑμᾶς ἔχ.

78. ἕκαστοι] sic, in plurali, de meo dedi, pro vulgari ἕκαστος. Tum mali τὴν αὐτῶν.

79. ἐξελασθέντες] πότερον ἐξελαθέντες, καὶ ὀλίγῳ ὕστερον ἐξελαθῆναι. ἢ καὶ τὸ ἐξηλάθητε εἰς τὸ ἐξηλάσθητε δεῖ μεταβάλλειν. H. STEPHANVS in margine. Sed praestat prior ratio, quam praetuli, exterens σ e tertia syllaba, quod σ et hic et paulo post versu 18. huic vocabulo tam in Aldina, quam in Stephanica adhaesit, contra morem loquendi.

δύο φέρεσθε καυχήματα ἀρετῆς. ἔτε γὰρ ἐξηλάθητε [80] τῆς σφετέρας αὐτῶν ὑπὸ ἀδαμῶν ἀνθρώ-
18. πων, ἔτε ἐξελάσαντες ἑτέρους, αὐτοὶ οἰκεῖτε. καὶ κατὰ μὲν τὸ μὴ ἐξελαθῆναι, ἀνδρείας σέφανον τὴν πατρίδα ἔχετε· κατὰ δὲ τὸ μὴ ἐξελάσαι, δικαιοσύνης. ταῦτα μὲν γὰρ [81] τῶν παλαιῶν μαρτυρία [82] ἀρετῆς πατρώων [83], τῶν τε νέων [84]· καὶ ὅτι μὲν [85]
21. ἄλλα τε πολλὰ, καὶ ὅτε τῷ βαρβάρων στρατῷ [86]

B 4 ὑπο-

80. ἐξηλάθητε ὑπὸ τῆς] praepositionem de meo arbitratu expunxi. Ad οἰκεῖτε subaudi τὴν τέτων, τῶν ἐξελαθέντων ὑφ' ὑμῶν.

81. γὰρ] malim ὑπάρχει.

82. μαρτυρία] imo vero μαρτύρια, a nominat. singul. μαρτύριον, neutrius generis, ob praemissum ταῦτα.

83. πατρώων] malim πατέρων.

84. τῶν τε νέων] pro particula τε malim δὲ. ob praemissum τῶν μὲν.

85. καὶ ὅτι μὲν] pro medio vocabulo coniecit Canterus ἔτι. recte id quidem, ni multum fallor, verum non exhaurit rem. vlterius erat procedendum. Coniecturae si licet indulgere, quod in loco desperato licere arbitror, ita videtur legendum. τῶν δὲ νέων [repete tacite e praemissis ἀρετῆς μαρτύρια] καὶ νῦν ἔτι μένει [scil. ἐν τῇ τῶν ἀνθρώπων μνήμῃ] ἄλλα τε πολλὰ, καὶ [subaudi τέτο] ὅτι [non ὅτε. quod vulgatae dant.] Recentiorum autem maiorum virtutis documenta manent vel adhucdum in hominum memoria vigentque, vt alia permulta, ita hoc quoque, quod —

86. τῷ βαρβάρων στρατῷ] sic correxit Stephanus Aldinae vitium τῷ βαρβάρῳ στρατῶν.

ὑποχωρήσαντες ἐκ τῆς πατρίδος, καὶ αὐτοὶ καὶ τὰ τέκνα, ὁρμώμενοι ἐκ τῆς Σαλαμῖνος, ἠλευθερώσατε πᾶσαν τὴν Ἑλλάδα, καὶ τέτρες [87], οἱ νῦν ἐφ' ὑμᾶς ἔρχονται. ὦ Ζεῦ τε καὶ θεοὶ, μεγάλης ἀσεβείας, ἐπὶ τὲς ἐλευθερώσαντας οἱ ἐλευθερω- 24.
θέντες ἔρχονται, δηλώσοντες μετὰ τῶν τῇ Ἑλλάδι δηλείαν φερόντων [89] Ἑλλήνων, μετὰ τῶν ὑμετέρων δέλων· ἀδέν γε τῶν αὐτῶν ποιοῦντες τοῖς ὑμετέροις προγόνοις, οἵ ποτε τῇ Σπάρτῃ ἐπεβοήθησαν, ἐφι- σαμένων τῶν δούλων, ὅτε ἀφίκετο [90], καὶ ἔχων 27.
Φοινικίδα [91] ἐπεκάλει τὲς προγόνας βοηθῆσαι, καὶ μὴ πε-

87. τέτρες] Lacedaemonios designat.

88. μεγάλης] aut μετὰ praeponendum est, aut τῆς, vt sit exclamatio mirantis et stomachantis. o Iupiter et vos reliqui dii, tam portentosae impietatis! subaudi ἕνεκα *ergo*, vos testor.

89. φερόντων] alius vsurpasset ἐπιφερόντων.

90. ἀφίκετο] sed quisnam? num ὁ κῆρυξ. videtur potius nomen regis Spartani, qui tum fuit, excidisse, quod nomen quaerere mihi nunc non vacat. quaerant quibus volupe erit et otium suppetet. Inuenient apud Cragium aliosque, qui de rebus Laconicis exposuere. Canterus, quasi sentiens defectum, reddidit h. l. *cum quidam ab illis — petiisset auxilium.*

91. Φοινικίδα ἔχων] ergo feciales Graecorum, Spartanorum certe, cum supplicatum opemque ferendam efflagitatum aliquo venirent, russati erant, h. e. vestem russam corpore gerebant, aut eam e pertica suspensam praeferebant? Sed cur? quid significaturi? num, vim sibi fieri, cruorem suum peti? quapropter supplicare, ne immanitati hostium suorum inulti per-

μὴ περιιδεῖν ἐπιβελευθεῖσαν τὴν Σπάρτην. ἀντὶ δὲ τῆς εὐεργεσίας τῆσδε τήνδε ἡμῖν τὴν κακοεργασίαν ἀποδιδόασι, καὶ νῦν ἔτοι, τῆς ὑμετέρας ἕνεκα ἀρετῆς ὄντες οἵτινες εἰσί [92], δῃῶσί τε τὴν [93] ὑμετέραν, καὶ ἐλευθερῶσι τὰς ὑμετέρας δέλεας, καὶ ἐπάγεσιν ἐφ' ὑμᾶς παρανόμως καὶ παρασπόνδως, οἷς ὧδε [94] θέμις ἦν Ἡρακλειδῶν ἡγεμένων Ἀθηναίων [95] ἐπιβῆναι σὺν πολεμίοις ὅπλοις. ἀλλὰ γὰρ ἔτε θεὸς ἔτε ἀνθρώπες αἰδένται. ἃ γὰρ ἂν τάδε ἐποίεν [96]. ὑμεῖς [97], ἐὰν θεὸς θέλῃ, δίκην αὐτοῖς

 ἐπιθή-

mittantur. Nam alias denuntiabant supplices hoc ritu, iis, quibus supplicassent, si fiat, vt reiecti perirent, sanguinis sui poenas ipsos esse daturos, qui periclitantes, quos seruare potuissent, perire siuissent. De panno puniceo attigi ad Lysiam p. 253. verum illius panni alia ratio est, atque hic commemorati.

92. ὄντες οἵτινες εἰσὶ] qui istam tantam, qua nunc sunt terribiles, potentiam, soli debent commiserationi vestrae, qua moti eos tum praesenti eripiebatis exitio.

93. δῃῶσί τε τὴν] particulam τε arbitratu meo suffeci in locum particulae δὲ, quae est in vulgatis.

20. ψυχὴν ὁ πείσας] videtur ita leg. ψυχὴν ἦν ὁ πείσας. ἦν ἐπειδὴ ἔπεισεν, ἠνάγκασε.

21. poſt λόγας deeſſe videtur σκοπῶντα, vel ἐνθυμέμενον, vel tale quid, oportet intelligere, cogitando diſputationes aſtrologorum.

22. τὴν δὲ ἐργασάμενοι] malim τὴν δ' ἐνεργασ.

23. ἄπειστα] imo vero ἄπιστα.

24. ὡς εὐμετάβολον] Aut delendum eſt ὡς, aut potius interponendum eſt Εὔριπον. ad inſtar Euripi verſabilem, mutabilem efficiens fidem.

25. τάξιν] hic loci, et in continente, ſignificat hoc vocab. idem, quod φύσις, aut leg. φαρμ. κρᾶσις.

μάκων τάξις πρὸς τὴν τῶν σωμάτων φύσιν. ὥσπερ γὰρ τῶν φαρμάκων ἄλλα ἀλλαχῇ ἐκ τῆ σώματος ἐξάγει[26], καὶ τὰ μὲν νόσε, τὰ δὲ βίε παύει· ἕτω καὶ τῶν λόγων οἱ μὲν, ἐλύπησαν, οἱ δὲ, ἔτερψαν, οἱ δὲ, ἐφόβησαν, οἱ δὲ, εἰς θάρσος κατέςησαν τὲς ἀκέοντας, οἱ δὲ πειθοῖ τινι κακῇ τὴν ψυχὴν ἐφαρμάκευσαν, καὶ ἐξεγοήτευσαν. καὶ ὅτι μὲν εἰ λόγῳ ἐπείσθη[27] ἐκ ἠδίκησεν, ἀλλ' ἠτύχησεν, εἴρηται. τὴν δὲ τετάρτην αἰτίαν, τῷ τετάρτῳ λόγῳ διέξειμι. εἰ γὰρ ἔρως ἦν ὁ ταῦτα πράξας, ἐ χαλεπῶς διαφεύξεται τὴν τῆς λεγομένης γεγονέναι ἁμαρτίας αἰτίαν. καὶ γὰρ ὁρῶμεν ἐχ ἣν ἡμεῖς θέλομεν[28], ἀλλ' ἣν ἕκαστος ἔτυχε. διὰ δὲ τῆς ὄψεως ἡ ψυχὴ

26. ἐξάγει] id eſt ἔξεισι, vel ἐξέρχεται, ἐκκρίνεται. vt potionum medicatarum aliae aliis modis e corpore exeunt, vel externuntur, per vomitum, per alui deiectiones, per vrinam, per ſudorem, per ſaliuae fluxum, et ſic porro. ἀλλαχῇ accipio pro ἀλλαχῶς.

27. ἐπείσθη] Helena puta.

28. ἣν] ſubaudi ὅρασιν vel ὄψιν. malim tamen ἧ. qua ratione. ſententia eſt. nos homines non videmus eo pacto, quo volumus, ſed quo vt videret quaeque, fortuito ipſi contributum et fatale fuit. *Wir können nichts dafür, daſs wir (das iſt ein jeder von uns) nun juſt ſo ſieht, wie er ſieht, nicht allemal ſo wie er ſollte, oder auch ſelber gerne wollte.* Culpa noſtra non eſt, in eo quod ſaepe fit, vt oculis noſtris placeant ea, quae placent, non ea, quae nos ipſi vellemus nobis placere. Sed fors fortuita ſaepe nobis obiicit rerum in ſe foedarum et abhorrendarum ſpeciem, velut amabilem. *Wir ſehen mit verkehrten und bethörten Augen*, vt ſaepe noſtri nosmet ipſos pudeat atque poeniteat oculorum

ψυχὴ καινοῖς τρόποις τυπῆται. αὐτίκα γὰρ, ὅταν πολέμια σώματα καὶ πολέμιον ὁπλίτης [29] κόσμον χαλκῆ καὶ σιδήρᾳ, τῆ μὲν [30] ἀλεξητήριον· τῆ δὲ προβλήματα, εἰ θεάσεται ἡ ὄψις ἐταράχθη, καὶ ἐτάραξε τὴν ψυχήν. ὥστε πολλάκις κινδύνᾳ μέλλοντος ἀδέπω ὄντος, φεύγουσιν ἐκπλαγέντες [31], ἰσχυρῶς γὰρ ἡ ἀλήθεια τῆ νόμῳ [32] διὰ τὸν φόβον εἰσῳκίσθη [32 b]. τὸν ἀπὸ τῆς ὄψεως, ἥ τις ἐλθοῦσα ἐποίησεν ἀσμενίσαι [33], καὶ τῆ καλῆ τῆ διὰ τὸν νόμον κρινομένῃ, καὶ τῆ ἀγαθῆ τῆ διὰ τὴν δίκην [34] γιγνομένῃ. ἤδη δέ τινες ἰδόντες φοβερὰ καὶ τῆ παρόντος ἐν τῷ παρόντι φρονήματος ἐξέστησαν.

noſtrorum, tam in transuerſum actorum et peruerſe iudicantium.

29. ὁπλίσης] malim ὁπλίσηται. armaturam hoſtilem vel bellicam [h. e. ad vim ſeu depellendam ſeu inferendam comparatam] ſibi induerint, vel circumpoſuerint. Vel l. ἃ πολέμια σωμ. εἰς πολέμιον.

30. τῆ μὲν —] malim τὸν μὲν ἀλεξιτήριον, τὸν δὲ προβληματικὸν. aliud armorum genus ad vim inferendam, aliud ad arcendam.

31. poſt ἐκπλαγέντες deſunt nonnulla, quod praeter areolam in Aldina vacuam relictam, vel ipſa ſatis per ſe indicat oratio hiulca et inexplicabilis.

32. τῆ νόμῳ] lex deſignatur ex acie fugere vetans.

32 b. εἰσῳκίσθη] imo vero ἐξῳκίσθη. e mente emigrare cogitur. ſed neſcio, an parum tutum et lubricum ſit, coniecturis in loco tam lacero rem velle gerere.

33. ἀσμενίσαι] imo vero ἀμνημονῆσαι obliuiſci.

34. δίκην] nam iuſtitia, vt punit pauidos, ita fortes praemiis remuneratur.

ἔτως ἀπέσβεσε καὶ ἐξήλασεν ὁ φόβος τὸ νόημα. πολλοὶ δὲ ματαίαις νόσοις [35], καὶ δεινοῖς πόνοις καὶ δυσιάτοις μανίαις περιέπεσον. ἔτως εἰκόνας [36] τῶν ὁρωμένων πραγμάτων ἡ ὄψις ἀνέγραψεν ἐν τῷ φρονήματι. καὶ τὰ μὲν δειματῶντα πολλὰ μὲν παραλείπεται [37], ὅμοια δ' ἐπὶ τὰ παραλειπόμενα, οἷάπερ τὰ λεγόμενα. ἀλλὰ μὴν οἱ γραφεῖς ὅταν ἐκ πολλῶν χρωμάτων, καὶ σωμάτων ἓν σῶμα καὶ σχῆμα τελείως ἀπεργάσωνται, τέρπουσι τὴν ὄψιν. ἡ δὲ τῶν ἀνδριάντων ποίησις καὶ ἡ τῶν ἀγαλμάτων ἐργασία, ὅσον [38] ἡδεῖαν παρέσχετο τοῖς ὄμμασιν ὄψιν. ἔτω τὰ μὲν λιπεῖν [39], τὰ δὲ ποθεῖν [40] πέφυκεν ὄψιν. πολλὰ δὲ πολλοῖς πολλῶν ἔρωτα καὶ πόθον ἐνεργάζεται τῶν πραγμάτων. εἰ ἓν τῷ τᾶ Ἀλεξάνδρᾳ σώματι τὸ τῆς Ἑλένης ὄμμα ἡσθὲν προθυμίαν καὶ ἄμιλλαν ἔρωτος τῇ ψυχῇ παρέδωκε, τί θαυμαστὸν [41], ὃς εἰ

35. ματαίαις] num βαρείαις. an παλαιαῖς. a metu in morbos pertinaces atque diuturnos coniecti sunt.

36. ἔτως εἰκόνας] interpone aliquod epithetum. ἀνεξιτήλους, vel δυσεκνίπτους, vel tale quid.

37. f. πολλὰ, ἃ μοι παραλείπεται. Alius dixisset τῶν δειματούντων πολλὰ νῦν ὑπ' ἐμοῦ παραλείπεται.

38. ὅτον est exclamatio. ὅσον ἡδεῖαν o quam suauem!

39. λυπεῖν leg. videtur.

40. ποθεῖν bene si habet, accipi debet pro πρὸς πόθον ἐκκαίειν. quod est prorsus improbabile. quare malim τὰ δὲ πόθῳ ἐκκαίειν, vel κνίζειν, πέφυκε τὴν ὄψιν.

41. ὃς εἰ —] Leg. videtur ὃς εἰ μὲν, θεὸς ὢν, θείαν

ὃς εἰ μὲν θεὸς θεῶν θείαν δύναμιν κρατεῖ, πῶς ἂν ὁ ἧσσων εἴη τοῦτον ἀπώσασθαι καὶ ἀμύνασθαι δυνατός; εἰ δ' ἔξιν ἀνθρώπινον νόσημα, καὶ ψυχῆς ἀγνόημα, ἐχ ὡς ἁμάρτημα μεμπτέον, ἀλλ' ὡς ἀτύχημα νομιστέον[42]. ἦλθε γὰρ, ἦλθε ψυχῆς[43] ἀγρεύμασιν, ἐγνώμης βελεύμασι. καὶ ἔρωτος ἀνάγκαις, ἐτέχνης παρασκευαῖς. πῶς ἔν χρὴ δίκαιον ἡγήσασθαι τὸν τῆς Ἑλένης μῶμον; ἥτις εἴτ' ἐρασθεῖσα, εἴτε ὑπὸ θείας ἀνάγκης ἀναγκησθεῖσα[44] ἔπραξε, πάντως διαφεύγει τὴν αἰτίαν. ἀφεῖλον τῷ λόγῳ δύσκλειαν γυναικός. ἐνέμεινα τῷ νόμῳ, ὃν ἐθέμην ἐπ' ἀρχῇ[45] τοῦ λόγου. ἐπειράθην καταλῦσαι μώμου ἀδικίαν, καὶ δόξης ἀμαθείαν. ἐβελήθην γράψαι τὸν λόγον Ἑλένης μὲν ἐγκώμιον, ἐμὸν δὲ παίγνιον.

ἔχων δύναμιν, κρατεῖ. qui Cupido si propterea vincit, quod deus est, diuina pollens virtute.

42. νομιστέον] num ἄξιον ἐλέου νομιστέον.

43. ψυχῆς] imo vero τύχης. coeca quaedam fors homini hos laqueos iniecit, non ipse sese consulto in eos induit.

44. ἀναγκησθεῖσα] reliqui vitium Aldinae, dubia sanandi ratione. Num leg. συναρπασθεῖσα ἔπραξεν, ἃ ἔπραξε.

45. aut ἐπ' ἀρχῆς leg. in genitiuo, aut ἐν ἀρχῇ.

ΓΟΡΓΙΟΥ
ΥΠΕΡ ΠΑΛΑΜΗΔΟΥΣ
ΑΠΟΛΟΓΙΑ.

Ἡμὲν κατηγορία καὶ ἡ ἀπολογία, κρίσις ἐ περὶ θανάτε γίγνεται. θάνατον μὲν γὰρ ἡ φύσις φανερᾷ τῇ ψήφῳ πάντων κατεψηφίσατο τῶν θνητῶν ἥπερ ἡμέρᾳ ἐγένετο[1]· περὶ δὲ τῆς ἀτιμίας καὶ 24.
τῆς τιμῆς ὁ κίνδυνός ἐσι, πότερά με χρὴ δικαίως ἀποθανεῖν, ἢ μετ' ὀνειδῶν μεγίσων καὶ τῆς αἰσχίσης αἰτίας βιαίως[2] ἀποθανεῖν. δισσῶν δὲ τέτων ὄντων, τὸ μὲν ὅλε ὑμεῖς κρατεῖτε, τὸ δ' ἐγώ· τῆς 27.
μὲν δίκης[3], ἐγὼ, τῆς δὲ βίας, ὑμεῖς. ἀποκτεῖναι μὲν γὰρ δυνήσεσθε, βελόμενοι, ῥᾳδίως. κρατεῖτε γὰρ καὶ[4] τέτων, ὧν ἀδὲν ἐγὼ τυγχάνω κρατῶν. εἰ μὲν ἦν ὁ κατήγορος Ὀδυσσεὺς, ἢ σαφῶς ἐπιζάμενος

1. ἥπερ ἡμέρᾳ ἐγένετο] scil. ἔκαζα. qua die mortalia quaeque naſcuntur, ea die mortis ſententia in ea pronunciatur.

2. βιαίως] id eſt ἀδίκως.

3. δίκης] id eſt τῷ μετὰ δικαιοσύνης, vel ἀνυπευθύνως, ἀποθανεῖν. Cui opponitur ἡ βία, id eſt βιαίως, τετέζιν ἀδίκως ἀποθανεῖν.

4. κρατεῖτε γὰρ καὶ τέτων] videtur aut καὶ eſſe delendum, aut ſic leg. κρατεῖτε γὰρ ἐμοῦ καὶ τέτων.

νος προδιδόντα με τὴν Ἑλλάδα τοῖς βαρβάροις, ἢ δοξάζων γε [5] ἔτω ταῦτα ἔχειν, ἐποιεῖτο τὴν κατηγορίαν δι' εὔνοιαν τῆς Ἑλλάδος, ἄριστος ἂν ἦν ὁ ἀνήρ· (πῶς γὰρ ἄ [6]; ὅς γε σώζει πατρίδα, τοκέας, τὴν πᾶσαν Ἑλλάδα, ἔτι δὲ πρὸς τούτοις, τὸν ἀδικῆντα τιμωρέμενος;) εἰ δὲ φθόνῳ, ἢ κακοτεχνίᾳ, ἢ κακεργίᾳ συνέθηκε ταύτην τὴν αἰτίαν, ὥσπερ δι' ἐκεῖνα κράτιστος ἂν ἦν ἀνήρ, ἔτω διὰ ταῦτα κάκιστος ἀνὴρ περὶ τούτων. ἐγὼ δὲ πόθεν [7] ἄρξωμαι; τί δὲ πρῶτον εἴπω; ποῖ δὲ τῆς ἀπολογίας τράπωμαι; αἰτία γὰρ ἀνεπίδεικτος ἔκπληξιν ἐμφανῆ ἐμποιεῖ. διὰ δὲ τὴν ἔκπληξιν, ἀπορεῖν ἀνάγκη τῷ λόγῳ, ἂν μή τι παρ' αὐτῆς τῆς ἀληθείας καὶ τῆς παρέσης ἀνάγκης μάθω, διδασκάλων ἐπικινδυνοτέρων ἢ [8]

G 4 πορίμω-

5. δοξάζων γε] sic dedi auctore Stephano. vulgares pro particula dant με.

6. πῶς γὰρ ἄ;] eodem auctore particulam infitiantem addidi, qua vulgatae carent.

7. ἀνὴρ περὶ τούτων. ἐγὼ δὲ πόθεν ἄρξομαι] Num ἂν ἦν περιφανῶς πάντων. ἐγὼ δὲ π. ἄ. Aut sic ἂν ἦν. περὶ τούτων δ' ἐγὼ λέγων πόθεν ἄρξ.

8. ἐπικινδυνωτέρων ἢ πορίμωτέρων] Necessitatem quod appellat magistram rerum dicendarum, magis ancipitem, quam in inueniendo copiosam et ingeniosam, hoc fero, et laudo adeo, vt scite dictum et ex vero. Veritatem vero quod item ait magis valere defensores causarum capitalium in discrimen coniicere, quam iis idonea defensionis arma administrare, id vero cum miror, tum improbo et damno, vt veritati rerum repugnans. Ecquid enim sui defen-

ποριμωτέρων τυχών. ὅτι μὲν ἴσμεν σαφῶς [9] ὁ κατή- 39.
γορος κατηγορεῖ μου, σαφῶς οἶδα. σύνοιδα γὰρ ἐ-
μαυτῷ σαφῶς οὐδὲν τοιοῦτον πεποιηκώς· οὐδὲ οἶ-
δα ὅπως ἂν [10] εἰδείη τις ἢ τὸ μὴ γενόμενον. εἰ δὲ οἰόμε-
νος οὕτω ταῦτα ἔχειν, ἐποιεῖτο τὴν κατηγορίαν, οὐκ
ἀληθῆ λέγειν διὰ δισσῶν ὑμῖν ἐπιδείξω τρόπων. ὅ- 42.
τε γὰρ βουληθεὶς ἐδυνάμην ἄν, ὅτε δυνάμενος ἠβου-
λήθην ἐπιχειρεῖν τοιούτοις. ἐπὶ τοῦτον δὲ τὸν λόγον
εἶμι πρῶτον, ὡς ἀδύνατός εἰμι τοῦτο πράττειν. ἔ-
δει γάρ τινα πρῶτον ἀρχὴν γενέσθαι τῆς προδο-
σίας· ἡ δὲ ἀρχὴ λόγος ἂν εἴη. πρὸ γὰρ τῶν μελ- 188. I.
λόντων ἔργων ἀνάγκη λόγους γίνεσθαι πρότερον.
λόγοι δὲ πῶς ἂν γένοιντο, μὴ συνουσίας τινὸς γενο-
μένης; συνουσία δὲ τίνα τρόπον γένοιτ' ἄν, μήτ' ἐ- 3.
κεῖνος πρὸς ἐμὲ πέμψαντος, μήτε παρ' ἐμοῦ πρὸς ἐ-
κεῖνον ἐλθόντος [11]; οὐδὲ παραγγελία [12] διὰ γραμ-
μάτων ἀφῖκται ἄνευ τοῦ φέροντος. ἀλλὰ δὴ τοῦτο [13]
τῷ λό-

dendi et ſalutis adipiſcendae vias magis aperiat, quam veritas? quae ſi dicenda ſuggerere minus valet, nihil aliud valebit.

9. poſt ὁ σαφῶς addendum videtur εἰδὼς. ab accuſatore me accuſari non ex certa conſcientia criminis gnaro.

10. οὐδὲ οἶδ' ὅπως] Num ſic leg. οὐδέ ἐστιν ὅπως ἂν εἰδείη τις τὸ μὴ γενόμενον, neque fieri poteſt, vt tu factum ſcias id, quod nunquam factum ſit.

11. ἐλθόντος] ſubaudi τινὸς.

12. οὐδὲ παραγγελία] imo vero οὐδὲ γὰρ ἀγγελία.

13. ἀλλὰ δὴ τοῦτο] quidni potius ἀλλὰ δῆλον, ὅτι τοῦτο — ſed conſtat hoc fieri poſſe ſolo ſermonis mi-

τῷ λόγῳ δυνατὸν γενέσθαι· καὶ δή[14] τοίνυν σύνει-
6. μι, καὶ σύνεσι, κἀκεῖνος[15] ἐμοὶ, κἀκείνῳ ἐγώ. τίνα
τρόπον; τίνι τίς ὤν; Ἕλλην βαρβάρῳ; πῶς ἀ-
κέων καὶ λέγων; πότερα μόνος μόνῳ; ἀλλ' ἀγνοή-
σομεν τὰς ἀλλήλων λόγες. ἀλλὰ μεθ' ἑρμηνέως;
τρίτος ἄρα μάρτυς γίνεται τῶν κρύπτεσθαι δεομέ-
9. νων. ἀλλὰ δὴ καὶ τοῦτο γενέσθω, καίπερ οὐ γενό-
μενον. ἔδει δὲ μετὰ τούτες[16] πίστιν δοῦναι καὶ δέξα-
σθαι. τίς ἦν ἂν ἦν ἡ πίστις; πότερον ὅρκος; τίς ἦν
ἐμοὶ τῷ προδότῃ πιστεύειν[17] ἔμελλεν; ἀλλ' ὅμηροι; τί-
νες; οἷον, ἐγὼ τὸν ἀδελφὸν ἔδωκ' ἄν· (οὐ γὰρ εἶ-
12. χον ἄλλον) ὁ δὲ βάρβαρος, τῶν υἱέων τινά. πιστό-
τατα γὰρ ἦν ἔτως ἐμοί τε παρ' ἐκείνε, ἐκείνῳ τε
παρ' ἐμοῦ. ταῦτα δὲ γιγνόμενα, πᾶσιν ὑμῖν ἂν ἦν
φανερά. φήσει τις ὡς χρήμασι τὴν πίστιν ἐποιέμε-
θα, ἐκεῖνος μὲν, διδὰς, ἐγὼ δὲ, λαμβάνων. πό-
15. τερον ἓν ὀλίγοις; ἀλλ' ἐκ εἰκὸς ἀντὶ μεγάλων ὑπερ-
γημάτων ὀλίγα χρήματα λαμβάνειν. ἀλλὰ πολ-
λά; τίς ἦν ἦν ἡ κομιδή; πῶς δ' ἂν ἐκόμισεν; ἢ πολ-
λοί[18]; πολλῶν γὰρ κομιζόντων, πολλοὶ ἦσαν οἱ μάρ-

nisterio. Nam ad λόγῳ aut addendum est, aut certe subaudiendum μόνῳ.

14. δὴ] sic dedi auctore Stephano, pro vulgari δεῖ.

15. σύνεσι κἀκεῖνος] leg. videtur σύνεσιν ἐκεῖνος.

16. μετὰ τούτους] Stephanus vult μετὰ τούτοις. Ego malim aut μετὰ ταῦτα, aut potius μετὰ τούτῳ me huic barbaro.

17. πιστεύειν] malim πιστεύσειν in futuro.

18. ἢ πολλοί] Stephanus vult εἷς ἢ πολλοί; non

τυρες τῆς ἐπιβολῆς· ἑνὸς δὲ κομίζοντος, ἐκ ἂν πολύ τι τὸ φερόμενον ἦν. πότερα δὲ ἐκόμισαν ἡμέρας, 18.
ἢ νυκτός; ἀλλὰ [19] πολλαὶ καὶ πυκναὶ φυλακαί, δι' ὧν οὐκ ἔστι λαθεῖν. ἀλλὰ ἡμέρας; ἀλλά γε τὸ φῶς πολεμεῖ τοῖς τοιούτοις. εἶεν. ἐγὼ δ' ἐξελθὼν ἐδεξάμην, ἢ ἐκεῖνος ὁ φέρων εἰσῆλθεν; ἀμφότερα γὰρ ἄπορα. λαβὼν δὲ δὴ πῶς ἂν ἔκρυψα καὶ τὲς ἔνδον 21.
καὶ τὲς ἔξω; πῇ δ' ἂν ἔθηκα; πῶς δ' ἂν ἐφύλαξα; χρώμενος δὲ, φανερὸς ἂν ἐγενόμην [20]· μὴ χρώμενος δὲ, τί ἂν ὠφελούμην ἀπ' αὐτῶν; καὶ δὴ τοίνυν γενέσθω καὶ τὰ μὴ γενόμενα. συνήλθομεν, εἴπομεν, ἠκούσαμεν, χρήματα παρ' αὐτῶν 24.
ἐλάβομεν. ἔλαθον λαβὼν, ἔκρυψα. ἔδει δήπου πράττειν ὧν ἕνεκα ταῦτα ἐγένετο. τοῦτο τοίνυν ἔτι τῶν εἰρημένων ἀπορώτερον. πράττων μὲν γὰρ αὐτὸς ἔπραττον [21], ἢ μεθ' ἑτέρων, ἀλλ' οὐχ ἑνὸς ἡ πρᾶξις. ἀλλὰ μεθ' ἑτέρων; τίνων; δηλονότι * τῶν 27.
συνόντων [22]. πότερον ἐλευθέρων, ἢ δούλων; ἐλευθέ-

ροις

male. Possit quoque legi αὐτὸς; *ipsene?* [scil. ἐκόμισεν.] ἢ πολλοὶ; *an multi?* scil. ἐκόμισαν.

19. ἢ νυκτὸς. ἀλλὰ] Vocabulum medium videtur geminandum esse, ad hunc modum. ἢ νυκτὸς; νυκτὸς; ἀλλὰ.

20. Φανερὸς ἂν ἐγενόμην] particulam, qua vulgatae carent, auctore Stephano addidi.

21. ἔπραττον] sic in prima persona sing. auctore Stephano, pro vulgari ἔπραττεν in tertia.

22. τῶν συνόντων] sic dedi de meo, pro vulgari τῶν νῦν ὄντων.

ροις [23] μὲν γὰρ ὑμῖν σύνειμι. τίς ἔν ὑμῶν ξύνοιδε, λεγέτω. δήλοις δὲ πῶς ἂν ἄπιστον [24]; ἑκόντες γὰρ [25] ἐπ' ἐλευθερίᾳ, χειμαζόμενοί [26] τε δι' ἀνάγκην κατ-
30. ηγορεῖσιν. ἡ δὲ πρᾶξις πῶς ἐγένετο; δηλονότι τὰς πολεμίας εἰσαγαγεῖν ἔδει κρείττονας ὑμῶν· ὅπερ ἀδύνατον. πῶς ἂν ἔν εἰσήγαγον; πότερα διὰ πυλῶν; ἀλλ' ἂν ἐμοὶ [27] ταύτας [28] ἔτε κλείειν ἔτε ἀνοίγειν, ἀλλ' οἱ ἡγεμόνες [29] κύριοι τότων. ἀλλ'
33. ὑπὲρ τειχέων κλίμακος; οὔκουν [30]. ἅπαντα γὰρ πλή-

23. ἐλευθέροις etc.] traiecit, Homerico et Herodoteo more, cola. Ordo enim naturae consentaneus hic erat. τὶς ἔν ὑμῶν ξύνοιδε; λεγέτω. ἐλευθέροις μὲν γὰρ ὑμῖν [subaudi μόνοις] σύνειμι.

24. ἄπιστον] subaudi ἐστιν. malim tamen aut ἠπίστει ecqui non suspectam habuissem seruorum fidem? aut ἀπιστητέον.

25. ἑκόντες γὰρ] videtur τε esse interponendum.

26. χειμαζόμενοι] suspectum mihi est hoc vocabulum nimis tragicum, quam vt huic orationi, quamuis sophisticae, conueniat.

27. ἐμοὶ] malim ἐμὸν.

28. ταύτας dedi auctore Stephano, pro vulgari ταῦτα.

29. ἀλλ' οἱ ἡγεμόνες] articulum, quo vulgatae carent, eodem auctore addidi.

30. κλίμακος etc.] videtur locus sic esse integrandus. ἀλλ' ὑπὲρ τείχεων [scil. εἰσήγαγον ἂν τὰς πολεμίας εἰς τὸ στρατόπεδον,] διὰ κλίμακος. ἀκὴν συνειδότων τῶν φυλάκων. At fortasse tamen super moenia, per scalam, inducebam hostes in castra? Ergo conscriis custodibus debebat hoc fieri. vigiliis enim obsita erant omnia.

πλήρη Φυλάκων. ἀλλὰ διελὼν τῷ τείχους; ἅπασιν ἄρα φανερὰ γένοιτ' ἂν [31]. ὑπαίθριος γὰρ ὁ βίος· στρατόπεδον γάρ ἐστιν ἐν ὅπλοις, ἐν οἷς πάντα ὁρῶσι [32], καὶ πάντες ὑπὸ πάντων ὁρῶνται. πάντως ἄρα καὶ πάντη πάντα [33] πράττειν ἀδύνατον ἦν μοι. 36. σκέψασθε κοινῇ καὶ τόδε, τίνος ἕνεκα προσῆκε βεληθῆναι ταῦτα πράττειν, εἰ καὶ μάλιστα πάντων ἐδυνάμην. ἐδεῖς βέλεται προῖκα τὰς μεγίστας κινδύνους κινδυνεύειν, ἐδὲ τὴν μεγίστην κακότητα εἶναι [34] 39. κάκιστος. ἀλλ' ἕνεκα τούτων (καὶ αὖθις πρὸς τόδ' ἐπάνειμι.) πότερον τυραννεῖν; ὑμῶν, ἢ τῶν βαρβάρων; ἀλλ' ὑμῶν ἀδύνατον, τοσούτων καὶ τοιούτων, οἷς ὑπάρχει ἅπαντα μέγιστα, προγόνων ἀρεταί, χρημάτων πλῆθος, ἀρίστη, ἀλκὴ φρονημάτων, 42. βασιλεία πόλεων. ἀλλὰ τῶν βαρβάρων [35]; ὁ δὲ παρα-

31. γένοιτ' ἄν] subaudi ταῦτα. An deeſt ἡ ἐπιχείρησις, vel tale quid?

32. πάντα ὁρῶσι] interpone πάντες.

33. πάντα] imo vero ταῦτα.

34. num κακότητα ὑπομεῖναι, ὥστε δοκεῖν εἶναι κάκιστος, ἀλλ' ἕνεκα τοῦ ἀπολαύειν ἀγαθοῦ τινος παρὰ τούτων. nemo gratuito ſuſcipere vult ſummam ignominiam hanc, vt habeatur nequiſſimus, ſed ideo facit, quo emolumentum aliquod inde percipiat. Aut ſi ſupplementum hoc diſpliceat, ſaltim ſic ἀλλ' ἕνεκά τοῦ (enclitice) *ſed alicuius commodi gratia.* τίνος ἂν ἦν; ſcil. χάριν τούτοις ἐπεχείρησα. Cuiusnam ergo rei cauſa ego iſtaec conatus eſſem. πότερον τοῦ τυραννεῖν —

35. vocabulum βαρβάρων a ſe additum eſſe, quo caret Aldina, admonuit Stephanus.

παραδώσων τις; ἐγὼ δὲ ποίᾳ δυνάμει παραλήψομαι; Ἕλλην βαρβάρους; εἰς ὢν πολλούς; πείσας, ἢ βιασάμενος; ἔτε γὰρ ἐκεῖνοι πεισθῆναι βέλοιντ' ἂν, ἔτ' ἐγὼ βιάσασθαι δυναίμην. ἀλλ' ἴσως ἑκόντες ἑκόντι[36] παραδώσεσι[37], μισθὸν τῆς προδοσίας ἀντιδιδόντες; ἀλλά γε ταῦτα πολλῆς * ἢ μωρίας[38] καὶ πιστεῦσαι καὶ δέξασθαι. τίς γὰρ ἂν ἕλοιτο δουλείαν ἀντ' ἐλευθερίας; ἀντὶ τἀγαθοῦ τὸ κάκιστον; εἴπῃ τις, ὅτι πλέτου καὶ χρημάτων ἐρασθεὶς ἐπεχείρησα τούτοις. ἀλλὰ χρήματα μὲν μέτρια κέκτημαι, πολλῶν δὲ ἀθὲν δέομαι. πολλῶν γὰρ δέονται χρημάτων οἱ πολλὰ δαπανῶντες, ἀχ οἱ κρείττονες τῶν τῆς φύσεως ἡδονῶν, ἀλλ' οἱ δουλεύοντες ταῖς ἡδοναῖς, καὶ ζητοῦντες ἀπὸ πλέτου καὶ μεγαλοπρεπείας τὰς τιμὰς κτᾶσθαι. τέτων δὲ ἐμοὶ πρόσεσιν ἀθέν. ὡς δ' ἀληθῆ λέγω, μάρτυρα πιστὸν παρέξομαι τὸν παροιχόμενον βίον· τῷ δὲ μάρτυρι μάρτυρες ὑμεῖς ἦτε. σύνεσε γάρ μοι. διὸ σύνισε ταῦτα. καὶ μὴν ἀδ' ἂν τιμῆς ἕνεκα τοιέτοις ἔργοις ἀνὴρ ἐπιχειρήσειε καὶ μέσως Φρόνιμος. ἀπ' ἀρετῆς γὰρ, ἀλλ' ἀκ ἀπὸ κακότητος αἱ τιμαί. προδότῃ δὲ τῆς Ἑλλάδος ἀνδρὶ πῶς ἂν γένοιτο τιμή; πρὸς δὲ τέτοις, οὐδὲ τιμῆς ἀπετύγχανον[39] ἐνδεὴς ὤν. ἐτιμώμην γὰρ ἐντι-

36. ἑκόντι] id est βελησέντι παραλαβεῖν.

37. παραδώσεσι] subaudi, aut adde potius ἑαυτὰς.

38. πολλῆς ἢ μωρίας] sic dedi de meo, pro vulgari πολλῆς τιμωρίας. H. Stephanus suspicabatur leg. esse πολλῆς τινος μωρίας, aut πολλῆς ἐσι μωρίας.

39. ἀπετύγχανον] malim ἂν ἐτύγχανον. non

ἐντιμοτάτοις [40] ὑπὸ τῶν ἐντιμοτάτων, ὑφ' ὑμῶν, ἐπὶ σοφίᾳ. καὶ μὴν οὐκ ἀσφαλὲς [41], ὧν ἕνεκά τις ἂν ταῦτα πράξαι. πᾶσι γὰρ ὅ γε προδότης πολέμιος, τῷ νόμῳ, τῇ δίκῃ, τοῖς θεοῖς, τῷ πλήθει τῶν ἀνθρώπων. τὸν μέν γε νόμον [42] παραβαίνει, τὴν δίκην [43] καταλύει, τὸ δὲ πλῆθος διαφθείρει, τὸ δὲ θεῖον ἀτιμάζει· τῷ δὲ τοιούτῳ βίῳ περὶ κινδύ- 15.

carebam honore. E vulgari ſententia exſiſtit haec, non ideo honore carebam, quod pauper eſſem. quae ſententia ab h. l. eſt aliena. Nam de paupertate hic non agitur. Sed. v. Supplementa.

40. ἐντιμοτάτοις] Stephanus malebat ἐπὶ ἐντιμοτάτοις. volebat, ni fallor, dare ἐπὶ τοῖς ἐντιμοτάτοις. quod verum puto. docent inſequentia.

41. ἀσφαλὲς] imo vero ἀσφαλεῖς. fidendum illis non eſt, certi amici hi non ſunt, quibus tuto confidas, quorum gratiae atque beneuolentiae captandae ergo proditionem pares. Aut enim deferent te in periculis tuis, aut etiamſi te velint eripere, non poterunt tamen tot hoſtibus te eripere, qui te deprehenſum vrgebunt. Nemo enim non tibi tum erit infeſtus. Concurrent aduerſus te hoſtes vndique. Ius ciuile in te conſurget, (ὁ νόμος) nec non ἡ δίκη, quae eſt ſiue aequitas a natura generi humano inſita, ſiue animaduerſio et punitio ſcelerum. Erit ergo ὁ νόμος, ἡ δίκη idem ac ſi dixiſſet κατεδικασθήσῃ, καὶ κολασθήσῃ διὰ τὸν νόμον. Sed inſequentia docent vocabulo δίκης hic deſignari ius naturae, ſeu ſenſum aequi et iuſti a natura humano generi impreſſum.

42. γε νόμον] ſic emendauit Stephanus Aldinae vitium γενόμενον. γε h. l. tantundem valet atque γὰρ.

43. τὴν δίκην] interpone δὲ.

κινδύνων τῶν μεγίστων οὐδ' ἔχει [44] ἀσφάλειαν ἀλ-
18. λὰ δὴ Φίλης ὠφελεῖν βουλόμενος [45], ἢ πολεμίους
βλάπτειν; καὶ γὰρ τούτων ἕνεκα τὶς ἂν ἀδικήσειεν.
ἐμοὶ δὲ πᾶν τἀναντίον ἐγίνετο· τὰς μὲν Φίλης κα-
κῶς ἐποίουν, τὰς δ' ἐχθρὰς ὠφέλουν. ἀγαθῶν μὲν
ὧν ἔκτισιν [46] ἀδεμίαν εἶχεν ἡ πρᾶξις· κακῶς δὲ πα-
21. θεῖν ἁδὲ εἰς ἐπιθυμῶν πανεργεῖ. τὸ δὲ λοιπόν ἐστιν [47],
εἴ τινα φόβον ἢ πόνον ἢ κίνδυνον φεύγων ἔπραξα.
ταῦτα [48] δὲ ἀθεὶς ἂν εἰπεῖν ἔχοι τί μοι προσήκειν.
δισσῶν γὰρ τούτων ἕνεκα πάντες πάντα πράττου-
σιν, ἢ κέρδος τι μετιόντες, ἢ ζημίαν φεύγοντες. ὅ-
24. σα δὲ τούτων ἔξω πανεργεῖταμ [49] * ὡς δὲ κα-
κῶς

44. ἀδ' ἔχει] imo vero ἀδὲν ἔχει. nihil est, quod talem vitam [h. e. vitam talis hominis, a tot et tam formidandis hostibus sepți et exagitati] tueatur.

45. βελόμενος] aptum hoc est e praemissis ἔγωγ' ἂν ἐπεχείρησα τῇ προδοσίᾳ.

46. ἔκτισιν] imo vero κτῆσιν. ne vllum quidem genus bonorum, vel emolumentorum hoc facinore adeptus essem. nullum mihi fructum parere poterat hoc facinus.

47. λοιπόν ἐστιν] interponendum videtur σκοπεῖν, vel ζητεῖν. Nam τὸ λοιπὸν est aduerbiale. Superest vt quaeratur, num discrimen aliquod —

48. ἔπραξα. ταῦτα δὲ ἀθεὶς] leg. et interstinguendum videtur esse sic ἔπραξα ταῦτα. τούτων δὲ ἀθεὶς. Non eodem redeunt ταῦτα et τούτων. illud redit ad proditionem, hoc ad ignauiam et formidinem.

49. post πανεργεῖταμ asteriscо indicant vulgares editiones defectum, qui non magnus esse videtur. vno vocabulo μανίᾳ, aut παρανοίᾳ, aut φρενοβλαβείᾳ sar-

κῶς ἐμαυτὸν ἐποίουν ταῦτα πράττων, ἐκ ἄδηλον. προδίδων [50] γὰρ τὴν Ἑλλάδα, προδίδων ἐμαυτὸν, τοκέας, φίλους, ἀξίωμα προγόνων, ἱερὰ πατρῷα, τάφους, πατρίδα, τὴν μεγίστην [51] τῆς Ἑλλάδος. ἃ 27. δὲ πᾶσι περὶ παντός ἐστι, ταῦτα ἂν τοῖς ἀδικηθεῖσιν ἐνεχείρισα. σκέψασθε δὲ καὶ τόδε, πῶς ἐκ ἂν ἀβίωτος ἦν ὁ βίος μοι πράξαντι ταῦτα. ποῖ γὰρ τραπέσθαί μ' ἐχρῆν; πότερον εἰς τὴν Ἑλλάδα, δίκην δώσοντα τοῖς ἠδικημένοις; τίς δ' ἂν ἀπείχετό 30. μου τῶν κακῶς πεπονθότων; ἀλλὰ μένειν ἐν τοῖς βαρβάροις; παραμελήσαντι [52] πάντων τῶν μεγίστων, ἐστερημένῳ τῆς καλλίστης τιμῆς, ἐν αἰσχίστῃ δυσκλείᾳ διάγοντα, τοὺς ἐν τῷ παροιχομένῳ βίῳ πόνους ἐπ' ἀρετῇ πεπονημένους ἀποβρίψαντα, καὶ 33. ταῦτα δι' ἐμαυτὸν, ὅπερ αἴσχιστον ἀνδρὶ, δυστυχεῖν δι' αὐ-

ciri possit hiatus, siue praeponatur vocabulo πανουργεῖται, siue postponatur. Post ἔξω figendum est comma, et aut γίγνεται subaudiendum est, aut idem πανουργεῖται a communi. quaecunque autem scelera patrantur extra has duas causas, [id est a neutra earum manantia] ea patrantur mero furore.

50. προδίδων] imo vero προδιδοὺς. nam si Graeciam prodidissem, memet ipse prodidissem.

51. τὴν μεγίστην] aut adde, aut subaudi certe πόλιν.

52. παραμελήσαντι et ἐστερημένῳ] imo vero παραμελήσαντα in accusatiuo, et ἐστερημένον. qui accusatiui apti sunt e praemisso ἐχρῆν με. Confirmant insequentes accusatiui διάγοντα et ἀποβρίψαντα, quos cum datiuis mutari iubens Stephanus, falsus fuit.

δι' αὐτόν. ἃ μὴν οὐδὲ παρὰ τοῖς βαρβάροις πιστῶς
ἂν διεκείμην [53]. πῶς γάρ; οἵτινες ἀπιστότατον [54]
ἔργον συνηπίσαντό μοι πεποιηκότι, τὰς φίλας τοῖς
36. ἐχθροῖς παραδεδωκότι; βίος δὲ ὁ βιωτὸς πίστεως
ἐστερημένῳ. χρήματα μὲν γὰρ ἀποβαλόντα [55], τυ-
ραννίδος [56] ἐκπεσόντα, ἢ τὴν πατρίδα φυγόντα,
ἀναλάβοι τις ἄν· ὁ δὲ πίστιν ἀποβαλὼν, ἐκ ἂν ἔτι
κτήσαιτο. ὅτι μὲν ἦν ἐδ' ἂν ἐβελόμην προδοῦναι
39. τὴν Ἑλλάδα, διὰ τῶν προειρημένων δέδεικται. βέ-
λομαι δὲ μετὰ ταῦτα πρὸς τὸν κατήγορον διαλε-
χθῆναι. Τίνι ποτὲ πιστεύσας, τοιοῦτος ὢν τοιούτου
κατη-

53. πιστῶς ἂν διεκείμην] neque illi mihi fidem habuiſſent, neque ego rurſus illis potuiſſem fidere.

54. ἀπιστότατον ἔργον] norant mecum me facinus patraſſe id, quod qui patrarit, is fidem omnium hominum et meretur et inuenit minimam.

55. ἀποβαλόντα — ἐκπεσόντα — φυγόντα] Accuſatiuos hos ſi probamus, exſiſtit ſententia, in ſe quidem illa, ſeorſim ſumta, ſatis bona. Hominem, qui fortunas amiſerit, aut tyrannide exciderit, aut in exſilium actus patria careat, ſit forte, qui hoſpitio accipiat. verum illa ſententia ab auctoris mente aberrat, hoc dicere volentis, vt e ratiocinii natura colligitur, qui rebus modo enumeratis priuatus aliquo ſiniſtro caſu fuerit, fieri poſſe, vt is eas aliquando recuperet; fidem vero ſemel amiſſam nullo modo poſſe recuperari. Quapropter euidens eſt, accuſatiuos illos mutari cum nominatiuis oportere, ἀποβαλὼν, ἐκπεσὼν et φυγών.

56. τυραννίδος] praepone ἢ.

κατηγορεῖς; ἄξιον [57] γὰρ καταμαθεῖν οἷος ὤν. οἶδάς γε ἴσως ἀνάξιος ἀναξίῳ. πότερα γάρ με κατηγορεῖς, εἰδὼς ἀκριβῶς, ἢ δοξάζων; εἰ μὲν γὰρ εἰ- 42.
δὼς [58], οἶσθα ἰδὼν [59], ἢ μετέχων [60], ἤ τε πυθόμενος. εἰ μὲν ἔν εἰδὼς [61], φράσον τούτοις τὸν τόπον, τὸν χρόνον, πότε, πῇ [62], πῶς εἶδες· εἰ δὲ μετέχων, ἔνοχος εἶ ταῖς αὐταῖς αἰτίαις. εἰ δέ τε μετέχοντος ἀκούσας [63], ὅστις ἐστὶν, αὐτὸς ἐλθέτω, 190. I.
φανήτω, μαρτυρησάτω. πιστότερον γὰρ ἔτως ἔσται τὸ κατηγόρημα μαρτυρηθέν. ἐπεὶ νῦν γε ἀδέτερος ἡμῶν παρέχεται μάρτυρα. φήσεις ἴσως σὸν εἶναι 3.
τέ γε τῶν γενομένων (ὡς σὺ φῂς) μὴ παρέχεσθαι μάρτυρας· τῶν δὲ μὴ γενομένων, ἐμέ. τὸ δὲ οὐκ ἴσον ἐστί. τὰ μὲν γὰρ ἀγένητα πῶς ἂν εἴη δυνατὰ μαρτυρηθῆναι; περὶ δὲ τῶν γενομένων ἐ μόνον ἐκ
ἀδύνα-

57. ἄξιον — ἀναξίῳ] Locum hunc non intelligo. v. Supplementa.

58. εἰδὼς] subaudi κατηγορεῖς με ταῦτα. εἰδὼς hic est pro ἀκριβῶς, καὶ ἀτρεκέως, καὶ σαφῶς.

59. οἶσθα ἰδὼν] malim ἢ interponi. subaudi με ταῦτα ποιοῦντα.

60. μετέχων] malim μετασχών. ob praemissum ἰδὼν et insequens πυθόμενος.

61. εἰδὼς] imo vero εἶδες. si vidisti. H. Stephanus malebat ἰδὼν.

62. πότε, πῇ] ingeminatio haec est rhetorica, qua quaeritur hoc, vt vis et robur orationi addatur. idem enim istaec dicunt, atque praemissa τὸν τόπον, τὸν χρόνον.

63. ἀκούσας] potest κατηγορεῖς subaudiri, malim tamen ἤκουσας.

6. ἀδύνατον, ἀλλὰ καὶ ῥάδιον· οὐδὲ μόνον ῥάδιον [64], ἀλλὰ σοὶ μὲν οὐκ ἦν οἷόν μόνον μάρτυρας, ἀλλὰ καὶ ψευδομάρτυρας εὑρεῖν, ἐμοὶ δὲ οὐδέτερον εὑρεῖν τούτων ἀδύνατον [65]. ὅτι μὲν οὖν οὐκ οἶσθα ἃ κατηγορεῖς, φανερόν· τὸ δὲ λοιπόν, μὴ εἰδότα σε δοξάζειν.
9. εἶτα, ὦ πάντων ἀνθρώπων τολμηρότατε, δόξῃ πιστεύσας, ἀπιστοτάτῳ πράγματι, τὴν ἀλήθειαν ἐκ εἰδὼς, τολμᾷς ἀνδρα περὶ θανάτου διώκειν; ᾧ τί τοιοῦτον ἔργον εἰργασμένῳ σύνοισθα; ἀλλὰ μὴν τό γε δοξάσαι κοινὸν ἅπασι περὶ πάντων, καὶ οὐδὲν ἐν τού-
12. τῳ σὺ τῶν ἄλλων σοφώτερος. ἀλλ' ἔστε τοῖς δοξάζουσι δεῖ πιστεύειν, ἀλλὰ τοῖς εἰδόσιν· ἔστε τὴν δόξαν τῆς ἀληθείας πιστοτέραν νομίζειν, ἀλλὰ τἀναντία, τὴν ἀλήθειαν τῆς δόξης. κατηγόρησας δέ μου διὰ τῶν εἰρημένων λόγων δύο τὰ ἐναντιώτατα, σοφίαν
15. καὶ μανίαν· ὥσπερ [66] οὐκ οἷόν τε τὸν αὐτὸν ἄνθρωπον ἔχειν. ὅπου μὲν γάρ με φῂς εἶναι τεχνήεντά τε καὶ δεινὸν καὶ πόριμον, σοφίαν μου κατηγορεῖς· ὅπου δὲ λέγεις, ὡς προὐδίδων τὴν Ἑλλάδα, μανίαν. μανία γάρ ἐστιν ἔργοις ἐπιχειρεῖν ἀδυνάτοις, ἀσυμ-
18. φόροις, αἰσχροῖς, ἀφ' ὧν τις τοὺς μὲν φίλους βλάψει, τοὺς δ' ἐχθροὺς ὠφελήσει, τὸν δὲ αὑτοῦ βίον

64. οὐδὲ μόνον —] videtur hic locus ita esse constituendus οὐδὲ μόνον ῥάδιον, ἀλλὰ καὶ δίκαιον, καὶ πάνυ ἀναγκαῖον. σοὶ μὲν οὖν ἦν οὐ μόνον μάρτυρας —

65. ἀδύνατον] imo vero δυνατὸν.

66. ὥσπερ] Stephanus malebat ἅπερ aut ἄσπερ. ego malim ὥπερ in duali.

ἐπονείδιστον καὶ σφαλερὸν κατασῆσαι. καίτοι πῶς
χρὴ ἀνδρὶ τοιούτῳ πιστεύειν, ὅστις τὸν αὐτὸν λόγον
λέγων πρὸς τοὺς αὐτοὺς ἄνδρας, περὶ τῶν αὐτῶν τὰ
ἐναντιώτατα λέγει; βούλοιμην δ' ἂν παρὰ σοῦ πυ- 21.
θέσθαι, πότερον τοὺς σοφοὺς ἄνδρας νομίζεις ἀνοήτους,
ἢ φρονίμους. εἰ μὲν γὰρ ἀνοήτους, κενὸς ὁ λόγος,
ἀλλ' οὐκ ἀληθής· εἰ δὲ φρονίμους, οὐ δήπου προσ-
ήκει τούς γε φρονοῦντας ἐξαμαρτάνειν τὰς μεγί-
στας ἁμαρτίας, καὶ μᾶλλον αἱρεῖσθαι κακὰ πρότε- 24.
ρον τῶν ἀγαθῶν. εἰ μὲν ἔν εἰμι σοφός, οὐχ ἥμαρ-
τον· εἰ δ' ἥμαρτον, οὐ σοφός εἰμι. ὀκνῶ δ' ἀμφότερα ἂν εἴης ψευδής. ἀντικατηγορῆσαι δέ σου πολ-
λὰ καὶ μεγάλα καὶ παλαιὰ καὶ νέα πράσσοντος δυ-
νάμενος, ἐβούλομαι. βούλομαι γὰρ οὐ τοῖς σοῖς κακοῖς, 27.
ἀλλὰ τοῖς ἐμοῖς ἀγαθοῖς ἀποφεύγειν τὴν αἰτίαν
ταύτην. πρὸς μὲν ἕν σε ταῦτα. πρὸς ὑμᾶς [67], ὦ
ἄνδρες κριταί, περὶ ἐμοῦ βούλομαι εἰπεῖν ἐπίφθονον
μὲν, ἀληθὲς δὲ, κατηγορημένου [68] μὲν οὐκ ἀνεκτὰ,
κατηγορεμένου δὲ ἃ προσήκοντα. νῦν γὰρ ἐν ὑμῖν 30.
εὐθύνας καὶ λόγον ὑπέχω τοῦ παροιχομένου βίου. δέο-
μαι δ' ὑμῶν, ἂν ὑμᾶς ὑπομνήσω τῶν ἐμοί τι πε-
πραγμένων καλῶν, μηδένα φθονῆσαι τοῖς λεγομέ-
νοις, ἀλλ' ἀναγκαῖον ἡγήσασθαι, κατηγορημένον 33.
δεινὰ [69] καὶ ψευδῆ, καί τι τῶν ἀληθῶν ἀγαθῶν
εἰπεῖν,

67. πρὸς ὑμᾶς] interponi vult Stephanus δ'.

68. idem est, ac si dixisset, κατηγορεμένου τὰ μὲν οὐκ ἀνεκτὰ, τὰ δὲ οὐ προσήκοντα.

69. δεινὰ] sic emendaui, auctore Stephano, vulgatarum vitium δεῖν.

εἰπεῖν, ἐν εἰδόσιν[70] ὑμῖν. * ὅπερ ἥδιστόν[71] μοι πρῶτον μὲν ἓν καὶ δεύτερον μέγιστον[72], διὰ παντὸς ἀπ' ἀρχῆς εἰς τέλος ἀναμάρτητος ὁ παροιχόμενος βίος
36. ἐστί μοι, καθαρὸς πάσης αἰτίας. εἰδεὶς γὰρ ἂν ἐδεμίαν αἰτίαν κακότητος ἀληθῆ πρὸς ὑμᾶς περὶ ἐμοῦ εἰπεῖν ἔχοι. καὶ γὰρ οὐδ' αὐτὸς ὁ κατήγορος ἐδεμίαν ἀπόδειξιν εἴρηκεν ὧν εἴρηκεν· ἕτω λοιδορίαν οὐκ ἔχουσαν ἔλεγχον ὁ λόγος αὐτῷ δύναται. φή-
39. σαιμι δ' ἄν, καὶ φήσας ἐκ ἂν ψευσαίμην, εἰδ' ἂν ἐλεγχθείην, ἐ μόνον ἀναμάρτητος, ἀλλὰ καὶ μέγας εὐεργέτης ὑμῶν καὶ τῶν Ἑλλήνων, καὶ τῶν ἁπάντων ἀνθρώπων, ἕκεν[73] τῶν νῦν ὄντων, ἀλλὰ τῶν μελλόντων εἶναι[74]. τίς γὰρ[75] ἂν ἐποίησε τὸν
42. ἀνθρώπινον βίον πόριμον ἐξ ἀπόρου, καὶ κεκοσμη-

 μένον

70. ἐν εἰδόσιν ὑμῖν bene habet, tametsi Stephanus censuit leg. esse ἐν εἰδόσι δ' ὑμῖν.

71. ὅπερ ἥδιστον] hic dedi de meo, duobus vocabulis pro vno vitioso, quod in vulgatis est, ὑπερήδιστον. id quod mihi est iucundissimum, scil. coram iis dicendum mihi esse, qui de veritate dicendorum non docendi sint, sed ea iam ipsi certo habeant cognita.

72. μέγιστον] malim καὶ μέγιστον.

73. ἕκεν] sententia subiicit ἐ μόνον τῶν νῦν ὄντων, ἀλλὰ καὶ τῶν μελλόντων, [vel si mauis, ἀλλὰ καὶ τῶν ἔσεσθαι μελλόντων,] εἶναι.

74. εἶναι non cohaeret cum μελλόντων, sed cum φήσαιμι. Ad μελλόντων subauditur ἔσεσθαι. Constructio haec est φήσαιμι ἂν εἶναι ἀναμάρτητος — καὶ εὐεργέτης — τῶν μελλόντων ἔσεσθαι.

75. τὶς γὰρ ἄν] malim τὶς γὰρ μᾶλλον ἄν.

μένον ἐξ ἀκόσμε, τάξεις [76] τε πολεμικὰς εὑρὼν, μέγιστον εἰς [77] πλεονεκτήματα, νόμες τε [78] γραπτὲς, φύλακάς τε τῇ δικαίᾳ, γράμματά τε, μνήμης ὄργανον, μέτρα τε καὶ ςαθμὰ, συναλλαγῶν εὐπόρες διαλλαγὰς [79], ἀριθμόν τε χρημάτων φύ- 191.I.
λακα; πυρσές τε, κρατίςες καὶ ταχίςες ἀγγέλες; πεσσές τε σχολῆς ἄλυπον διατριβήν; τίνος ἂν ἕνεκα ταῦθ' ὑμᾶς ὑπέμνησα; δῆλον [80] οὐ τοῖς 3.
τοιέτοις τὸν νοῦν προσέχων, σημεῖον δὲ ποιέμενος, ὅτι τῶν αἰσχρῶν καὶ τῶν κακῶν ἔργων ἀπέχομαι. τὸν γὰρ ἐκείνοις [81] τὸν νῆν προσέχοντα, τοῖς τοιέτοις [82] προσέχειν ἀδύνατον. ἀξιῶ δὲ, εἰ μηδὲν αὐτὸς

76. τάξεις] malim ἢ ἐγὼ τάξεις.

77. μέγιστον] id est χρῆμα, vel ἔργον μέγιστον. quae res est ad emolumentum fructuosissima. εἰς πλεονέκτημα. nam sic leg. est.

78. malim sic legi et distingui, νόμες τε, [subaudi ἐξευρὼν a communi] γραπτὲς φύλακας τῇ δικαίᾳ. leges, custodes illos aequi et iusti, non viuos et spirantes, sed literis consignatos.

79. διαλλαγὰς] malim διαλλακτὰς.

80. δῆλον ἅ] interponendum esse ὅτι admonet Stephanus, quod ὅτι cum amplector, tum aio sic esse leg. δηλῶν, ὅτι τοῖς τοιέτοις τὸν νῆν προσέχω (in prima persona singul. indicatiui.) partim, vt significem huiusmodi rebus me animum habere intentum, partim vt ex eo argumentum ducam, me a studiis turpibus et perniciosis animum habere alienatum.

81. ἐκείνοις] paulo ante recensitis sapientiae studiis.

82. τοιέτοις] scil. turpibus et perniciosis, qualia Vlysses ipsi exprobrauerat.

6. τὸς ὑμᾶς ἀδικῶ, μηδὲ αὐτὸς ὑφ' ὑμῶν ἀδικηθῆναι. καὶ γὰρ οὐδὲ τῶν ἄλλων ἐπιτηδευμάτων οὕνεκα ἄξιός εἰμι κακῶς πάσχειν, οὔθ' ὑπὸ νεωτέρων, οὔθ' ὑπὸ πρεσβυτέρων. τοῖς μὲν γὰρ πρεσβυτέροις ἄλυπός εἰμι, τοῖς δὲ νεωτέροις οὐκ ἀνωφελής· τοῖς εὐτυχοῦ-
9. σιν οὐ φθονερὸς, τῶν δυςυχούντων οἰκτείρμων· οὐδὲ πενίας ὑπερορῶν, οὐδὲ πλοῦτον ἀρετῆς, ἀλλ' ἀρετὴν πλούτου προτιμῶν· οὔτε ἐν βουλαῖς ἄχρηςος, οὔτε ἐν μάχαις ἀργῶς ποιῶν τὸ προστασσόμενον [83], πειθόμενος τοῖς ἄρχουσιν. ἀλλὰ γὰρ οὐκ ἐμὸν ἐμαυτὸν
12. ἐπαινεῖν· ὁ δὲ παρὼν καιρὸς ἠνάγκασε, καὶ ταῦτα [84] κατηγορημένον, πάντως ἀπολογήσασθαι. Λοιπὸς δὲ περὶ ὑμῶν πρὸς ὑμᾶς ἔςι μοι λόγος, ὃν εἰπὼν παύσομαι τῆς ἀπολογίας. οἶκτος μὲν οὖν καὶ λιταὶ καὶ φίλων παραίτησις, ἐν ὄχλῳ μὲν οὔσης
15. τῆς κρίσεως, χρήσιμα· παρὰ δ' ὑμῖν [85] τοῖς πρώτοις οὖσι τῶν Ἑλλήνων καὶ δοκοῦσιν, οὐ φίλων βοηθείαις, οὐδὲ λιταῖς, οὐδὲ οἴκτοις δεῖ πείθειν ὑμᾶς, ἀλλὰ τῷ σαφεςάτῳ δικαίῳ, διδάξαντα τἀληθὲς, οὐκ ἀπατήσαντά, με δεῖ διαφυγεῖν τὴν αἰτίαν ταύτην.
18. ὑμᾶς δὲ χρὴ μὴ τοῖς λόγοις μᾶλλον, ἢ τοῖς ἔργοις προσέχειν τὸν νοῦν, μηδὲ τὰς αἰτίας τῶν ἐλέγχων

83. τὸ προστασσόμενον] ſic dedi de meo, cum praepoſitione, pro τὸ τασσόμενον, ſimplici, ſine praepoſitione, quod in vulgatis eſt.

84. καὶ ταῦτα] malim εἰς interponi. etiam his de rebus accuſatum. de moribus meis puta.

85. παρὰ δ' ὑμῖν] ſubaudi a communi, aut adde potius, οὔσης.

προκρίνειν, μηδὲ τὸν ὀλίγον χρόνον τῇ πολλῇ σοφώτερον ἡγεῖσθαι κριτήν, μηδὲ τὴν διαβολὴν τῆς πείρας πιστοτέραν νομίζειν. ἅπαντα[86] γὰρ τοῖς ἀγαθοῖς ἀνδράσι μεγάλης εὐλαβείας[87], ἁμαρτάνειν, τὰ δὲ ἀνήκεστα τῶν ἀκεστῶν[88] ἔτι μᾶλλον. ταῦτα[89] γὰρ προνοήσασι μὲν δυνατὰ[90], μετανοήσασι δὲ ἀνίατα. τῶν δὲ τοιούτων ἐστὶν, ὅταν ἄνδρες ἄνδρα περὶ θανάτου κρίνωσιν· ὅπερ ἐστὶ νῦν παρ' ὑμῖν. εἰ μὲν οὖν ἦν διὰ τῶν λόγων τὴν ἀλήθειαν τῶν ἔργων καθαρὰν γενέσθαι τοῖς ἀκούσι φανεράν, εὔπορος ἂν[91] εἴη κρίσις ἡ διὰ τῶν εἰρημένων· ἐπειδὴ δὲ οὐχ οὕτως ἔχει, τὸ μὲν σῶμα τοῦτον φυλάξατε, τὸν δὲ πλείω χρόνον ἐπιμείνατε, μετὰ δὲ τῆς ἀληθείας τὴν κρίσιν ποιήσατε. ὑμῖν μὲν γὰρ μέγας ὁ κίνδυνος, ἀδίκοις φανεῖσι, δόξαν τὴν μὲν καταβαλεῖν, τὴν δὲ κτήσασθαι. τοῖς δὲ ἀγαθοῖς ἀνδράσιν αἱρετώτερος θάνατος δόξης αἰσχρᾶς. ὁ μὲν γὰρ, τῷ βίῳ τέλος· ἡ δὲ, τῷ βίῳ νόσος. ἐὰν δὲ ἀδίκως

21.

24.

27.

86. ἅπαντα γὰρ] interpone μὲν.

87. εὐλαβείας, ἁμαρτάνειν] interpone ἄξια, ὥστε μὴ — Rebus quidem in omnibus viros bonos et probos par est cauere, ne labantur.

88. τῶν ἀκεστῶν] sic dedi auctore Stephano, pro vulgari τῶν ἀνηκέστων. Possis quoque τῶν εὐηκέστων.

89. ταῦτα γὰρ] scil. τὰ ἀνήκεστα.

90. ad προνοήσασι μὲν adde φυλάξασθαι. prouidentia possunt caueri.

91. malim verba sic strui. εὔπορος ἂν ἡ κρίσις εἴη διὰ τῶν εἰρ.

30. ἀδίκως ἀποκτείνητέ με, πολλοῖς γενήσεται φανερόν. ἐγώ τε γὰρ οὐκ ἀγνὼς [92], ὑμῖν τε παρὰ πᾶσιν Ἕλλησι γνώριμος ἡ κακότης καὶ φανερά. καὶ τὴν αἰτίαν φανερὰν ἅπασιν [93] ὑμεῖς ἔξετε τῆς ἀδικίας, οὐχ ὁ κατήγορος. ἐν ὑμῖν γὰρ τὸ τέλος ἔχει τῆς δί-
33. κης [94]. ἁμαρτία δ' οὐκ ἂν γένοιτο μείζων ταύτης. ὃ γὰρ μόνον εἰς ἐμὲ καὶ τοκέας τοὺς ἐμοὺς ἁμαρτήσεσθε δικάσαντες ἀδίκως, ἀλλ' ὑμῖν αὐτοῖς δεινόν, ἄθεον, ἄδικον, ἄνομον ἔργον συνεπισήσεσθε πεποιηκότες, ἀπεκτονότες ἄνδρα σύμμαχον, χρήσιμον
36. ὑμῖν, εὐεργέτην τῆς Ἑλλάδος, Ἕλληνες Ἕλληνα, φανερὰν οὐδὲ μίαν ἀδικίαν οὐδὲ πιστὴν αἰτίαν ἀποδείξαντες. εἰρηται τὰ παρ' ἐμοῦ, καὶ παύομαι. τὸ γὰρ ὑπομνῆσαι τὰ διὰ μακρῶν εἰρημένα συντόμως, πρὸς μὲν φαύλους δικαστὰς ἔχει λόγον, τοὺς δὲ πρώ-
39. τους τῶν πρώτων, Ἕλληνας Ἑλλήνων, οὐκ ἄξιον, οὐδ' ἀξιῶσαι [95] μήτε προσέχειν τὸν νοῦν, μήτε μεμνῆσθαι τὰ λεχθέντα.

92. οὐκ ἀγνὼς] sic dedi auctore Stephano, pro vulgari ἀγνοὺς, sine οὐκ.

93. rursus eodem auctore ἅπασιν in locum vulgati ἅπασαν suffeci. Malim tamen ἐν ἅπασιν.

94. ἔχει τῆς δίκης] Aut ἔχει ἡ δίκη leg. aut ἐστὶ τῆς δίκης, aut denique ἔχω in prima persona.

95. ἀξιῶσαι] malim ἀξιώσαιμι. neque conuenit, neque ego equidem vnquam conuenire censebo.

DAVIDIS RVHNKENII V. C.
HISTORIA CRITICA
ORATORVM GRAECORVM.
EX EIVSDEM
RVTILIO LVPO
HVC TRANSLATA

Saepe et ipse miratus sum, et alios arbitror miraturos, quid sit, quare Gorgias, cuius librum e Graeco vertit Rutilius, in summa exemplorum, quae decem Oratores Attici suppeditabant, copia, tamen permulta sumserit a Pythea, Demochare, Hegesia, aliis, quos ceteri Rhetores vel negligebant, vel imitandos esse negabant. Cuius instituti causas cum diligentius quaererem, digna mihi res visa est, quae paulo altius repeteretur. Atque ita nata est Oratorum Graecorum historia: in qua conscribenda hanc mihi legem dixi, vt, quorum memoriam Meursius, Fabricius et Taylorus satis illustrassent, eos verbo tantum, propter historiae seriem, attingerem, quorum historia parum explicata videretur, in iis ornandis diligentius versarer. Nemo tamen putet, hic omnes Graeciae Oratores recenseri. Nam ex mille, quos ante se fuisse dicit Demosthenes de Coron. p. 555. aliisque Demosthenem consecutis, tanquam florem, delibauimus eos, quos, satis constat, aliquid literis mandasse, et apud posteros Oratorum laudem tenuisse. Haec autem historia multo et vberior et accuratior futura esset,

set, si Theopompi excursus, quem, teste Athenaeo IV. p. 166. D. in decimo historiae Philippicae περὶ τῶν Ἀθήνησι δημαγωγῶν fecerat, ad nos peruenisset. Nunc, quod ille vnus copiose tradiderat, per scriptores multos tenuibus vestigiis quaerendum fuit. In variis autem Oratorum aetatibus constituendis ducem secuti sumus Ciceronem in Bruto 7. seqq. et de Orat. II. 22. 23. audemusque hanc historiam Ciceronis studiosis, tanquam iustum in illa loca commentarium, commendare.

Vera eloquentia ita propria est Athenarum, vt nullam Graeciae ciuitatem in illius gloriae societatem admittant. Cicero Brut. 13. *Hoc autem studium non erat commune Graeciae, sed proprium Athenarum. Quis enim aut Argiuum oratorem, aut Corinthium, aut Thebanum scit fuisse temporibus illis? — Lacedaemonium vero vsque ad hoc tempus audiui fuisse neminem.* Quem locum ob oculos habuit Velleius Paterc. I. 18. *Vna vrbs Attica pluribus annis eloquentiae, quam vniuersa Graecia, operibusque floruit, adeo vt corpora gentis illius separata sint in alias ciuitates, ingenia vero solis Atheniensium muris clausa existimes. Neque ego hoc magis miratus sum, quam neminem Argiuum, Thebanum, Lacedaemonium oratorem, aut dum vixit auctoritate, aut post mortem memoria dignum existimatum.* Sic habet vnicum illud exemplar Murbacense, e quo prolatus Velleius est. Sed eius editores, etiam Burmannus, non pro reliqua sua religione, Lipsii coniecturam in textum inuexerunt: *Vna vrbs Attica pluribus annis eloquentia, quam vniuersa Graecia, vberiusque floruit.* Noli dubitare, quin Velleius scripserit: *Vna vrbs Attica pluribus sanae eloquentiae, quam vniuersa Graecia, operibus effloruit. Sanam eloquentiam* opponit corruptae Asiaticorum, vt Cicero l. c. *ita peregrinata tota Asia est, vt se externis oblineret moribus, omnemque illam*

lam Atticae dictionis quaſi ſanitatem perderet, vbi Lambinus MSti auctoritate bene expungit gloſſam *ſalubritatem*, quicquid dicat membranarum ſuarum mancipium, Gruterus. Mox Cicero: *Rhodii ſaniores et Atticorum ſimiliores.* Idem de opt. gen. dic. 3. *imitemur illos potius, qui incorrupta ſanitate ſunt, quod eſt proprium Atticorum, quam eos, quorum vitioſa abundantia eſt, quales Aſia multos tulit.* Auctor Dialog. de Orator. 25. *omnes tamen eandem ſanitatem eloquentiae ferunt.* Vid. Interprett. ad Petron. 2. Viguit Athenis eloquentia circiter centum et quinquaginta annos, et, fracta populi libertate, ipſa quoque concidit, libertatis ſocia et alumna. Ex eo tempore eius ſtudium inualit populos per Aſiam, Rhodios item, et aliarum inſularum ciues: vnde extitit diſcrimen Oratorum Aſianorum, Rhodiorum et Atticorum, de quo vide Ciceronem Brut. l. c. et Quinctilian. XII. 10. pag. 623.

Prima eloquentiae aetas fuit ſub THEMISTOCLE, CIMONE, PERICLE, ALCIBIADE, THVCYDIDE. Cicero Brut. 7. de Orat. II. 23. Quam aetatem, fuerunt, qui non ordine tantum, ſed etiam excellentia primam exiſtimarent. Plutarchus Demoſthenem ait in eius Vita p. 852. B. dignum eſſe, qui reponatur ἐκ ἐν τῷ κατὰ Μοιροκλέα, καὶ Πολύευκτον, καὶ Ὑπερίδην ἀριθμῷ τῶν ῥητόρων, ἀλλ' ἄνω μετὰ Κίμωνος καὶ Θουκυδίδε καὶ Περικλέους. Themiſtoclem et Cimonem nihil literarum monumentis mandaſſe, ſatis conſtat. Pericles et Alcibiades num quid ſcriptum reliquerint, dubitatur. Cicero altero loco dicit, *vtriusque ſcripta conſtare*, altero, *Periclis quaedam ſcripta ferri.* At Plutarchus in Pericle p. 156. C. et Pſeudo-Plutarchus de Vit. X. Orat. p. 832. D. quicquam a Pericle ſcriptum eſſe negant. Equidem acceſſerim Quinctiliano, quicquid ſub Periclis nomine venditatum eſt, commenti-

mentitium iudicanti, III. 1. p. 118. De Alcibiade vero, Pseudo-Plutarchus l. c. cum Cicerone sentit, eique scriptas orationes tribuit. Sed de his quoque idem, quod de Periclis, dicendum. Nec aliter iudicarunt veteres dicendi magistri, tanquam Sopater Prolegomenis in Aristidem: Τρεῖς φοραὶ ῥητόρων γεγόνασιν; ὧν ἡ μὲν πρώτη ἀγραφως ἐλήγεν, ἧς ἐστι Θεμιστοκλῆς, καὶ Περικλῆς, καὶ οἱ κατ' ἐκείνους ῥήτορες. Alcibiadi multi scriptores eloquentiae laudem tribuunt, ipse etiam oratorum princeps, Demosthenes adv. Mid. p. 139. καὶ λέγειν ἐδύκει πάντων, ὥς φασιν, εἶναι δεινότατος. vbi simul obserua illud ὥς φασιν, quod additurus non fuisset, si de eius in dicendo facultate e scriptis orationibus existimare potuisset. Theophrastus apud Plutarch. Polit. praec. p 804. A. narrat, Alcibiadem, dum in orando verba et structuras elegantiores quaerebat, aliquando haesitasse. Nec tamen versus Eupolidis, relatus a Plutarcho in Alcibiad. p. 196. E. et Gellio I. 15. Λαλεῖν ἄριστος, ἀδυνατώτατος λέγειν, de Alcibiade accipiendus erat ab H. Stephano Thes. L. Gr. v. Λαλέω, et P. Wesselingio ad Diodor. Sic. T. I. p. 595. sed de Phaeace, oratore, vt Plutarchi contextus facile docet. Thucydidem Cicero inter oratores refert propter orationes historiae intextas. Male Simsonus Chron. ad a. 3534. et Fabricius Bibl. Gr. Vol. I. p. 834. intelligunt Thucydidem, Melesiae F. Periclis in republica gerenda aduersarium: quem quis vnquam retulit in numerum Oratorum? Thucydidi, Pericli et Alcibiadi suppar aetate est Nicias, quem Oratorum catalogo inseruit Fabricius Bibl. Gr. Vol. IV. p. 485. laudans Clementem Alexandr. Strom. VI. p. 748. Νικίας ἐν τῷ πρὸς Λυσίαν ὑπὲρ παρακαταθήκης· Τὴν μὲν παρασκευὴν καὶ τὴν προθυμίαν τῶν ἀντιδίκων ὁρᾶτε, ὦ ἄνδρες δικασταί. Enimuero, Niciam non eloquentia, sed opibus et fortunis sibi viam ad honores

honores muniuiſſe, docet Plutarchus in eius vita p. 524. D. Itaque ille ex Oratorum catalogo expungendus, et in Clemente nomina ſic transponenda: Λυσίας ἐν τῷ πρὸς Νικίαν ὑπὲρ παρακαταθήκης. Quae ex hac oratione citantur, etiam occurrunt in Lyſiae Or. de Ariſtophan. bonis p. 331. Vide Taylorum ad Aeſchin. adu. Cteſiphont. init.

Hos Oratores, vt Cicero ait, *conſecuti ſunt Critias, Theramenes, Lyſias.* CRITIAE, vnius ex XXX. tyrannis, ſatis nota hiſtoria. THERAMENEM vno deliberatiuo genere valuiſſe, ſcribit Auctor Prolegomenorum in Aphthonium, Bibl. Coisl. p. 594. quem Langbaenius ad Longin. p. 17. MSti fidem ſecutus, Troilum Sophiſtam vocat. Hunc autem puto de Theramene non ex ſcriptis orationibus iudicaſſe, ſed tantum audiuiſſe, vt de ſe fatetur Cicero. *Declamationes*, et alia rhetorica a Theramene ſcripta dicit Suidas in v. Quae omnia a recentioribus Sophiſtis ficta videntur. Recte enim Quinctilianus II. 4. p. 76. *Fictas ad imitationem fori conſiliorumque materias apud Graecos dicere, circa Demetrium Phalerea inſtitutum fere conſtat.* Plura de Theramene Cl. Taylorus in Lyſiae Vit. p. 44. Sed hic Cicero, ſaltum faciens a Theramene ad Lyſiam, plures omittit, quorum partim illuſtris eſt memoria, vt ANTIPHONTIS RHAMNVSII, partim obſcura et in vetuſtatis tenebris latens. Lyſiae aetatem qui praeceſſerint, vel attigerint, fere hi ſunt:

CEPHALVS. De eo Suidas ita: Κέφαλος, Ἀθηναῖος, ῥήτωρ καὶ δημαγωγὸς, ὃς πρῶτος προοίμια καὶ ἐπιλόγους συντέθεικε. γέγονε δὲ ἐπὶ τῆς ἀναρχίας. Κέφαλος δὲ ἔτος ἔσχε θυγατέρα τὴν Οἰήν. Hanc filiam Charopi in matrimonium collocatam eſſe, ex Philochoro ſcribit Harpocration v. Οἰῆθεν. Cephalum, vt virum probum, patriae amantem, et auctoritate, quam bonis artibus peperiſſet, excellentem, laudant

Ando-

Andocides de Myſter. p. 19. Demoſthenes de Cor. p. 555. et Dinarchus adu. Demoſth. p. 95. Itaque facile credam Scholiaſtae Ariſtophan. Eccleſ. 248. alium eſſe, quem ibi Comicus perſtringit. Morum integritatis tantam fiduciam Cephalus habuit, vt, narrante Aeſchine adu. Cteſiph. p. 440. auſus ſit cum Ariſtophonte Azenienſi contendere, vter aetatem egerit honeſtius. Recentior, nec orator, ſed dicendi magiſter, vel Sophiſta, videtur Cephalus ille, cuius ἐγκώμιον Λαγίδος τῆς ἑταίρας laudat Athenaeus XIII. p. 592. C. Neque enim Oratores illi veteres in ludicris argumentis verſari ſolebant. Scimus quidem, Helenam ab Iſocrate eſſe laudatam. Sed Iſocrates non tam Orator, quam Sophiſta fuit. Reliqua de Cephalo habet Taylorus in Lyſiae Vit. p. 31.

Archinvs, ex Coele, Thraſybuli in libertate vindicanda adiutor. Funebrem eius orationem laudat Plato Menex. p. 403. A. ex qua multa in Panegyricum ſuum deriuauit Iſocrates, teſte Photio Cod. CCXL. p. 1458. Ex eadem oratione ſumtum videtur, quod citat Clemens Alex. Strom. VI. p. 749. Πᾶσι μὲν ἀνθρώποις ὀφείλεται ἀποθανεῖν ἢ πρότερον, ἢ εἰς ὕστερον. Archini nomen reſtituendum Suidae v. Ἰσοκράτης. — διδάσκαλος δὲ Γοργίας. οἱ δὲ Τισίαν φασὶν, οἱ δὲ, Ἐργῖνον. Repone Ἀρχῖνον. Cetera, quae de hoc Oratore dici poſſent, occuparunt Valeſius ad Harpocrat. p. 253. et Taylorus in Lyſiae Vit. p. 51. Ἀρχίνης vocatur a Pſeudo-Plutarcho Vit. X. Orat. p. 832. D. et Suida v. Σαμίων. Sed Taylorus l. c. et Lect. Lyſiac. c. VII. malit Ἀρχῖνος. Minus recte. Nam in his nominibus triplex forma vſitata, Ἀρχίνοος, Ἀρχίνης, Ἀρχῖνος. Sic *Euthynous* Cicero Tuſc. Diſp. I. 48. *Euthynus* alii. Ἀλφῖνος et Ἀλφίνης promiſcue Pſeudo-Plutarchus l. c. p. 848. D. et 849. B. Ἀντίνοος et Ἀντῖνος Pauſan. p. 617. 618. Πασίνης Iſocrates et Har-

et Harpocrat. Πασῖνος Suid. *Callinus*, elegiaci carminis auctor, a Terentiano Mauro de Metr. p. 2421. *Callinous* dicitur, non metri neceſſitate, vt quidam ſcripſerunt, ſed quod haec etiam forma vſitata eſſet. Nam et in ſoluta oratione *Callinoum* vocat Marius Victorinus Art. Gramm. III. p. 2555. *Alcinus* et *Alcinous* promiſcue paſſim. Vide Dukerum ad Thucyd. III. 70. Haec contractio Graecis etiam placuit in nominibus appellatiuis. Heſychius: Κακόνος κακονοῶν. Idem: Λασῖνος. ἄφρων, ἐπιλήσμων. Quanquam intelligo, non magnam in talibus eſſe Heſychii auctoritatem. Numero quidem plurali κακόνοι et εὔνοι Atticos dixiſſe, docet Marklandus V. C. ad Lyſiae Orat. XVIII. p. 578.

Androcles, Pitthenſis, acer ſtatus popularis vindex, et Alcibiadis aduerſarius, de quo luculentus locus eſt Thucydidis VIII. 65. Produxit teſtes, qui Alcibiadem Hermarum mutilatorum accuſarent. Plutarch. Alcibiad. p. 200. D. Eius etiam mentio apud Andocidem de Myſter. p. 4. Laudatur ab Ariſtotele Rhetor. II. p. 500.

Sophocles, diuerſus a Tragico, vnus ex Προβέλοις, ſiue Decemuiris, qui ante Quadringentos creati ſunt cum ſumma poteſtate legibus ſcribendis. Vid. Ariſtotel. Rhet. III. p. 748. et Valeſ. ad Harpocrat. p. 181. Eundem eſſe puto, qui inter XXX. Tyrannos commemoratur a Xenophonte Hellen. II. p. 461. B. Eius orationem *pro Euctemone* laudat Ariſtoteles Rhetor. I. p. 246.

Cleophon, turbulentus demagogus, et ſimilis Hyperbolo et Cleoni, quibuſcum ſaepe iungitur. Cicero de Republica, apud Auguſtin. de C. D. II. 9. *Quem illa* (Comoedia) *non attigit, vel potius, quem non vexauit? cui pepercit? Eſto: populares homines, improbos in republica, ſeditioſos, Cleonem, Cleophontem, Hyperbolum laeſit.* Plutarchus Polit. praec. p. 805. C. Φαῦ-

φαῦλον ἄνθρωπον, ἀπονοίᾳ δὲ καὶ δεινότητι πεποιημένον ὑφ' αὑτῷ τὴν πόλιν, οἷος ἦν Κλέων Ἀθήνησι καὶ Κλειτοφῶν. Repone Κλεοφῶν. Aristides Platon. II. p. 176. φαίνειν, ἐνδεικνῦναι, δημεύειν, ὥσπερ Κλέωνα, καὶ Κλεοφῶντα, καὶ Ὑπέρβολον. Alia loca, in quibus iidem demagogi iungantur, indicat magnus Hemsterhusius ad Lucian. Timon. p. 145. Cleophontem in transcursu exagitat Aristophanes Ran. 690. seqq. sed Plato integra Comoedia, quae *Cleophontis* nomine inscripta erat, eius improbitatem notauit. Eam, praeter alios multos, laudat Grammaticus Sangermanensis MS, Ἀργύρια, πληθυντικῶς, ἐχ ἑνικῶς. Πλάτων Κλεοφῶντι. et Lexicon Sangermanense MS. Ἀπαρτὶ παρὰ τοῖς κωμικοῖς τὸ ἐκ τῦ ἐναντίᾳ. Πλάτων Κλεοφῶντι· Ἀλλ' αὖτ' ἀπαρτὶ τἀλλότρι' οἰχήσει φέρων. Sed et Tragicus Euripides eum perstrinxisse creditur Oreſt. 902. seqq. Scholiastes ita: θέλει δὲ εἰπεῖν Ἀθηναῖον ἐκ Ἀθηναίων ὄντα αὐτὸν, ἀλλὰ νόθον πολίτην, παρόσον Θρᾴξ ἦν ἐκ Δελφῶν ὁ Κλεοφῶν. vbi Palmerius Exercit. in Auct. Gr. p. 773. infeliciter coniicit ἐκ Δεσέλτε, non videns, ἐκ Δελφῶν vitiosam esse scripturam nominis Κλεοφῶν, atque adeo litura sanandam. Cleophontis orationem *aduersus Critiam* laudat Aristoteles Rhetor. I. p. 54. Plura Perizon. ad Aelian. V. H. XII. 43. Wesseling. ad Diodor. Sicul. XIII. p. 583. et Taylorus in Lysiae Vit. p. 43.

ARISTOPHONTES. Tres Aristophontes in horum temporum monumentis occurrunt. Quos cum vir summus, Is. Casaubonus ad Theophrast. Char. 8. confuderit, et P. Burmannus, eos distinguere conatus, ad Quinctilian. V. 12. p. 452. nihil expedierit, age, quomodo discernendi sint, breuiter doceamus. Primus est Azenienſis, a Quadringentis legatus ad Lacedaemonios missus Olymp. XCII. 1. Thucydid. VIII. 86. Idem Archonte Euclide Olymp. XCIV. 1. legem

ſcripſit, ne quis ciuis haberetur, niſi qui matre libera natus eſſet. Caryſtius apud Athen. XIII. p. 577. A. Perizon. ad Aelian. V. H. XIV. 3. Taylor. in Lyſiae Vit. p. 55. et Corſinus Faſt. Att. Tom. III. p. 275. Iphicratem et Timotheum proditionis accuſauit; ex quo intelligitur, eum vitam vltra Olymp. CVI. 1. extendiſſe. Dinarchus adu. Demoſth. p. 92. adu. Philocl. p. 110. Plutarch. de Exil. p. 605. E. Polit. praec. p. 801. F. et Cel. Weſſeling. ad Diodor. Sicul. XVI. p. 98. Inter viros eloquentiſſimos refertur a Demoſthene adu. Leptin. p. 55. vbi Taylorus reliqua Demoſthenis et Aeſchinis loca, quae ad eum pertineant, collegit. Ex more Athenienſium, quo filius aui nomen gerebat, coniicere licet, Ariſtophontis patrem fuiſſe Demoſtratum, oratorem, quem memorat Plutarchus Alcibiad. p. 200. B. et Nicia p. 531. D. filium Ariſtophontis, Demoſtratum, cuius ementionem facit Xenophon. Hellen. VI. p. 590 B. — Alter Ariſtophon, quem cum Azenienſi confundit Vlpian. in Demoſthen. de Cor. p. 530. Colyttenſis, orator et ipſe, quo ſeneſcente florere incepit Demoſthenes. Pſeudo-Plutarchus l. c. p. 844. D. et Libanius Tom. I. p. 436. C. Crebra eius mentio apud Demoſthenem, tanquam de falſ. leg. p. 217. de Coron. p. 494. adu. Timocrat. p. 368. et aliis locis. Scribae munere apud eum functus eſt Aeſchines, teſte Anonymo ſcriptore Vitae Aeſchinis. Quanta hominis potentia in republica fuerit, coguoſci poteſt ex fragmento, quod ex Hyperidis aduerſus eum oratione affert Scholiaſtes Platonis inediti: Ὑπερίδης ἐν τῷ κατὰ Ἀριστοφῶντος· Οἶδε γὰρ αὐτῶ δεδομένην ἄδειαν καὶ πράττειν καὶ γράφειν, ὅ, τι ἂν ἔμβραχυ βέληται. Eandem orationem citant Pollux VII. 11. et Grammaticus Sangermanenſis MS. Μοιχίδιον, τὸ ἐκ μοιχῆ γεγενημένον. Ὑπερίδης ἐν τῷ κατὰ Ἀριστοφῶντος. — Tertius Ariſtophon eſt Archon Eponymus Olymp. CXII. 2. Vide Diodor. Sicul.

cul. XVII. p. 208. et ibi Weſſeling. item Corſin. Faſt. Att. Tom. IV. p. 44. Hunc a Colyttenſi diuerſum eſſe, clarum eſt ex Demoſthene de Coron. p. 531. vbi Colyttenſem mortuum dicit. At hic illum ipſum annum, quo habita eſt oratio *de Corona*, ſuo nomine ſignabat. Erunt fortaſſe, qui Archontem etiam in Oratorum numero ponant, ſecuti Theophraſtum Char. 8. προσδιηγήσασθαι δὲ καὶ τὴν ἐπ' Ἀριστοφῶντος ποτὲ γενομένην τῶ ῥήτορος μάχην. Verum, niſi aliis teſtimoniis confirmetur, Archontem oratorem fuiſſe, potius in hanc partem inclinem, vt vocem ῥήτορος ab iis, qui Archontem cum Oratoribus confunderent, temere intruſam putem.

ANDOCIDES et PHAEAX. Horum Oratorum hiſtoriam, ob cauſas, mox intelligendas, coniungamus. Sed ante quaedam remouenda ſunt, quae officere huic diſputationi, et vim eius minuere poſſent. Extant Vitae X. Oratorum, quas, qui ex Lampriae catalogo librorum Plutarcheorum didicerant, Plutarchum eiusdem argumenti librum ſcripſiſſe, re non explorata, Plutarchi nomine proſcripſerunt. Nam librum, qui nunc ſupereſt, non eſſe a Plutarcho ſcriptum, tam euidens et perſpicuum eſt, vt Ionſius de Scriptor. H. Ph. III. 6. p. 234. eius rei demonſtratione ſuperſedere potuiſſet. Hunc librum, multis omiſſis, nonnullis adiectis, plerisque aptius diſpoſitis, vt opus ſuum, in Bibliothecam intulit Photius, Cod. CCLIX. et ſeqq. At qualis tandem liber eſt? Plenum fraudis, mendaciorum, errorum dicit Taylorus Lect. Lyſiac. V. et VI. ad Demoſthen. adu. Midiam init. et ad Aeſchinem adu. Cteſiph. init. tot conuicia congerens in libri ſcriptorem, vt cupiditas quaedam, quae a tali re procul remouenda erat, facile animaduertatur. Ego vero, hoc ſcriptore ſaepe multumque tractando, cognoui, cognitumque confirmo, me, quam-

uis quaerentem, quae in malae fidei ſuſpicionem vocarem, ne leuiſſimum quidem fraudis veſtigium reperiſſe. Itaque huic ſcriptori ſummam fidem tribuo, ſummum veri ſtudium. Sed idem fateor, mediocrem in eo iudicandi facultatem fuiſſe. Nam eiusdem nominis ſcriptores ſaepe confundit, vt in vita Antiphontis: quanquam ille error ei communis eſt cum Philoſtrato. Cumque omnia tam perturbate ſcripta ſint, nihil vt ſuo loco dicatur, veriſſimum puto, quod dudum ſuſpicatus ſum, mera eſſe Excerpta, nullo vel ordine, vel delectu facta, ex Hermippo, Caecilio, Dionyſio Halicarnaſſenſi, qui ſaepe laudantur, aliisque deperditis Vitarum ſcriptoribus. Taylorus, meliore rerum ordine, qui apud Photium eſt, inductus Photium libri auctorem eſſe credit, Plutarchum nihil, niſi Photiana compilaſſe, et erroribus auxiſſe. Quod ſane miror, non dicam Tayloro, recti iudicii et praeſtantis doctrinae viro, ſed vel mediocriter docto, in mentem venire potuiſſe. Nam primum omnia ſunt pleniora et exquiſitiora apud Plutarchum, vt facile videbit, qui eius v. c. in Lycurgo vbertatem cum Photiana ieiunitate contulerit: multa etiam veterum ſcriptorum teſtimoniis confirmata, quae Photius, vt faſtidio ſeculi, quo viuebat, occurreret, praetermiſit. Deinde Plutarchea certum habent vetuſtatis indicium, quippe in quibus nullus ſcriptor, qui Dionyſio Halicarnaſſenſi poſterior ſit, laudatus reperiatur. At quales in Photiana acceſſione laudantur? Ariſtides, Libanius, Paulus Germinus, Aſpaſius. His praemiſſis, videamus, an Taylorus recte Plutarcho fidem abrogarit in Androcidis hiſtoria enarranda. Plutarchus, vel, ſi malis, Pſeudo-Plutarchus ita: *Ἀνδοκίδης Λεωγόρᾳ μὲν ἦν πατρὸς, τῇ δεμένᾳ ποτὲ πρὸς Λακεδαιμονίους εἰρήνην Ἀθηναίοις.* Atqui auus Andocides pacem fecit cum Lacedaemoniis, non pater Leogoras, vt pſe

vt ipſe Andocides teſtatur de Pace p. 24. confirmatque Aeſchines de falſ. legat. p. 302. Ergo Pſeudo-Plutarchus manifeſtus erroris tenetur. Sed quomodo, qui ſe Andocidis orationes legiſſe fateatur, in re tam clara errare potuit? Aequius erat, culpam in librarios conferre, et ſuam ſcriptori manum hoc modo reſtituere: Ἀνδοκίδης Λεωγόρᾳ μὲν ἦν πατρὸς, τοῦ Ἀνδοκίδᾳ, τᾷ θεμένᾳ etc. — Andocides genus ducebat a *Mercurio*, vt Pſeudo Plutarchus et Photius ſcribunt; ab *Vlyſſe*, vt verus Plutarchus Alcibiad. p. 201. E. et Suidas v. Ἀνδοκίδης, omnes Hellanicum teſtem laudantes. Iterum vanus et mendax Pſeudo-Plutarchus. Sed hic quoque laboranti ſuccurramus. Propior generis auctor Vlyſſes erat, remotior Mercurius. Vlyſſem a Mercurio per matrem originem ducere, liquet ex Ouidio Met. XIII. 146. quem locum ipſe Taylorus laudauit. Ac fuit opinio tam vulgaris, Vlyſſem ex Mercurii poſteris eſſe, vt numi gentis Mamiliae, quae originem ſuam ad Vlyſſem referebat, in altera parte Mercurii caput, in altera Vlyſſem exhibeant. Vide Vaillantium de Numis Familiarium in hac gente, quem ad Ouid. laudat Burmannus. Sed quid eſt, quare Pſeudo-Plutarchus Mercurium potius commemoret, quam Vlyſſem? In promtu eſt ratio. Clarius ſic apparebat Andocidis cognatio cum Cerycibus, qui a Ceryce, Mercurii filio, orti credebantur. — Sequitur apud Pſeudo Plutarchum: προεχειρίσθη ποτὲ μετὰ Γλαύκωνος, σὺν ναυσὶν εἴκοσι Κερκυραίοις βοηθήσων, διαφερομένοις πρὸς Κορινθίους. In his ſecutus eſt Thucydidem I. 51. ex quo patet, expeditionem illam ſuſceptam eſſe Olymp. LXXXVI. 1. cum Andocides ageret aetatis annum 33. At Taylorus contendit, huius claſſis imperium fruſtra ad Andocidem referri, quem nullam vnquam militiae partem attigiſſe dicat Lyſias adu. Andocid. p. 125. ἐδεπώποτ' ἐκ τῆς πόλεως

ἐστρατεύσατο, ἔτε ἱππεὺς, ἔτε ὁπλίτης, ἔτε τριήραρχος, ἔτ' ἐπιβάτης. Hic mihi non alia, nih haec, parata eſt reſponſio: Andocidis hiſtoriam parum cognitam fuiſſe orationis auctori. Nam Criticos veteres dubitaſſe, an Lyſiae ſit oratio, Harpocration non vno loco oſtendit. Et vero alia de Andocide in hac oratione dicuntur, quae nullo modo inter ſe cohaerent, v. c. p. 117. dicitur opes ſuas minuiſſe, et inter delatores diuiſiſſe, contra p. 127. tam opulentus eſſe, vt reipublicae inopiam, ſi voluiſſet, ſubleuare potuiſſet. Teneamus igitur id, quod etiam Dukerus V. C. ad Thucydid. tenet, Andocidem, oratorem, claſſi praefuiſſe. Nam quod Taylorus Andocidem auum intelligit, minus bene computauit tempora, nec ſenſit, ſe ſeni octogenario claſſis praefecturam deferre. — Pſeudo-Plutarchus quinque Andocidis orationes recenſet 1, περὶ μυστηρίων 2, περὶ καθόδε. 3, περὶ ἐνδείξεως. 4, ἀπολογίαν πρὸς Φαίακα. 5, περὶ τῆς εἰρήνης. Photius, nactus tale Andocidis exemplar, quale nunc ſupereſt, deſerto duce ſuo, quatuor tantum recenſet, 1, περὶ μυστηρίων. 2, περὶ καθόδε. 3, περὶ εἰρήνης. 4, κατὰ Ἀλκιβιάδε. At Taylorus iterum erroris accuſat Pſeudo-Plutarchum, qui orationem περὶ ἐνδείξεως diuerſam fecerit ab illa περὶ μυστηρίων. Valeſius quoque ad Harpocrat. p. 85. vnam eandemque orationem eſſe putabat: ſed mox repudiat hanc opinionem. Recte. Nam nihil impedit, quo minus Andocides, agitans multos, a multisque viciſſim agitatus, plures περὶ τῆς ἐνδείξεως orationes habuerit. Si quis vero ex eo, quod Photius quatuor tantum legit, totidem, nec plures, ab Andocide ſcriptas putet, egregie fallatur. Orationum deliberatiui generis non niſi vna περὶ εἰρήνης nunc ſupereſt; cuius γνησιότητα tametſi olim Dionyſius et Harpocration, noſtra aetate Taylorus l. c. et Marklandus ad Aeſchin.

Aeſchin. de falſ. leg. p. 302. in dubium vocarunt, tamen vetuſtiſſimus Grammaticus libro *de ſcriptorum furtis*, quem Clemens Alexandrinus, nihil ſimilem furti actionem veritus, compilauit Strom. VI. p. 747. illam, vt Andocidis, agnouit et laudauit. At veteres Grammatici plures huius generis laudant. Grammaticus Sangermanenſis MS. Εὐωχεῖν, ἀντὶ τοῦ εὐωχεῖσθαι. Ἀνδοκίδης συμβουλευτικοῖς. Photius Lex. MS. Ναυκρατίαν Ἀνδοκίδης συμβουλευτικῷ. Neutra vox in Or. *de Pace* reperitur. Plutarchus Themiſtocl. p. 128. C. laudat Andocidem ἐν τῷ πρὸς τοὺς ἑταίρους. niſi ibi epiſtola intelligenda ſit, ſcripta ad Piſandrum in ſtatu populari euertendo ſocios, qui proprie ἑταῖροι appellantur. Vid. Thucydid. VIII. 48. 65. et Taylor. in Lyſ. Vit. p. 37. Ex deperdita oratione etiam ductum eſt, quod habent Scholiaſt. Ariſtoph. ad Veſp. 1001 et Scholiaſt. Lucian. ad Timon. p. 142. Περὶ Ὑπερβόλου λέγειν αἰσχύνομαι· ὃς ὁ μὲν πατὴρ ἐτιγμένος ἔτι καὶ νῦν ἐν τῷ ἀργυροκοπείῳ δουλεύει τῷ δημοσίῳ· ὡς δὲ ξένος ὢν καὶ βάρβαρος λυχνοποιεῖ. Sed multo maior contentio exoritur de Oratione *aduerſus Alcibiadem*, quam Taylorus, omnibus ingenii et doctrinae praeſidiis adhibitis, ab Andocide ad Phaeacem traducere conatur. Excutiamus ſingulas eius rationes, quas *minime contemnendas* vocat Pierſonus ad Moerid. Atticiſt. p. 332. immo quibus, quod volebat, perſuaſiſſe videtur ſummo Hemſterhuſio ad Thom. Mag. p. 810. 1. Diſceptatur in hac Andocidis oratione, quis ex tribus, Nicia, Alcibiade, et Andocide, oſtraciſmo in exilium ſit eiiciendus. Hic ſtatim Andocidi minus conuenit cum Plutarcho, qui in Alcibiad. p. 196. E. rem ita narrat: Alcibiadem iuuenem, cum ad rempublicam acceſſiſſet, aduerſarios habuiſſe Niciam et Phaeacem, alterum ſenem et bello clarum, alterum iuuenem, nobilem, et ſatis facundum, cuius etiam

extet Oratio *aduerſus Alcibiadem.* Horum potentiae cum populus inuidiſſet, excitaſſe Hyperbolum, vt vni ex tribns exilium irrogaret. Sed Alcibiadem, re communicata cum Nicia, vel, vt alii tradant, cum Phaeace, exilium in Hyperbolum, nihil tale cogitantem, vertiſſe. Sic Plutarchus in Alcibiade: ſed in Nicia p. 530. D. eandem rem paulo aliter refert: Exilium duobus tantum, Niciae et Alcibiadi, deſtinatum fuiſſe, ſed eos, ſociatis factionibus, Hyperbolum expuliſſe. Theophraſtum quidem, quem de hoc certamine in libris περὶ νόμων ſcripſiſſe, ex Schol. Luciani ad Timon. p. 142. intelligimus, pro Nicia nominare Phaeacem; ſe tamen malle ſequi plures, qui duos tantummodo, Niciam et Alcibiadem, de oſtraciſmo certaſſe tradant. Iam cum in hac controuerſia nulla Andocidis mentio fiat, contra Phaeax non ſolum tertius in hoc certamine, ſed etiam auctor Orationis in Alcibiadem commemoretur, Taylorus inde conficit, orationem, quae nunc ſub Andocidis nomine legitur, Phaeaci tribuendam eſſe. Haec, fateor, aliquam vim habitura eſſent, ſi ſcriptores, quos Plutarchus ſecutus eſt, inter ſe conuenirent, et res vno modo narraretur. Nunc videmus, quam vaga et incerta ſit narratio. Tres inter ſe de oſtraciſmo contendiſſe, ex Oratione ſuperſtite, ſiue Andocidis, ſiue Phaeacis ſit, planiſſimum eſt. Tamen plerique ſcriptores, Plutarcho teſte, duos tantum commemorant. Itaque qua negligentia plerique tertium omiſerunt, eadem pro Andocide Phaeacem poſuerunt. Sed finge, Phaeacis eſſe orationem. Illene Alcibiadem, quocum de Hyperbolo eiiciendo conſenſerat, tam indignis modis accepiſſet? Et quis orationem habet aduerſus eum, quocum conſpiret? Quid? Phaeecis oratio, Plutarcho lecta, ſi oſtraciſmum in diſceptationem vocaſſet, Plutarchus rem confectam habuiſſet, nec vllo modo dubitare potuiſſet, ſicut dubitat, an Phae-

Phaeacis partes quaedam in hoc certamine fuerint. Ex his cogimus, longe aliam cauſam in Phaeacis contra Alcibiadem oratione tractatam eſſe, atque in Andocidis oratione tractatur. Quo vno argumento Taylorianae rationes omnes conuelluntur. 2. Inter cauſas, quibus exilium a ſe remouet Andocides, hanc quoque ponit p. 33. εἰ δεῖ καὶ τὸ γένος σκοπεῖν, ἐμοὶ μὲν ἐδαμόθεν προσήκει τάτε τῦ πράγματος. Hic, Taylorus ait, oratorem genus ſuum humile et obſcurum vocare; idque conuenire Phaeaci, parum claris maioribus orto, non Andocidi, vni ex Mercurii vel Vlyſſis poſteris, qui ipſe gentis ſuae amplitudinem iactet de Myſter. p. 14. 18. 19. de Redit. p. 23. Enimuero nimium cauſae, quam ſuſceperat, ſtudium hic etiam transuerſum egit virum doctiſſimum. Non abiicit orator genus ſuum, ſed hoc tantum dicit, ſi et ipſe et Alcibiades ex genere iudicandi eſſent, Alcibiadi oſtracifmum conuenire, cuius vterque auus, Megacles et Alcibiades, in exilium ſint eiecti, non ſibi, cuius ex gente nemo hanc poenam ſubierit. Nec verum eſt, quod V. C. dicit, Phaeacem obſcuro genere ortum fuiſſe. Nam Plutarchus in Alcibiad. l. c. eius maiores diſerte γνωρίμες vocat. 3. Orator p. 34. recenſet legationes a ſe pro republica ſuſceptas: ἐγὼ πρεσβεύσας εἰς Θετταλίαν καὶ Μακεδονίαν καὶ εἰς Μολοσσίαν καὶ εἰς Θεσπρωτείαν, καὶ εἰς Ἰταλίαν, καὶ εἰς Σικελίαν, etc. Haec, Taylorus negat, ab Andocide dici potuiſſe, cuius ἀποδημία, non πρεσβεία, per Siciliam, Italiam, Peloponneſum, Theſſaliam, Helleſpontum, Ioniam, Cyprum, a Lyſia c. Andocid. p. 106. commemoretur: ſed pulcre conuenire Phaeaci, quem Thucydides V. 4. narret legatum in Italiam et Siciliam miſſum eſſe. Verum tardus ſit oportet, qui non videat, Lyſiam, vt accuſatorem, quam πρεσβείαν dicere debebat, inuidioſe ἀποδημίαν

dicere. Quod autem ad Phaeacem attinet, non ille legatus obiit Theſſaliam, Macedoniam, Moloſſiam, Theſprotiam, ſed ſolam Italiam et Siciliam, atque inde, Thucydide teſte, domum reuertit. Ergo, quae de legatione Orator dicit, ad Andocidem, non ad Phaeacem, referenda. 4. At, quae Plutarchus e Phaeacis oratione affert, in hac Andocidis reperiuntur. Hic vir egregius, velut victoria parta, prope iuueniliter exultat et triumphat. Enimuero, ſi quis loca, quae eadem eſſe dicuntur, accuratius inter ſe comparet, et verbis et ſenſu diſcrepare reperiat. Phaeacis locus a Plutarcho ſic laudatur: ὅτι τῆς πόλεως πολλὰ πομπεῖα χρυσᾶ καὶ ἀργυρᾶ κεκτημένης, Ἀλκιβιάδης ἐχρῆτο πᾶσιν αὐτοῖς ὥσπερ ἰδίοις πρὸς τὴν καθ' ἡμέραν δίαιταν. Andocidis locus hic eſt p. 33. τὰ πομπεῖα παρὰ τῶν ἀρχιθεωρῶν αἰτησάμενος, ὡς εἰς τὰ πινίκια τῇ πρωτεραίᾳ τῆς θυσίας χρησόμενος, ἐξηπάτησε, καὶ ἀποδῦναι οὐκ ἤθελε, βελόμενος τῇ ὑστεραίᾳ πρότερος τῆς πόλεως χρήσασθαι τοῖς χρυσοῖς χερνιβίοις καὶ θυμιατηρίοις. Hunc ipſum locum laudat Moeris Atticiſta p. 332. Πομπεῖα, Ἀττικῶς, τὰ θυμιατήρια καὶ τὰς χέρνιβας, ὡς Ἀνδοκίδης. Sequimur enim coniecturam Cl. Valckenarii apud Pierſon. qua pro vulgato Θουκυδίδης legit Ἀνδοκίδης. Athenaeus etiam IX. p. 408. D. eundem locum laudat: Ἀττικοὶ δὲ χερνίβιον λέγουσιν, ὡς Λυσίας ἐν τῷ κατὰ Ἀλκιβιάδου· τοῖς χρυσοῖς χερνιβίοις, καὶ θυμιατηρίοις. Quae ex eo deſcripſit Euſtath. ad Od. A. p. 33. Sed Athenaeus memoriae lapſu Lyſiam laudauit pro Andocide, bene id obſeruante Taylorο. Iam videat mihi aliquis, quam non verba tantum diuerſa ſint in duobus locis allatis, ſed etiam ſenſus. In altero vaſa ſacra ad vſus priuatos, in altero ad pompam in ſollemnitate Olympica adhibita eſſe dicuntur. Denique, qui familiaritatem aliquam cum Andocide contraxerit, ſentiet

ſentiet profecto, eandem in hac contra Alcibiadem, quam in ceteris Andocidis orationibus, dicendi formam eſſe, eandem vim et grauitatem. Ex his igitur omnibus efficimus, orationem, quam ſaepe diximus, auctori ſuo, Andocidi relinquendam eſſe, nec Phaeaci tribuendam, praeſertim cum etiam Harpocration v. Ἐμποδὼν et v. Εὐανδρία, et Photius in Bibl. ne quid de Moeride dicam, eam, vt Andocidis, laudent. Huc accedit conſenſus viri praeſtantiſſimi, et collegae coniunctiſſimi, L. C. Valckenarii, qui Taylorianas rationes iisdem, quibus nos, argumentis in Aduerſariis ſuis oppugnarat.

Avtocles, Strombichidae, eius, qui a XXX tyrannis interfectus eſt, filius, legationem obiit ad Lacedaemonios. Xenophon Hellen VI. p. 590. B. 591. B. vbi dicitur μάλα δοκῶν ἐπιτρεφὴς εἶναι ῥήτωρ, h. e. *orator ſollertiſſimus*, non, vt Victorius Ind. in Ariſtotel. Rhetor. explicat, *orator valde ſuauis*. Damaſcius apud Phot. p. 1031. ἀγχίνους δὲ ὢν καὶ ἐπιτρεφής. Eius orationem *aduerſus Mixidemidem* laudat Ariſtoteles Rhetor. II. p. 488.

Iphicrates. Hunc Demoſthenes adu. Timoth. p. 1024. E. dicit τό, τε πράττειν καὶ τὸ εἰπεῖν δυνάμενον. quibus ſimillima illa luſtini VI. 5. *in quo non imperatoriae tantum, verum et oratoriae artes fuere.* Eius orationes, plenas militaris ſpiritus, vehementer laudat Ariſtides περὶ παραφθέγμ. p. 385. Minus magnifice de eius in dicendo facultate ſentiunt Dionyſius Halic. in Lyſia p. 85. et Plutarch. Polit. praec. p. 813. A. Sed. cui rectius credamus, quam ipſi Iphicrati, qui apud Plutarchum l. c. p. 801. F. ſe ab Ariſtophonte eloquentia vinci fatetur. Ex oratione περὶ προδοσίας aduerſus Ariſtophontem fragmentum eſt apud Quinctilian. IV. 12. p. 243. *Cui ſimile quiddam feciſſe Iphicrates dicitur, qui cum Ariſtophontem, quo accuſante ſimilis*

milis criminis reus erat, interrogaſſet, an is accepta pecunia rempublicam proditurus eſſet? isque id negaſſet; Quod igitur, inquit, tu non feciſſes, ego feci? Cuius dicti vim et acrimoniam Quinctilianus diluit vertendo. Graeca haec ſunt apud Ariſtotelem Rhetor II. p. 480. et Ariſtidem I. c. σὺ μὲν Ἀριστοφῶν ὢν, ὁ προδοίης· ἐγὼ δ', ὢν Ἰφικράτης; quae iure miratur Cl. Valckenarius in eruditiſſima Diatriba in Euripidis Fragm. c. XX. p. 211. Plura de Iphicrate Victorius ad Ariſtotel. Rhetor. II. p. 478. et Taylorus ad Lyſiae Fragm. p. 637. quae nihil attinet repetere. Pluſcula eius vel magnifice, vel acute dicta collegit M. A. Muretus Var. Lect. VIII. 22.

Callistratvs, Callicratis filius, Aphidnaeus, cauſa ſuper Oropo peroranda tale Demoſtheni eloquentiae, quale Herodotus hiſtoria ſua recitanda Thucydidi hiſtoriae, ſtudium iniecit, vt ex Demetrio Magneſio refert Pſeudo-Plutarch. p. 844. B. ex Hermippo Gellius III. 13. Magna apud populum auctoritate valuit, teſte Demoſthene de falſ. legat. p. 219. Aduerſarium in republica adminiſtranda habuit Melanopum. Plutarch. Demoſth p. 851. F. quem etiam accuſauit oratione, laudata Ariſtoteli Rhetor. I. p. 244. Eloquentia ſic excelluit, vt nemo ſui temporis ei par poneretur. Vide, praeter Aeſchinis et Nepotis teſtimonia, ab aliis allata, Demoſthen. adu. Timoth. p. 1074. E. Narrat Vlpianus in Demoſth. c. Timocr. p. 822. interrogatum Oratorum principem, vter eſſet melior orator, ipſene, an Calliſtratus? reſpondiſſe: ἐγὼ μὲν γραφόμενος, Καλλίστρατος δὲ ἀκθόμενος. Calliſtratus exercitui praefuit vna cum Timotheo et Chabria, Olymp. C. 4. Diodor. Sicul. XV. p. 24. Poſt Iphicratem illum ſibi adſciuit ſiue vt conſiliarium inprimis idoneum, ſiue vt arbitrum et ſpectatorem rerum a ſe gerendarum. Xenophon Hellen. VI. p. 589. D. Archon

chon fuit Olymp. CVI. 2. Nec erat, quare dubitaret Fabricius Bibl. Gr. Vol. IV. p. 56. confundens praeterea cum Pseudo-Plutarcho duos Callistratos, alterum Callicratis, alterum Empaedi filium. Capitis damnatus Callistratus in exilium abiit. Demosthen. adu. Polycl. p. 1091. A. et Liban. Tom. I. p. 442. D. 452. B. Ex quo cum, inuito populo, rediisset, ad supplicium raptus est. Lycurg. adu. Leocr. p. 214. Reliqua de hoc Oratore dederunt viri summi, H. Valesius ad Ammian. Marcell. XXX. 4. et P. Wesselingius ad Diodor. Sicul. XV. p. 32. Suidas v. Ἰσοκράτης testimonio Καλλιστράτε τῦ ῥήτορος confirmat, Isocratem iuniorem natum esse Apolloniae in Ponto, vel Heracleae. Qui Callistratus per temporis rationes non potest esse Aphidnaeus. Intellige igitur Domitium Callistratum, cuius libri περὶ Ἡρακλείας saepe laudantur. Vid. Suid. v. Φιλόξενος.

Cephisodotvs. Varii Cephisodoti in Attica historia memorantur. Sed Orator est Cephisodotus ex Ceramico, qui a Demosthen. adu. Leptin. p. 56. dicitur ἀδεινὸς ἧττον τῶν λεγόντων δεινὸς εἰπεῖν. Idem mihi videtur, quem legatum ad Lacedaemonios missum esse scribit Xenophon Hellen. VI. p. 590. B. VII. p. 615. D. laudatur ab Aristotele Rhetor. III. p. 647. 650. 651.

Lysias. De eo Cicero Brut. 9. *Tum fuit Lysias, ipse quidem in causis forensibus non versatus, sed egregie subtilis scriptor, atque elegans, quem iam prope audeas oratorem perfectum dicere.* Hactenus ille de Lysia. Nam quae sequuntur, de Demosthene dicuntur, nec a Tayloro in Testimon. de Lysia p. 83. ad Lysiam referri debebant. Eius autem historiam Taylorus, et ipsius, et aliorum Oratorum fospitator, ita illustrauit, nihil vt supra addi posse videatur.

Lysiam

Lyſiam ſequitur ISOCRATES, communis praeceptor Oratorum, quos deinceps recenſebimus, prope omnium. Cicero de Orat. II. 22. *Ecce tibi exortus eſt Iſocrates, magiſter iſtorum omnium, cuius e ludo, tanquam ex equo Troiano, meri principes exierunt: ſed eorum partim in pompa, partim in acie illuſtres eſſe voluerunt. Itaque et illi, Theopompi, Ephori, Philiſti, Naucratae, multique alii naturis differunt: voluntate autem ſimiles ſunt, et inter ſeſe, et magiſtri: et ii, qui ſe ad cauſas contulerunt, vt Demoſthenes, Hyperides, Lycurgus, Aeſchines, Diuarchus, aliique complures, etſi inter ſe pares non fuerunt, tamen ſunt omnes in eodem veritatis imitandae genere verſati.* vbi Lambinus bene reiicit gloſſema, quod de margine in textum venit, *magiſter iſtorum omnium*, cui fruſtra codicum conſenſum obiicit Zach. Pearcius. Nam pleraque gloſſemata, quae vel in Cicerone, vel in aliis ſcriptoribus reperiantur, vetuſtiora ſunt Codicibus, qui nunc ſuperſunt. Sed idem grauius peccauit recipienda peſſimorum librorum ſcriptura: *tamen ſunt omnes in eodem virtutis imitandae genere verſati.* Neque enim vitium eſt in *veritatis*, ſed in *imitandae*. Lege: *tamen ſunt omnes in eodem veritatis tutandae genere verſati. Tutari veritatem*, conſeruare eloquentiam, quae veras cauſas tractat, non fictas ad oſtentationem. Vim vocis *veritas* explicuimus ad Rutil. II. 6. p. 92. De Iſocrate inſignis etiam locus eſt Ciceronis Brut. 8. quem et ipſum Interpretes male acceperunt: *Extitit igitur iam ſenibus illis Iſocrates, cuius domus cunctae Graeciae quaſi ludus quidam patuit, atque officina dicendi, magnus orator, et perfectus magiſter, quanquam forenſi luce caruit, intraque parietes aluit eam gloriam, quam nemo quidem, meo iudicio, eſt poſtea conſecutus.* In hoc loco etſi nihil defideres, tamen Lipſius Var. Lect. III. 14. e Rufino Grammatico legit: *quam nemo quidem, meo iudicio, eſt*

cio, eſt poëta conſecutus. Quae ſcriptura ſic placuit Grutero, vt eam, praeter morem ſuum, in textum inferret. Sed nullus hic Poëtae locus eſt. Cicero dicit, Iſocratem ea floruiſſe gloria, quam nemo quidem dicendi magiſter, ſuo iudicio, ſit poſtea conſecutus. Quod veriſſimum eſſe, ex hiſtoria conſtat Nam nullus vnquam Rhetor aut plures diſcipulos habuit, aut per eos famam ſuam latius propagauit. Iſocratem, etiam in hiſtorico ſcribendi genere, imitati ſunt diſcipuli, Theopompus, Ephorus, Philiſtus, vt Cicero ait. Idem de aliis hiſtoricis refert Dionyſ. Halicarn. in Dinarcho. p. 115. οἱ δ' Ἰσοκράτην καὶ τὰ Ἰσοκράτες ἀποτυπώσασθαι θελήσαντες, ὕπτιοι, καὶ ψυχροὶ, καὶ ἀσύμφοροι, καὶ ἀναλθεῖς. ἕτοι δ' εἰσὶν οἱ περὶ Τίμαιον, καὶ Πλάτωνα, καὶ Σωσιγένην. vbi graue vitium, quod in nomine Πλάτωνα haeret, ſic corrigendum: οἱ περὶ Τίμαιον, καὶ Ψάωνα, καὶ Σωσιγένην. *Pſaon*, Plataeenſis, hiſtoriae ſcriptor, quem idem reprehendit de Structura or. p. 5. vbi Σάωνα legebatur ante Ionſium de Script. H. Ph. l. 2. p. 11. et Valeſium Emend. III. 14.

Leodamas, Acharnenſis, Iſocratis diſcipulus. Pſeudo Plutarh. l. c. p. 837. D. et Photius Cod. CCLX. p. 1456. Eloquentia quantum excelluerit, intelligitur ex Demoſthene c. Leptin. p. 55. ſed multo magis ex Aeſchine c. Cteſiph. p. 417. Accuſauit Calliſtratum. Ariſtotel. Rhet. I. p. 126. item Chabriam propter praemia publice ei tributa. Demoſthen. et Ariſtotel. ll. cc. Ipſe accuſatus a Thraſybulo, Colyttenſi, ni fallor, ſe defendit. Ariſtotel. Rhet. II. p. 503. Legationem ſuſcepit ad Thebanos, quibuscum ipſi quaedam neceſſitudo intercedebat. Aeſchines adu. Cteſiph. l. c. Si vulgata exemplaria Pſeudo-Plutarchi et Photii in vita Aeſchinis ſequamur, ſicut illa ſecuti ſunt Victorius ad Ariſtotel. Rhetor. I. p. 126 et Olear. ad Philoſtrat. de

V. S. I. 18. p. 509. Leodamas Aeſchini viam ad eloquentiam praeiuit. Quanquam apud Photium alio loco, Cod. LXI. p. 61. Aeſchines Antalcidae diſcipulus dicitur. Verum pro Λεωδάμαντος et Ἀνταλκίδα legendum eſt Ἀλκιδάμαντος. Nam Suidas v. Αἰσχίνης diſerte tradit, eum Alcidamantis Eleatae diſcipulum fuiſſe. Et ſic Xylandro ad Plutarch. l. c. et Ionſio de Scriptor. H. Ph. III. 1. p. 216. placet. Io. Faber ad Fulu. Vrſini Imag. Illuſtr. p. 51. in gemma, cui *Leodamantis* nomen inſculptum erat, praeter Leodamantis, Aeſchinis, diſcipuli, caput ſibi videre viſus eſt. Quod quam vanum et ridiculum ſit, ex modo dictis intelligitur. Error librariorum, in Plutarcho et Photio Λεώδαμας et Ἀλκίδαμας confundentium, mihi ſuſpicionem iniecit, an in Ariſtotele Rhetor. I. p. 232. pro Ἀλκίδαμας ἐν τῷ Μεσσηνιακῷ legendum ſit Λεώδαμας ἐν τῷ Μεσσηνιακῷ, vt haec oratio habita ſit contra Calliſtrati orationem ἐν τῇ Μεσσηνιακῇ ἐκκλησίᾳ, quam laudat Ariſtoteles Rhet. III. p. 739. Diſſenſiſſe inter ſe hos Oratores, paulo ante vidimus. Sed non oportet nimis eſſe ſuſpicacem.

Lycoleon. Ex eius *pro Chabria* oratione fragmentum habet Ariſtoteles Rhetor. III. p. 653. in quo cum ſtatuae, quam Nepos Chabr. 1. et Diodor. Sicul. XV. p. 28. Chabriae poſitam narrant, mentio fiat, clarum eſt, hanc orationem habitam eſſe poſt Olymp. C. 4.

Coccvs, Athenienſis, Iſocratis diſcipulus, teſte Suida in v. Sed Quinctilianus eum videtur antiquiorem ſtatuere non ſolum Iſocrate, ſed etiam Lyſia, XII. 10. p. 624. *Quis erit hic Atticus? Sit Lyſias, hunc enim amplectuntur amatores iſtius nominis modum. Non igitur iam vsque ad Coccum et Andocidem remittemur.* Niſi forte locum ſubobſcurum de Cocci et Andocidis contemtu interpretari malis.

Isaevs.

ISAEVS. Eius vitam enarrarunt Dionyſius Halicarnaſſenſis, Pſeudo-Plutarchus et Photius, ex iis et aliunde Meurſius et Fabricius, ad quos Iſaei ſtudioſos ablegamus. Fabricius in Dionyſii Halic. Ep. ad Amm. p. 120. Ἰσοκράτην reponens pro Ἰσαῖον, non videtur ipſum Dionyſium inſpexiſſe. Rectius Fr. Sylburgius in eiusdem Demoſth. p. 167. Κριτίας legit, vbi vulgo editur Ἰσαῖος.

EVBVLVS. Tres Eubuli, vt Comicum taceam, in Attica hiſtoria commemorantur. Primus eſt Spinthari F. Probaliſius, cuius mentionem facit Demoſthenes c. Neaer. p. 580. et monimentum Athenis vidit Pauſanias I. p. 73. Sed hunc oratorem fuiſſe, nullo documento conſtat. Alter eſt Mneſithei F. Cyprius, vel Cytherius, vt Valeſio ad Harpocrat. p. 80. et Corſino Faſt. Att. T. I. p. 236. videtur, cuius decretum de legatis ad Philippum mittendis memorat Demoſthenes de Cor. p. 494. 495. vbi Vlpianus eum dicit Macedonibus ſtuduiſſe. Tertius eſt Anaphlyſtius, maximae auctoritatis orator et demagogus, quem, vbicunque Eubulus ſimpliciter commemoretur, intelligendum puto. Is Ariſtarchum caedis accuſauit, eoque crimine implicuit Demoſthenm. Vlpian. in Midian. p. 667. 669. 694. Ex quo tempore Demoſtheni perpetuae cum illo ſimultates interceſſerunt. Vlpian. in Demoſth. de falſ. leg. init. Midiam aduerſus Demoſthenem defendit, vt liquet ex Midiana p. 159. Aeſchini, olim ſcribae ſuo, patronus adſuit in iudicio de ementita legatione. Aeſchin. de falſ. legat. fin. Demoſthen. in or. eiusdem argumenti p. 217. et Vlpian. p. 382. effecitque auctoritate ſua, vt populi ſuffragiis liberatus diſcederet. Photius Cod. LXI. p. 62. et Taylor. ad Demoſth. Or. laud. init. Errant enim, mea ſententia, Pſeudo-Plutarchus l. c. p. 840. C. et Photius Cod. CCLXIV. p. 1466. Aeſchinem ab Eu-

bulo Probaliſio tum ſeruatum ſcribentes, nollemque adeo, quo in errore ipſi ſunt, in eundem induxiſſent Valeſium ad Harpocrat. p. 80. et Taylorum ad Aeſchin. c. Cteſiph. p. 611. Anaphlyſtius Eubulus, nullam e bello laudem conſectatus, curam pecuniae publicae ſuſcepit, reditus auxit, claſſes inſtruxit, vrbem monimentis exornauit. Aeſchines c. Cteſiph. p. 375. Dinarch. c. Demoſth. p. 102. et Plutarch. Polit. praec. p. 812. E. Sed in hac pecuniae cura pernicioſam ciuitati legem tulit, vt, qui pecuniam theatralem in militarem conuertiſſet, capite plecteretur. Vlpian. in Demoſth. Olynth. I. p. 14. Quam legem, Philino etiam memoratam apud Harpocrat. v. Θεωρικά, vehementer reprehendit Demoſthen. Olynth. I. p. 4. A. III. p. 39. A. et de rep. ord. p. 123. A. ſeqq. vbi vide Vlpianum. Ac vere iudicat Theopompus apud Harpocrat. v. Εὔβελος, nunquam ciuitatem imbelliorem et ignauiorem, quam cum ab illo adminiſtrabatur, fuiſſe. Mox, cum neceſſitas veniſſet pecuniae nou in theatrales voluptates, ſed in bellum impendendae, legis ſuae mutandae conſilia agitauit. Demoſthen. de falſ. legat. p. 217. Suſcepit etiam legationem ad Philippum. Demoſthen. de Cor. p. 480. Quam cum ſic geſſiſſet, vt Macedonum partibus ſtudere videretur, acta eius exagitauit Demoſthenes. Aeſchin. de falſ. leg. p. 241. Cum Phrynone et Philocrate, improbis demagogis, iungitur a Luciano Encom. Demoſth. p. 520. et Vlpiano in Olynth. III. p. 45. Ei Demoſthenem in republica gerenda ſucceſſiſſe, ſcribit Libanius Tom. I. p. 436. C. Mortuum quidem eſſe ante Demoſthenem, patet ex Or. de Cor. p. 531. Sed rempublicam per plures annos vna cum Demoſthene adminiſtraſſe, ex iis, quae diximus, intelligitur. Adde Or. c. Leptin. p. 52. de falſ. leg. p. 180. de Cor. p. 476. Mores hominis egregie deſcribit Theopompus apud

apud Athen. IV. p. 166. D. et apud Harpocrat. v. Εὔβελος. Potentia quanta fuerit, docet Demoſth. de fall. leg. p. 217. et ad eum Vlpianus. Mortuo honores decreti ſunt, de quibus fuit Hyperidis oratio, quam ſaepe laudant Grammatici. Ex Eubuli *aduerſus Charetem* oratione haec habet Ariſtoteles Rhetor. I. p. 257. Οἷον Εὔβελος ἐν τοῖς δικαζηρίοις ἐχρήσατο κατὰ Χάρητος, ὦ Πλάτων εἶπε πρὸς Ἀρχίβιον· Ὅτι ἐπιδέδωκεν ἐν τῇ πόλει τὸ ὁμολογεῖν πονηρὸς εἶναι vbi Victorius perperam Platonem, philoſophum, intelligit, cum Comicus ſit intelligendus, e cuius dicto ſi ſyllabam, quae abundat, cum Valckenario noſtro ſuſtuleris, finis ſenarii erit ἐπιδέδωκε τῇ πόλει. Sed hic non eſt praetermittendus locus Plutarchi de fraterno amore p. 486. D. οἱ δὲ βίοις χρώμενοι διαφόροις, τόν τε φθόνον ἐκτρέπονται, καὶ συνεργοῦσιν ἀλλήλοις μᾶλλον, ὡς Δημοσθένης καὶ Χάρης· καὶ πάλιν Αἰσχίνης καὶ Εὔβελος, καὶ Ὑπερίδης καὶ Λεωσθένης. Quis eſt ille Eubulus imperator, qui Aeſchini mutuam operam praeſtiterit? Equidem nullum hoc nomine cognoui. Noli dubitare, quin mutilus locus ſit, atque hoc modo reſtituendus. — ὡς Δημοσθένης καὶ Χάρης, καὶ πάλιν Αἰσχίνης καὶ Φωκίων, καὶ Εὔβελος καὶ Διοπείθης, καὶ Ὑπερίδης καὶ Λεωσθένης. Quam emendationem ipſe Plutarchus confirmat Phocion. p. 744. F. τὰς μὲν λέγοντας ἐν τῷ δήμῳ καὶ γράφοντας μόνον, ὧν Εὔβελος ἦν, καὶ Ἀριστοφῶν, καὶ Δημοσθένης, καὶ Λυκοῦργος, καὶ Ὑπερίδης· Διοπείθη δὲ καὶ Μενεσθέα, καὶ Λεωσθένη, καὶ Χάρητα, τῷ στρατηγεῖν καὶ πρεσπολεμεῖν αὔξοντας ἑαυτούς. Phocion, imperator, Aeſchini adfuit in cauſa male obitae legationis, vt ipſe teſtatur in Apologise ſuae fine. Haec, ni fallor, veterum de Eubulo loca ſunt omnia, quae ſe alibi daturum promittebat Taylorus ad Aeſchin. c. Cteſiph. p. 611.

Hactenus eloquentiae ortum et incrementa vidimus. Nunc ad illud tempus venimus, quo se ad tantum extulit fastigium, vt vltra quo progrederetur, non haberet. Quod etsi multorum ingeniis studiisque perfectum est, vnus tamen DEMOSTHENES praecipue hanc laudem tulit; de quo verissime iudicat Cicero Brut. 9. *Plane perfectum oratorem, et cui nihil admodum desit, Demosthenem facile dixeris. Nihil acute inueniri potuit in eis causis, quas scripsit, nihil, vt ita dicam, subdole, nihil versute, quod ille non viderit; nihil subtiliter dici, nihil presse, nihil enucleate, quo fieri possit aliquid limatius: nihil contra grande, nihil incitatum, nihil ornatum vel verborum grauitate, vel sententiarum, quo quidquam esset elatius.* Cum quo loco coniungendus est alter de Orat. 7. Ceterum de Demosthene, eiusque aequali, et aduersario perpetuo, AESCHINE, tanto minus aliquid dicere attinet, quod speramus, futurum, optamus quidem certe, vt vtriusque historia, a Tayloro promissa, post eius fata in lucem proferatur.

Demostheni, vt Cicero pergit Brut. 9. *Hyperides proximus, et Aeschines fuit, et Lycurgus, et Dinarchus, et is, cuius nulla extant scripta, Demades, aliique plures. Haec enim aetas effudit hanc copiam.* De HYPERIDE nonnulla diximus ad Rutilium. I. 19. p. 64. Κολυτεὺς vocatur ab iis, qui vitam eius enarrarunt. Itaque Eustratius in Aristotel. Nicom. IX. p. 148. b. Aeschini, qui Κοθωκίδης fuit, ὁμογενεῖς Κολυττεῖς tribuens, duos Oratores confundit. Ex oratione, qua Hyperides laudauit, qui in bello Lamiaco perierant, bene longum et praeclarum fragmentum superest apud Stobaeum Serm. CXXIII. p. 618. inde repetitum a Tayloro Lect. Lys. c. III. cui in transcursu medicinam faciamus: τὸς τῶις τιμαῖς τῶν θεῶν καταλυομέναις βοηθήσαντας, πλείσης εὐδαιμονίας ὑπὸ τᾶ δαιμονίᾳ τυγχάνειν.

χάνειν. Legendum: — πλείσης κηδεμονίας ὑπὸ τῆ δαιμονίᾳ τυγχάνειν. Quod Gesnerus in MS. reperit ἐπιμελείας, est explicatio vocis, quam reposuimus. Nobilis inprimis est eius Δηλιακὸς, e quo duo luculenta fragmenta conseruarunt Sopater in Hermogen. p. 183. et Scholiastes anonymus in eundem p. 389. inde relata ab Is. Casaubono ad Athen. X. 6. Alterum eorum sic legitur apud Ioannem Siceliotam Commentario MS. in Hermogenem: Λέγεται γὰρ τὴν Λητὼ κύεσαν ἐκ Διὸς, ἐλαύνεσθαι ὑπὸ τῆς Ἥρας κατὰ πᾶσαν γῆν τε καὶ θάλασσαν ζηλοτυπέσης. ἤδη δὲ αὐτὴν ἡ ὠδὶς καταλαβοῦσα, εἰς τὴν ἡμετέραν χώραν λῦσαι τὴν ζώνην· ἀνθ' ὧν νῦν ὁ Ζωστὴρ ἀπὸ δεκατικῆ. ἔπειτα εἰς Δῆλον διαβᾶσαν διδύμας τεκεῖν, Ἄρτεμίν τε καὶ Ἀπόλλωνα, τὰς θεάς. vbi scribendum: ἀνθ' ὧν νῦν ὁ Ζωστὴρ ἀπὸ τῆδε καλεῖται. Vid. Stephan. Byz. v. Ζωστήρ. Apud Plutarchum de Glor. Athenienf. p. 350. B. Hyperidi tribuitur Πλαταϊκὸς, quae Isocratis est oratio. Sed assentiar eruditissimo Valckenario, Δηλιακὸς reponenti. Eiusdem oratoris Κυθνιακὸς laudatur a Suida v. Θαῤῥαλέον, cuius quale argumentum fuerit, nondum licuit indagare. Eum orationis titulum Valesius in Mauss. not. ad Harpocrat. p. 338. restituendum putabat in Schol. Aristoph. ad Au. 881. vbi vulgo legitur, Ὑπερίδης ἐν τῷ Χαλκῷ. Sed melior est altera coniectura et ipsius Valesii, et aliorum, ἐν τῷ Δηλιακῷ. Immo suspectum habeam titulum Κυθνιακὸς, dum alterius scriptoris auctoritate confirmetur. *Hyperidis* et *Euripidis* nomen librarii non semel commutarunt. Aristotel. Rhetor. II. p. 345. Διὸ εὖ ἔχει ἡ τῆ Εὐριπίδη ἀπόκρισις πρὸς Συρακοσίους. Ipsum responsum, vt notum illo tempore, Aristoteles praetermisit, sed, quale fuerit, explicat Scholiastes: Εὐριπίδης πρὸς τὰς Συρακοσίας πρεσβὺς ἀποσταλεὶς, καὶ περὶ εἰρήνης καὶ φιλίας δεόμενος, ὡς ἐκεῖνοι ἀνένευον,

εἶπεν· ἔδει, ἄνδρες Συρακόσιοι, εἰ καὶ δι' ἐδὲν ἄλλο, ἀλλάγε διὰ τὸ ἄρτι ὑμῶν δέεσθαι, αἰσχύνεσθαι ἡμᾶς ὡς θαυμάζοντας. Quod Graeculus iſte non finxiſſe, vt Victorius putat, ſed ex vetuſtis commentariis, vt alia quaedam, hauſiſſe videtur. Sed pro Εὐριπίδης legendum Ὑπερίδης. Nam Hyperides varias pro republica legationes ſuſcepit, non Euripides. De legatione ad Eleos vide Pauſan. V. p. 431. et Pſeudo-Plutarch. l. c. p. 850. A. de legatione ad Rhodios, Pſeudo-Plutarch. ibid. Hic τὸν Ῥοδιακὸν habuit, quem vnus memorat Grammaticus Sangermanenſis MS. Προπεσεῖν, προπετῶς τι ποιῆσαι. Ὑπερίδης Ῥοδιακῷ. — LYCVRGI vitam quam erudite enarrarit Taylorus, nemo neſcit. De DINARCHO, vide, quae diximus ad Rutil. II. 5. p. 88. 16. p. 126. DEMADIS *nulla extare ſcripta*, dicunt Cicero l. c. et Quinctilian. II. 17. p. 105. XII. 10. 629. Sed legit eius orationes Tzetzes, vel potius Rhetor antiquus, quem ille compilauit, Chil. VI. 36. 37. Immo ſuperſtitem habemus partem Orationis ὑπὲρ τῆς δωδεκαετίας, quam ipſam memorat Suidas v. Δημάδης. Adſcribamus illum locum, quo nullus in Suida neque corruptior eſt, neque difficilior ad emendandum: Δημάδης, Ἀθηναῖος, ῥήτωρ καὶ δημαγωγὸς πανοῦργος καὶ εὐτυχής· πρότερον ναύτης ὤν. ἔγραψεν ἀπολογισμὸν πρὸς Ὀλυμπιάδα τῆς ἑαυτῆ δωδεκαετίας. ἱστορίαν περὶ Δήλε, καὶ τῆς γενέσεως τῶν τῆς Λητῆς παίδων. ἔτος κατέλυσε τὰ δικαστήρια, καὶ τὰς ῥητορικὰς ἀγῶνας. τελευτᾷ δὲ ἐπὶ Ἀντιπάτρε. Quae vitiata ſunt, ſic corrigenda, quae luxata, ſic locis ſuis reponenda: Δημάδης, Ἀθηναῖος. ῥήτωρ καὶ δημαγωγὸς πανοῦργος καὶ εὐφυής· πρότερον ναύτης ὤν. ἔγραψεν ἀπολογισμὸν περὶ τῆς ἑαυτῆς δωδεκαετίας. ἱστορίαν περὶ Δήλε, καὶ τῆς γενέσεως τῶν τῆς Λητῆς παίδων. τελευτᾷ δὲ κατ' Ὀλυμπιάδα ριε. ἐπὶ Ἀντιπάτρε, ὃς κατέλυσε τὰ δικαστήρια

ρια καὶ τὰς ῥητορικὰς ἀγῶνας, καὶ μετ' Ἀλέξανδρον βασιλεύσας, Θήβας ἀνέστησε. Nunc, age, singularum mutationum rationem reddamus, et locum paucis illustremus. Εὐφυὴς apud Atticos significat *dicacem*, *facetum*. Grammaticus MS. in Bibl. Reg. Εὐφυὴς καὶ εὐμαθὴς διαφέρει. εὐμαθὴς μὲν, ὁ καλῶς μανθάνων. εὐφυὴς δὲ, ὁ πανοῦργος καὶ σκώπτης. Sic etiam Ammonius, vbi Valckenarius V. C. docte explicuit hanc vocis potestatem. Plutarch. Demosth. p. 857. D. οἱ δ' εὐφυεῖς χλευάζοντες, ἐχ ὑπὸ κυνάγχης ἔφραζον, ἀλλ' ὑπ' ἀργυράγχης εἰλῆφθαι νύκτωρ τὸν δημαγωγόν. Atqui inter illos εὐφυεῖς Demadem fuisse, tradit Pollux VII. 104. Cicero quoque Orat. 26. Demadem *praeter ceteros oratores facetum* dicit: idque satis ostendunt multa eius dicta, quae passim commemorantur. *Nauta* ab aliis etiam scriptoribus Demades vocatur: ἰχθυοπώλης a Proclo Prolegomenis ineditis in Hesiodum. Vocem Ὀλυμπιάδα, quam Interpretes ridicule de Alexandri matre acceperunt, in sedem suam reuocauimus, adiecimusque numeros ριε. Nam Diodor. Sicul. XVIII. p. 293. Demadis mortem refert ad Olymp. CXV. 2. Vt vero Demades orationem, qua rerum per duodecim annos a se gestarum rationem reddidit, περὶ τῆς δωδεκαετίας inscripsit, sic Demetrius Phalereus, teste Diogene Laërt. V. 81. librum scripsit περὶ τῆς δεκαετίας, quo non decennalem Troiae obsidionem enarrauit, vt inepte coniicit Menagius, sed rationem reddidit decem annorum, quibus ipse reipublicae praefuerat summa cum auctoritate. *Historiam Deli* praeter rem Demadi tribui, bene iudicat Fabricius Bibl. Gr. Vol. IV. p. 421. Non autem Demades iudicia et Oratorum certamina sustulit, sed Antipater post proelium ad Cranonem. Itaque verba, ὃς κατέλυσε etc. ad Antipatrum transtulimus. Vltima verba, καὶ μετ' Ἀλέξανδρον etc. huc e

sequenti articulo reuocanda esse, viderat etiam doctissimus Kusterus. Hactenus de Suidae loco. Demades etiam attigit Harpalicam pecuniam. Dinarch. c. Demosth. p. 101. et c. Aristogit. p. 106. Euthycratem, Olynthinm, ab Athenienſibus infamia notatum, in integrum restituit, et publicum hospitem fecit. Suid. v. Δημάδης. Quod eius decretum Polyeuctus oppugnauit oratione, quae laudatur ab Apsine Art. Rhet. p. 707. Cum Phocione de vrbe tradenda Antipatro consensit. Nepos Phocion. 2. et ibi Lambinus. Filium, eximia forma praeditum, Philippo ad turpes voluptates reliquit. Scholiast. in Hermogen. p. 356. et Suid. in v. Mores hominis et formam ita describit Pytheas apud Athen. II. p. 44. F. ὁ δὲ πορνοβοσκῶν καὶ μεθυσκόμενος, κατὰ τὴν ἡμέραν ἑκάστην προγάστωρ ἡμῖν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἀνακυκλεῖται. Plura de eo Fabricius l. c.

Nunc reliquos huius aetatis Oratores, a Cicerone praetermissos, enumeremus.

Androtion, Andronis, forte eius, quem Harpocration vnum ex Quadringentis fuisse scribit, filius, Isoratis discipulus. Suid. in v. Contra hunc extat Demosthenis oratio, quam, quod sibi cum Isocratis discipulo certandum esset, summa arte elaborauit. Scholiast in Hermogen. p. 401. ἐπετήδευσεν ὁ Δημοσθένης κεκαλλωπισμένον ἐργάσασθαι τὸν κατ' Ἀνδροτίωνος, ἀντιφιλοτιμούμενος πρὸς Ἰσοκράτην (leg. Ἰσοκράτειον) ξήτορα παρίσοις ἐπιχειρῶμενον κατὰ ζῆλον τῶ διδασκάλω. Vide Taylorum ad init. Androtianae. Laudat Androtionem Aristoteles Rhetor. III. p. 583. Ad hunc Ionsius de Script. H. Ph. II. 9. p. 159. refert Ἀτθίδα, cuius auctor nobis ab oratore diuersus videtur.

Cydias. Eius oratio περὶ τῆς Σάμε κληρουχίας laudatur ab Aristotele Rhetor. II. p. 348. Ex orationis argumento colligi potest, quando Cydias vixerit. Nam

Nam Philochorus apud Dionyſ. Halic. in Dinarcho p. 118. auctor eſt, colonos in Samum miſſos eſſe Archonte Ariſtodemo, Olymp. CVII. 1. Vide Valeſ ad Harpocrat. p. 111. et Corſin. Faſt. Att. T. IV. p. 27.

Aesion, Demoſthenis condiſcipulus. Suid. v. Δημοσθένης. Hic de ſuperioris et ſui temporis Oratoribus quid ſentiret, rogatus, reſpondit: ὡς ἀκέων μὲν ἄν τις ἐθαύμασεν ἐκείνες εὐκόσμως καὶ μεγαλοπρεπῶς τῷ δήμῳ διαλεγομένες· ἀναγινωσκόμενοι δ' οἱ Δημοσθένες λόγοι πολὺ τῇ κατασκευῇ καὶ δυνάμει διαφέρσι. Sic ex Hermippo narrat Plutarch. Demoſth. p. 851. A. Demoſthenem ipſum de ſe et Calliſtrato eodem modn iudicaſſe, tradit Vlpianus in Demoſth. c. Timocr. p. 822. Laudat Aeſionem Ariſtoteles Rhetor. III. p. 650. Vide Ionſium de Script. H. Ph. I. 7. p. 36.

Philinvs, Nicoſtrati filius, ſi modo idem eſt, cuius mentionem facit Demoſthenes adu. Mid. p. 144. Tres eius orationes laudat Harpocration. Prima eſt πρὸς Αἰσχύλε, Σοφοκλέες καὶ Εὐριπίδε εἰκόνας, v. Θεωρικά, oppoſita decreto Lycurgi, vt his Tragicis ſtatuae ex aere ponerentur; quod bene vidit magnus Valeſius ad Not. Mauſſac. in Harpocrat. p. 290. Altera κατὰ Δωροθέε, ab aliis Hyperidi tributa. Harpocrat. v. Ἐπὶ κόρρης. Tertia Κεκωνιδῶν διαδικασία πρὸς Κοιρωνίδας, ab aliis tributa Lycurgo. Harpocrat. v. Κοιρωνίδαι. Eam, vt Philini, laudat Athenaeus X. p. 425. B. vbi vide Iſ. Caſaubouum; eodemque haec pertinent in Lexico Rhetorico MS. Κορωνιάδαι. γένος Ἀθήνησιν ἱερὸν ἀπὸ Κάνωνος, ὃς ἦν ἀδελφὸς Κόρωνος. καὶ Κορωνίδαι, γένος ἱερὸν Ἀθήνησιν. ἀμφότεροι δ' ἦσαν παῖδες Τριπτολέμε. Quae ita corrigenda ex Harpocratione: Κοιρωνίδαι. γένος Ἀθήνησιν ἱερὸν ἀπὸ Κοίρωνος, ὃς ἦν ἀδελφὸς Κρόκωνος. καὶ Κροκωνίδαι, etc. Male apud Suidam Κυρωνίδαι, nec bene apud Athe-

naeum Κρεκανιδῶν. Grammaticus vetus *de scriptorum furtis* apud Clement. Alexandr. Strom. VI. p. 748. Philinum aliquid a Demosthene sumsisse dicit. Ex quo Valesius aliud argumentum capere poterat contra Maussacum, qui illum Antiphontis aequalem statuebat.

ARISTOGITON. Hunc non ex articulo quodam, sed totum cognoscere licet ex Demosthenis et Dinarchi aduersus cum orationibus, quae supersunt. Vide Mauss. ad Harpocrat. v. Αὐτοκλείδης, Valesium in Mauss. not. p. 254. Taylor. ad Demosth. c. Aristogit. p. 510. et ad Aeschin. c. Timarch. p. 83.

HEGEMON, Orator ex illorum numero, qui nullis literis eruditi ad eloquentiam exercendam venerint, de quibus insignis locus est Syriani in Hermogen. p. 16. ὥσπερ τινὲς καὶ τὴν ὅλην ῥητορικὴν τέχνην ἐ βούλονται, (τέχνην εἶναι) ἀλλ' ἐμπειρίαν, ἀπὸ τῆς τῶν μεταχειρισαμένων ἀπαιδευσίας ὡρμημένοι. (leg. ὡρμημένην) οἷον Δημάδῃ τῷ ἀπὸ τῆς κώπης ἀνίπτοις τοῖς τῷ λόγῳ χερσὶν ἐπὶ τὸ βῆμα πηδήσαντος, καὶ Ἡγήμονος, καὶ Πυθίᾳ, καὶ Ἀριστογείτονος. Hegemonem non tam oratorem, quam sycophantam fuisse, dicit Troilus Sophista Prolegom. in Aphthon. p. 596. Bibl. Coisl. ἡ ῥητορικὴ ἀντίστροφος τῇ συκοφαντικῇ, ἧς ἡγήσαντο Ἀριστογείτων καὶ Ἡγήμων. ἡ ἀντίστροφος τῇ κολακευτικῇ, ἧς ἡγήσαντο Δημάδης καὶ Ἀριστόδημος. vbi *Hegemonis* nomen, quod e Codice, quo vsus est Montfaucernius, exciderat, restituimus ex versione horum Prolegomenorum, facta ab Hilarione Monacho Veronensi, quae sub titulo *Hermogenis Rhetorices compendium* reperitur inter Rhetores Latinos Aldinos, p. 152. Hegemon, Philippi muneribus corruptus, Macedonum partibus fauit. Pseudo-Aeschines Ep. XII. p. 746. Liban. Tom. I p. 471. B. et Harpocrat. in v. Maiestatis accusatus est ab Aristogitone. Demosthen. Or. I. adu. Aristogit. p. 481. Tulit legem de cura pecuniae thea-

theatralis ſcribae committenda. Aeſchines c. Cteſiph. p. 375. et ibi Taylor. Praeteritus eſt a populo, cum deligendus eſſet, qui orationem funebrem haberet. Demoſthen. de Cor. p. 577. Periit denique vna cum amico ſuo, Phocione. Plutarch. Phoc. p. 757. C. 758. B.

APHAREVS, Iſocratis priuignus, et per adoptionem filius, orationes quasdam ſcripſit. Pſeudo-Plutarch. p. 838. B. et Suid. in v. Eius orationem *πρὸς Μεγακλείδην περὶ τῆς ἀντιδόσεως* laudat Dionyſ. Halic. in Iſocrat. p. 102.

MENESAECHMVS, acerbus et vehemens aliorum ſe meliorum accuſator, qui non modo Lycurgum, ſed etiam eiusdem mortui liberos vexauit. Pſeudo-Plutarch. l. c. p. 842. D. E. et Photius l. c. p. 1486. Ioannet Siceliota Commentario MS. in Hermogen. *ὅθεν (Δημοσθένης) καὶ τῷ δήμῳ γράφει τὰς ἐπιστολὰς, συκοφαντεμένοις τοῖς Λυκούργου τοῦ ῥήτορος παισὶν ὑπὸ Μενεσαίχμου προθύμως ἐπικουρῶν.* Ipſe etiam a Lycurgo accuſatus eſt. Pſeudo-Plutarch. l. c. p. 843. C. Porro memoratur inter eos, qui Demoſthenem propter acceptam pecuniam Harpalicam reum egerint. Pſeudo-Plutarch. l. c. p. 846. C. Sed, qualis fuerit, melius intelligitur ex Dionyſio Halic. in Dinarcho p. 117. *ἀφαιρῶμαι δὲ τὰς περὶ Μενεσαίχμου λόγους ἀμφοτέρους, Δεινάρχου. — διά τε τὸν χαρακτῆρα· ὑδαρὴς γάρ, καὶ κεχυμένος, καὶ ψυχρός· καὶ ὅτι λέγων αὐτὸς ἂν ἔτε ἄδοξος, καὶ μετὰ Λυκοῦργον τὴν διοίκησιν τῶν δημοσίων χρημάτων παραλαβών, ἐξητασμένος δὲ πολλάκις αὐτὸς, ὡς ἐν τοῖς λόγοις περὶ ἁπάντων μηνύει· καὶ ἐν ἰδίοις καὶ ἐν δημοσίοις ἀγῶσιν ἐκ ἂν ἦν ἀδύνατος, ὥστε Δεινάρχῳ λογογραφεῖ χρῆσθαι.* vbi legendum eſſe *ὑπὲρ Μενεσαίχμου*, contextus docet. Recte vero Dionyſius negat, Dinarchum *pro Meneſaechmo* orationes

nes ſcripſiſſe. Nam a Suida v. Πραγματεία laudatur Dinarchi oratio *contra Meneſaechmum*.

HEGESIPPVS. Huic Aeſchines Κρωβύλε cognomen per ludibrium indidit, ex quo illud annotarunt Grammatici, Harpocration, Heſychius, Suidas, et, vt legitimum cognomen, tenuit Plutarchus. In republica Hegeſippus eodem, quo Demoſthenes, ſenſu fuit. Liban. Tom. I. p. 461. A. auctor ſocietatis cum Phocenſibus ineundae. Demoſthen. de falſ. legat. p. 139. 140. et Aeſchines c. Cteſiph. p. 409. vbi vide Taylor. item auctor belli Philippo indicendi. Demoſthen. de Cor. p. 496. Itaque in legatione Macedonica contumelioſe habitus a Philippo eſt. Demoſthen. de falſ. legat. p. 231. Obiit etiam legationem ad Peloponneſios. Demoſthen. Phil. III. p. 95. A. Timarchum, ab Aeſchine accuſatum, defendit. Aeſchin. c. Timarch. p. 37. Callippum accuſauit. Liban. argum. orat. de Haloneſo. Critici veteres ei tribuunt duas Demoſthenis orationes, alteram *de Haloneſo*, alteram *de foedere cum Alexandro*. Vide Meurſium Att. Lect. III. 7. Acuta eius dicta refert Plutarchus Demoſth. p. 853. E. et Apophthegm. p. 187. D.

MOEROCLES, Salaminius, nobilis inprimis demagogus. Harpocrat. in v. Saepe pro Μοιροκλῆς ſcriptum reperitur Μυροκλῆς. Nec multum referre putat Wolfius ad Demoſth. de falſ. legat. p. 218. vtro modo ſcribatur. Sed veram ſcripturam eſſe Μοιροκλῆς, docent Victorius ad Ariſtotel. Rhetor. III. p. 649. et Meurſius Att. Lect. I. 13. Moeroclis decretum aduerſus eos, qui mercatores iniuria afficerent, memorat Demoſthen. c. Theocrin. p. 547. vbi vide Taylor. Accuſatus eſt ab Eubulo, quod a ſingulis eorum, qui metalla redemerant, vicenas drachmas exegiſſet. Demoſthen. de falſ. legat. p. 218. In republica gerenda meliorum partium fuit. Liban. Tom. I. p. 406. B. Itaque

que Antipater vel Alexander poſtulauit, vt ſibi cum aliis demagogis dederetur. Vid. notas ad Rutil. I. 9. p. 33. Laudatur ab Ariſtotele Rhetor. l. c. Praeclare H. Valeſius ad Harpocrat. p. 129. eius nomen reſtituit Timocli apud Athen. VIII. p. 341. F.

Δημοσθένης τάλαντα πεντήκοντ' ἔχει,
Μακάριος εἴπερ μεταδίδωσι μηδενί.
Καὶ Μοιροκλῆς εἴληφε χρυσίον πολύ.

Ante legebatur Μητροκλῆς. Eiusdem nomen corruptum iatet in Pſeudo-Plutarcho l. c. p. 842. D. ἀποθανόντος δὲ (Λυκέργε) παρέδωκαν τὰς παῖδας τοῖς ἑνδεκα, Μενεσαίχμε μὲν κατηγορήσαντος, γραψαμένε δὲ Θρασυκλέες. Sic etiam in Plutarcho legit Photius l. c. p. 1486. vt intelligatur, non recens natum, ſed inueteratum mendum eſſe. Lege: — γραψαμένου δὲ Μοιροκλέες. Nam Moerocles Lycurgi liberos in carcerem coniecit. Demoſthen. Ep. III. p 197. E. εἰ δὲ Μοιροκλῆς ἀποκρίνεται, ταῦτα μὲν σοφώτερα ἢ καθ' ἑαυτὸν εἶναι· ἵνα δὲ μὴ ἀποδρῶσιν, αὐτὸς αὑτὰς δῆσαι. etc. Thraſycles, Pylagoras, eſt apud Aeſchin. c. Cteſiph. p. 408.

Polyevcti. Duo hoc nomine Oratores fuerunt. Primus eſt, qui orationem, ab alio in Sacratem ſcriptam, recitauit. Phauorinus apud Diogen. Laërt. II. 38. vbi Menagius male intelligit Polyeuctum Sphettium. Contra hunc orationem ſcripſit Antiphon. Grammaticus Sangermannenſis MS. Ἀναδέξαι, οἷον ἐγγυῆσαι Ἀντιφῶν πρὸς Πολύευκτον, Δεινόλοχος Ἀλθαίᾳ. Alter, multo clarior, eſt Sphettius, diſſentiens ille quidem in cauſſa Midiana a Demoſthene, vt patet ex Midiana p. 137. ſed in republica gerenda Demoſthenis rationem ita ſecutus, vt ille coniunctiorem haberet neminem. Pſeudo-Plutarch. l. c. p. 844. F. et Liban. Tom. I. p. 409. B. 422. A. Cum Demoſthene et aliis legatus miſſus eſt in Peloponneſum. Demoſthen.

ſthen. Phil. III. p. 95. A. et Pſeudo-Plutarch. l. c. p. 841. E. Aliquanto poſt aliam ad Arcadas legationem ſuſcepit. Pſeudo-Plutarch. l. c. p. 846. C. Crimen auri ab Harpalo accepti in eum iacit Dinarchus c. Demoſth. p. 103. cuius non vnam aduerſus illum orationem Grammatici laudant. Corporis obeſitatem, quae dicentem impediret, in eo riſit Phocion. Plutarch. Phoc. p. 746. A. Iuxuriam notat Anaxandrides apud Athen. IV. p. 166. D. Eius de Demoſthene et Phocione iudicium hoc fuit: *μέγιστος μὲν ῥήτωρ Δημοσθένης, δυνατώτατος δὲ εἰπεῖν Φωκίων.* Plutarch. Demoſth. p. 850. D. Phoc. p. 753. F. Polit. praec. p. 803. E. Iudicium de Aeſchine, quod Photius Cod. LXI. p. 62. ad Dionyſium Sophiſtam refert, Tzetzes Scholiis MSS. in Hermogenem tribuit Polyeucto, haud dubie duo diuerſa iudicia confundens. Orationes Polyeucti laudantur ab Ariſtotele Rhetor. III. p. 749. et Diog. Laert. VI. 23. Elegans inprimis, quamuis aliquot mendis deformatum, ex oratione *contra Demadem* fragmentum eſt apud Apſinem Art. Rhet. p. 708. *Τί γὰρ σχῆμα ἔξει; τὴν ἀσπίδα προβέβληται;* (f. *προβεβληκότος*) *ἀλλὰ ταύτην γε ἀπέβαλεν ἐν τῇ μάχῃ τῇ περὶ Χαιρώνειαν. ἀλλὰ ἀκροξόλιον νεὼς ἔξει; ποιας; ἢ τῆς τῶ πατρός; ἀλλὰ βιβλίον ἐν ᾧ φάσεις καὶ εἰσαγγελίαι ἔσονται γεγραμμέναι; ἀλλὰ νὴ Δία ςήσεται προσευχόμενος τοῖς θεοῖς, κακόνους ὢν τῇ πόλει. καὶ τὰ ἐναντία πᾶσιν ἡμῖν εὐχόμενος, ἀλλὰ τοῖς ἐχθροῖς ὑπηρετῶν.* vbi miretur aliquis, quod Polyeuctus dicit, Demadem in proelio Chaeronenſi ſcutum abieciſſe. Nam Demoſthenem, ſcuto abiecto, fugiſſe, Demadem in acie captum eſſe, inter omnes ſcriptores conſtat.

Pytheas. De eo, quae ab antiquis ſcriptoribus narrentur, congeſſimus ad Rutil. I. II. p. 40. quibus adde locum Plutarchi Phocion. p. 751. A. *πρὸς δὲ Πυθέαν ἀρχόμενόν ποτε πρῶτον ἐντυγχάνειν Ἀθηναίοις, ἤδη*

ἤδη δὲ λάλον ὄντα καὶ θρασύν, Οὐ σιωπήσεις, ἔφη, καὶ ταῦτα νεώτητος ὢν τῷ δήμῳ;

STRATOCLES. De eo diximus ad Rutil. I. 9. p. 32. Hic addimus, *Patroclis* nomen in Pseudo-Plutarcho et Suida, cui *Stratoclis* substituimus, retinendum videri. Nam Patrocles, Phlyensis, demagogus, occurrit apud Demosthen. de Cor. p. 509. Nec dubium est, quin aduersus illum orationem scripserit Hyperides. Vide Meursium Att. Lect. I. 18.

CEPHISODORVS, Isocratis discipulus, inter Oratores refertur a Dionysio Halic. Ep. ad Amm. p. 120. quem etiam vide in Isaeo p. 111. Nullam eius orationem commemoratam inuenimus. Sed tanto frequentius laudatur *Apologia Isocratis aduersus Aristotelem*, de qua vide Ionsium de Scriptor. H. Ph. I. 13. p. 96. Ad hunc Cephisodorum retulerim *Historiam belli sacri*, siue *Phocici*, cuius duodecimum librum laudat Anonymus interpres, quem Aspasium puto, ad Aristotelis Nicomach. III. p. 46. b. Nam plerique Isocratis discipuli se ad historiam scribendam contulerunt.

PHILISCVS, Milesius, Isocratis discipulus. Suid. in v. Hunc Dionysius eodem loco inter Oratores recenset. Itaque δημηγορίαι, quas Suidas Philisto Syracusio tribuit, huic tribuendae videntur. Lycurgi vitam ab eo scriptam laudat Olympiodorus Commentario MS. in Platonis Gorgiam. Vide Taylorum praef. ad Demosth. et Lycurgi Oratt. p. 2. Eiusdem Epigramma in Lysiam conseruauit Pseudo Plutarchus p. 836. cuius tenebras dispellere conati sunt viri praestantissimi, Ier. Marklandus apud Taylor. in Vita Lys. p. 60. et I. Toupius Emendat. in Suidam T. II. p. 194. Inter Philisci discipulos fuit Timaeus, historiae scriptor. Vid. Suid. v. Τίμαιος.

THEODECTES, Phaselites, Platonis, Isocratis et Aristotelis discipulus, item a Dionysio l. c. inter Oratores

tores refertur. Stephanus etiam Byz. v. Φασηλὶς ei tribuit λόγους ῥητορικοὺς ἐπῶν. vbi in corrupto ἐπῶν orationum numerus latet. Eius *Apologiam Socratis* laudat Ariſtoteles Rhet. II. p. 490. 495. aliam orationem, quae Νόμος inſcripta eſt, ibid. p. 994. Quali vſus ſit dicendi genere, docet Dionyſius in Iſaeo p. III. Reliqua, quae de Theodecte dici poſſent, non ſunt huius loci.

NAVCRATES, vel NAVSICRATES, (non *Naucratites*) Erythraeus, Iſocratis diſcipulus. Cicero de Orat. II. 23. III. 44. Orat. 51. Quinctilian. III. 6. p. 129. et Suid. v. Θεοδέκτης, et v. Ἰσοκράτης. Excitatus exemplo magiſtri, qui Euagoram mortuum laudarat, orationes funebres ſcripſit. Dionyſ. Halic. in Arte p. 39. Talem orationem Cimonis memoriae ab illo conſecratam eſſe, videor mihi colligere e Plutarchi Cimone p. 491. C. Sed fruſtra quidam in Diogene Laërt. II. 55. legunt: καὶ Ναυκράτη Γρύλλῳ ἐγκώμιον γεγραφέναι. Nam Σωκράτη tenendum eſſe, contextus ſatis oſtendit. De Naucratis in dicendo facultate iudicat Dionyſius Halic. in Iſaeo p. III. Plura Taylorus Lect. Lyſiac. c. III. Apud Suidam reperio, Philiſtum Naucratitam, vel Syracuſium, ſcripſiſſe πρὸς τὸν Τεικάρανον λόγον περὶ Ναυκράτεως. quem locum caue de Naucrate, oratore, accipias. Nam ſcribendum, περὶ Ναυκράτιος, *de Naucrate, vrbe Aegypti.*

ISOCRATES, Apolloniates, Amyclae filus, Iſocratis Athenienſis diſcipulus et ſucceſſor, et quinque orationum auctor. Suid. in v. Huic Harpocration. v. Ἔπακτὸς ὅρκος tribuit Παραίνεσιν πρὸς Δημόνικον, quae vulgo Iſocratis Athenienſis putatur. In quo Harpocration conſentit cum Suida. Nam Apolloniatae προτρεπτικὸς λόγος, que ille vocat, non alius eſt, niſi Παραίνεσις. Suidae teſtimonium effugit M. A. Muretum et H. Stephanum, qui de huius libelli auctore

ſtore multis diſputarunt, non item elegantiſſimum virum, Iacobum Facciolatum in praefat. Paraeneſis a ſe editae. Eundem Apolloniatem Iſocratem, Suidas v. Θεοδέκτης et v. Ἰσοκράτης narrat, cum Theopompo, Theodecte, et Naucrate interfuiſſe certamini de laudibus Mauſoli dicendis. At Pſeudo-Plutarchus p. 838. B. maiorem Iſocratem Mauſoli laudes cum illis decertaſſe ſcribit. Gellius etiam X. 18. eſſe dicit, *qui Iſocratem ipſum cum iis*, quos diximus, *certauiſſe memoriae mandauerint.* Sed omnem controuerſiam dirimit Theopompus, qui apud Porphyrium, cuius locum retulit Euſeb. P. E. X. 3. p. 464. gloriatur, magiſtrum Iſocratem a ſe victum eſſe. Quis, qui Hiſtoricorum fidem recte aeſtimare didicit, non potius credat Theopompo, huius ipſius certaminis actori, quam centum Suidis, incertam famam ſecutis? Tamen Taylorus Lect. Lyſiac. c. III. in alia omnia diſcedit, et Pſeudo-Plutarcho, rem recte narranti, inſultat. Tantam caliginem cupiditas doctis etiam hominibus offundere ſolet. In Apolloniatem Iſocratem acerbe et contumelioſe inuehitur Auctor Socratic. Epiſt. XXVIII. p. 65. τὸν δὲ Ποντικὸν μαθητὴν ἀπέδειξε τῆς αὐτῷ σοφίας διάδοχον. ἔσυ, πολλὰς τεθεαμένος σοφιστὰς, βδελυρώτερον ἐχ ἑώρακας. et mox p. 67. μὴ θαυμάζειν δὲ, εἰ καί πως ἀναγνὰς ὁ Ποντικὸς μωλύτερον καὶ φαυλότερον ποιεῖ φαίνεσθαι τὸν λόγον. Sic ille locus ſcribendus, in quo, quid μωλύτερον eſſet, non intellexit Allatius. Lex. Rhetor. MS. Μωλύτερον. τὸ ἀμβλύτερον, καὶ ἀνοητέτερον, καὶ ἄνθος ἐκ ἔχον. vbi pro ἀνοητέτερον lege ἀναισθέτερον, et ad eandem normam corrige Photium Lex. MS. et Etymologum M. Illam vero inter Socraticas epiſtolam Cl. Valckenarius ſuſpicatur a Speuſippo ſcriptam, lectamque ab Iſocrate, qui illum ipſum locum attigit Orat. ad Philipp. p. 87. D.

ANAXIMENES, Ariſtoclis F. Lampſacenus, diſcipulus Zoili et Diogenis Cynici, notior vt hiſtoricus, et dicendi magiſter, quam vt orator. Vide Meurſium ad Chalcid. p. 419. et Voſſium de Hiſt. Gr. I. 10. Attigit tamen genus deliberatiuum et iudiciale. Dionyſ. Halic. in Iſaeo p. 111. eiusque ingenio formata eſt oratio, quam Euthias *aduerſus Phrynem* habuit, vt ex Diodoro Periegete narrat Athenaeus XIII. p. 591. E. ex Hermippo Harpocrat. v. Εὐθίας, vbi vide Mauſſacum. Diodorus id ſine dubio tradiderat in libris περὶ μνημάτων, quos laudat Plutarchus Theſeo p. 17. D. Themiſtocl. p. 128. D. Cimon. p. 488. C. Obiter monemus, Διόδωρος legendum eſſe in Pſeudo-Plutarchi Hyperide p. 849. C. vbi nunc editur: Ἡλιόδωρος ἐν τῷ τρίτῳ περὶ μνημάτων. Vide Meurſium ad Chalcid. p. 414.

CRATES, Trallianus, Iſocratis diſcipulus. Diogen. Laert. IV. 23. Huic tribuerim λόγους δημηγορικὸς καὶ πρεσβευτικούς, quos Apollodorus apud Diogen. ibid. refert ad Cratetem, Athenienſem, philoſophum Academicum. Fruſtra Menagius Cratetis mentionem ſibi reperiſſe viſus eſt in Lucian. Rhet. praec. pag. 9. Nam ibi non Crates memoratur, ſed Critias, ſtatuarius, vt bene vidit Solanus.

THEOPOMPVS, Damaſiſtrati F. Chius, Iſocratis diſcipulus. De hoc Cicero de Orat. II. 13. *Poſtea vero, quaſi ex clariſſima rhetoris officina, duo praeſtantes ingenio, Theopompus et Ephorus, ab Iſocrate magiſtro impulſi, ſe ad hiſtoriam contulerunt, cauſas omnino nunquam attigerunt.* vbi vereor, ne ſciolus aliquis inculcarit verba, *quaſi ex clariſſima rhetoris officina*, ex Brut. 8. et Orat. 13. *Cauſas* Cicero intelligit *forenſes*, vt contextus docet. Nam Dionyſius Hal. Ep. ad Pompej. p. 131. auctor eſt, Theopompum multas demonſtratiui et ſuaſorii generis orationes ſcripſiſſe. Immo

Quinc-

Quinctilianus X. 1. p. 500. tradit, eum, *antequam ad hiſtoriam ſollicitatus eſſet, diu oratorem fuiſſe*, atque eo *in hiſtoria ſimiliorem eſſe oratori.* Ad ſuaſorii generis orationes pertinent αἱ πρὸς Ἀλέξανδρον συμβουλαὶ, laudatae Ciceroni ad Attic XII. 40. et Athenaeo VI. p. 230. F. Ἐπιστολὴν πρὸς Ἀλέξανδρον eas vocat Athenaeus XIII. p. 595. A. quod aliquam epiſtolae formam haberent. Illa ipſa epiſtola referenda videtur inter ἐπιστολὰς τὰς ἀρχαϊκὰς γραφομένας, quas commemorat Dionyſius l. c. vbi Fr. Sylburgius minus bene legit: ἐπιστολὰς τὰς ἀρχαϊκὰς vel Ἀχαϊκὰς ἐπιγραφομένας. verissime Valckenarius: ἐπ. τὰς ἀρχαϊκῶς γραφομένας. At caue τὸν περὶ εὐσεβείας, quem laudat Scholiaſt. Ariſtophan. ad Av. 1354. vel orationem Theopompi putes, vel librum, vt Meurſius ad Apollon. Dyſc. Hiſtor. Mirab. p. 99. et Voſſius de Hiſt. Gr. I. 7. Scholiaſtae locus hic eſt: Κύρβεις — ἀπὸ τῶν Κορυβάντων. ἐκείνων γὰρ εὕρημα, ὥς φησι Θεόπομπος ἐν τῷ περὶ εὐσεβείας. Quem locum ad verbum deſcripſit Tzetzes Chil. XII. 406. Verum nemo dubitet, quin Scholiaſtes ſcripſerit: ὥς φησιν Θεόφραστος ἐν τῷ περὶ εὐσεβείας. Inter Theophraſteos hic liber recenſetur a Diogene Laert. V. 50. Emendationem vero plane confirmant Porphyrius et Photius, illa ipſa verba, quibus Κύρβεις a Corybantibus nomen inueniſſe dicuntur, ex Theophraſto afferentes. Alter de Abſt. Anim. II. 21. Μαρτυρεῖται δὲ ταῦτα ὐ μόνον ὑπὸ τῶν κύρβεων, αἱ τῶν Κρήτηθεν εἰσὶ Κορυβαντικῶν ἱερῶν οἷον ἀντίγραφα τινα πρὸς ἀλήθειαν. Sic ille locus ſcribendus. Alter Lex. MS. Κύρβεις. — Θεόφραστος δὲ, ἀπὸ τῶν Κρητικῶν Κορυβάντων· τῶν γὰρ Κορυβαντικῶν ἱερῶν οἷον ἀντίγραφα αὐτὰς εἶναι. Ex eodem Theophraſti libro ductum eſt, quod Porphyrius habet II. 16. vbi parem librariorum errorem deprehendimus. Nam pro Θεόπομπος ἱστόρηκεν

legendum Θεόφραστος ἱστόρηκεν. De Theopompo hoc etiam narrat Suidas: γεγονὼς — ὅτε καὶ Ἔφορος, Ἰσοκράτης ἀκμάζει. ἅμα Ἐφόρῳ ἔγραψεν ἐπιτομὴν τῶν Ἡροδότου ἱστοριῶν ἐν βιβλίοις β'. Non iniuria Vossio l. c. mirum videbatur, duos summos viros tantillae rei simul operam dedisse. Sed praua interpunctio, quae etiam in Kusteriana editione seruata est, virum egregium fefellit. Recte Meursius l. c. interpungendum vidit: γεγονὼς — ὅτε καὶ Ἔφορος, Ἰσοκράτης ἀκμάζει ἅμα Ἐφόρῳ. ἔγραψεν etc. Theopompi *Epitomen Herodoti*, praeter Photium Lex. MS. et Suidam v. Σπουδάζω, laudat Grammaticus Sangermanensis MS. Ἀναβῆναι τὴν ἵππον, ἀντὶ τοῦ ἐπιβῆναι. Θεόπομπος ἐν ἐπιτόμῳ τῶν Ἡροδότου. vbi Herodoti verba a Theopompo seruata ostendit Pierſonus ad Moerid. Attic. p. 4. Idem Grammaticus: Κακόβιος. Θεόπομπος ἐν τῇ ἐπιτομῇ Ἡροδότου. et: Φυγαδεῦσαι. τὸ φυγάδα ἐλάσαι. Θεόπομπος ἐπιτόμῳ τῶν Ἡροδότου. Quae loca huc retulimus, vt doceremus, Vossium, qui hanc Epitomen iuniori cuidam Theopompo tribuit, coniectura aberrare. Nam Grammaticus ille non nisi vetustissimos, et classicos, quos vocamus, scriptores laudat, vt eorum auctoritate vindicet voces et loquendi formulas, quas Atticistae temere damnassent.

Glavcippvs, Hyperidis filius, patris exemplo eloquentiae studium secutus est, et orationes scripsit. Pseudo-Plutarch. p. 848. D. et Photius p. 1480. Eius orationem *contra Phocionem* laudat Plutarchus Phoc. p. 743. C.

Agnon, vel agnonides. Hic cum Theophrastum impietatis reum agere esset ausus, parum abfuit, quin ipse hoc crimine conflagraret. Diogen. Laërt. V. 37. Athenis pulsus a Macedonibus, post ab Antipatro, Phocionis precibus, reditum impetrauit.

uit. Plutarch. Phoc. p. 754. F. Mox aduerſae Phocioni factionis dux et caput, a quo beneficium acceperat, vt Piraeei proditorem, condemnauit. Nepos Phoc. 3. et Plutarch. l. c. p. 756. F. 757. A. 758. A. Sed cum Athenienſes ſera Phocionis damnati poenitentia ſubiiſſet, eius ſupplicio Phocionis manibus parentarunt. Plutarch. l. c. p. 759. B. Scripſit Agnonides *Rhetorices accuſationem.* Quinctilian. II. 17. p. 105. *Agnon quidem detraxit ſibi inſcriptione ipſa fidem, qua Rhetorices accuſationem profeſſus eſt.* vbi fruſtra laborat P. Burmannus, non animaduertens, *Agnonem* dici, qui alibi *Agnonides* dicatur. In Nepote l. c. multi Codices *Agnone* habent pro *Agnonide;* quod non de nihilo eſſe, bene iudicat Vir ſummus, T. Hemſterhuſius ad Lucian. Timon. p. 157. qui plura exempla, in quibus nominum formae primitiuae et patronymicae commutentur, dedit ad Ariſtophan. Plut. p. 325. Statim de Oratore dicemus, qui modo *Democles*, modo *Democlides* vocatur.

CALLICRATES. Dionyſius Halic. in Dinarcho p. 118. fatetur, ſe nihil huius oratoris vidiſſe, ſed in Tabulis Pergamenis ei tribui Dinarchi orationem *contra Demoſthenem.* Quod non intelligendum de oratione, quae nunc ſupereſt, ſed de alia, quae periit. Nos quoque nullam huius Oratoris mentionem inuenimus.

Hactenus eloquentiam vidimus ſummo faſtigio ſtantem. Nunc, quomodo ſenſim inclinarit, ſequitur, vt dicamus. Cicero de Orat. II. 23. *Poſteaquam, extinctis his, omnis eorum memoria ſenſim obſcurata eſt et euanuit, alia quaedam dicendi molliora ac remiſſiora genera viguerunt: inde Democharis, quem aiunt ſororis filium fuiſſe Demoſthenis; tum Phalereus ille Demetrius, omnium iſtorum, mea ſententia, politiſſimus, aliique eorum ſimiles extiterunt.* De DEMOCHARE diſputaui-

mus ad Rutil. I. 2. p. 7. quibus adde Corſinum Faſt. Att. T. II. p. 96. De DEMETRIO PHALEREO luculentus etiam locus eſt Ciceronis Brut. 9. *Phalereus ſucceſſit eis ſenibus adoleſcens, eruditiſſimus ille quidem horum omnium, ſed non tam armis inſtitutus, quam palaeſtra. Itaque delectabat magis Athenienſes, quam inflammabat. Proceſſerat enim in ſolem, et puluerem, non vt e militari tabernaculo, ſed vt e Theophraſti, doctiſſimi hominis, vmbraculis. Hic primus inflexit orationem, et eam mollem, teneramque reddidit, et ſuauis, ſicut fuit, videri maluit, quam grauis: ſed ſuauitate ea, qua perfunderet animos,* (ὅπου χρὴ καταντλῆσαι, Longin.) *non qua perfringeret: et tantum vt memoriam concinnitatis ſuae, non, quemadmodum de Pericle ſcripſit Eupolis, cum delectatione aculeos etiam relinqueret in animis eorum, a quibus eſſet auditus.* Hunc primum inclinaſſe eloquentiam, etiam Quinctilianus dicit, X. 1. p. 501. Eius hiſtoriam enarrarunt Diogenes Laert. V. 75. ſeqq. et Iac. Perizonius ad Aelian. V. H. III. 17.

Reliqui huius aetatis Oratores hi ſunt:

DEMOCLES, Theophraſti diſcipulus. Is Lycurgi liberos a Moeroclis et Meneſaechmi calumniis defendit. Pſeudo-Plutarch. in Lycurgo p. 842. D. Acerbo maledicto infectatus eſt Democharem. Timaeus apud Suid. v. Ὦῖ τὸ ἱερὸν πῦρ. Vide, quae diximus ad Rutil. I. 2. p. 8. Eum orationis cuiusdam, quae Dinarcho tribuebatur, auctorem putat Dionyſius Halic. in Dinarcho p. 117. *Democlides* patronymica forma vocatur ab eodem Dionyſio, et Timaeo l. c. Nec dubitem, quin Archon Eponymus fuerit Olymp. CVI. 1. Corſinus vero Faſt. Att. T. IV. p. 59. Democlidem Sphettium dicens, manifeſto errore illum confundit cum Dromoclide, Sphettio, eiusdem temporis oratore, cuius mentio fit a Plutarcho Demetr. p. 894. D. 905. B. Polit. praec. p. 798. E.

CHARI-

CHARISIVS. De eo diximus ad Rutil. I. 10. p. 37. Erunt fortaſſe, qui eius nomen reſtituendum putent in Grammatico veteri Bibl. Coisl. p. 489. Ὀργεῶνες εἰσὶν οἱ κοινωνοῦντες ἀλλήλοις θεῶν ἢ ἡρώων ἐν ἱεροῖς, καὶ κοινῇ θυηπολοῦντες, ὡς Χάρις λέγει ἐν τῷ κατὰ Διονυσίου. καὶ πάλιν ὀργεῶνες τινὲς, ἐν ἀπολογίᾳ ὕβρεως σαφὲς ποιεῖ. Sed Grammatici veteres non niſi decem Oratorum Atticorum auctoritate vti ſolent, certe nusquam Chariſii. Cl. Albertus ad Heſychium v. Ὀργεῶνες emendat Χάρης, intelligens Charetem, quem Suidas v. Ἀντίπατρος, vt ſibi cum aliis Oratoribus dederetur, ab Antipatro poſtulatum ſcribit. Sed Chares imperator fuit, non Orator: de eoque Suidam accipiendum eſſe, planum eſt ex Arriano de Exp. Alex. M. I. p. 22. Huc accedit, quod Iuſtinus XI. 4. narrat, non oratores tantum poſtulatos eſſe, ſed etiam duces. Equidem non temere ſuſpicor, nomen Χάρις ex Δείναρχος truncatum eſſe, cuius orationes κατὰ Διονυσίου, et ἀπολογία ὕβρεως laudantur a Dionyſio Halic. in Dinarcho p. 116. 118.

HEGESIAS, Magnes, Aſiaticorum Oratorum antiquiſſimus, de quo diſputauimus ad Rutil. I. 7. p. 25.

CLEOCHARES, Myrleanus, ex eodem numero Oratorum Aſiaticorum, vt indicat patria. De eo diximus ad Rutil. I. 2. p. 5.

ISIDORVS, Pergamenus, poſtremus aetate Oratorum Aſianorum, quos Rutilius laudat. Vide ad Rutil. II. 16. p. 128.

DAPHNIS, MYRON, et SOSICRATES, quos Rutilius laudat, et ipſi Aſiatici Oratores fuiſſe videntur. Sed cum nullam eorum mentionem apud alios inuenerimus, nihil certi pronunciare licet.

Recenſuimus Oratores vere hoc nomine dignos, nec vltra progredi conſtituimus. Nam quicunque poſt hos a Cicerone et aliis commemorentur Oratores Rho-

dii et Asiatici, non tam Oratores, quam Declamatores fuerunt. Itaque licebit illos ex hac Historia tollere, praesertim cum nec Gorgias noster vllam eorum rationem habuerit.

Sed tempus est, vt declaremus id, cuius caussa omnis haec disputatio instituta est. Quaerebatur autem, quid sit, quare Gorgias, decem Oratoribus Atticis, qui bene dicendi lex et norma habebantur, non contentus, aliorum etiam auctoritatem adhibendam existimarit? Antiquissimorum magistrorum in Rhetorica et Poëtica illustranda haec ratio fuit, vt per omnes Oratores et Poëtas vagati, quid in quoque rectum et pulcrum reperirent, laudarent, et ad imitandum proponerent, quid in quoque vitiosum, reprehenderent, et ad imitationem trahendum negarent. Quae res non potest melius, quam Aristotelis exemplo, declarari. Is in dicendi praeceptis tradendis se non vni Demostheni, aut reliquis nouem Oratoribus, quasi in seruitutem addixit, sed ex Androcle, Aristophonte, Iphicrate, Cephisodoto, aliisque multis excellentissimum quodque libauit. Poëticet praeceptis illustrandis exempla quamuis multa suppeditare poterant Homerus, Pindarus, Aristophanes, Sophocles, in suo quisque genere principes. At ille Empedoclem, Melanippidem, Anaxandridem, Dicaeogenem, aliosque plures assumendos putauit. Quod quin recte fecerit, non potest dubitari. Nam, vt Cicero dicit de Inuent. II. 2. *in studiis a multis eligere homines commodissimum quodque, quam sese vni alicui certo volunt addicere.* Sed haec ratio mutata est tempore Ptolemaeorum. Exorti enim sunt duo summo ingenio et singulari doctrina Critici, Aristarchus et Aristophanes Byzantius, qui, cum animaduertissent, ingentem scriptorum turbam plus obesse bonis literis, quam prodesse, suum iudicium secuti, certum omnis generis scriptorum delectum haberent.

Itaque

Itaque ex magna Oratorum copia tanquam in canonem decem duntaxat retulerunt, Antiphontem, Andocidem, Lyſiam, Iſocratem, Iſaeum, Aeſchinem, Lycurgum, Demoſthenem, Hyperidem, Dinarchum. Ex Heroicis poëtis recepti ſunt Homerus, Heſiodus, Piſander, Panyaſis, Antimachus: e Iambographis, Archilochus, Simonides, Hipponax; ex Elegiacis, Callinus, Mimnermus, Philetas, Callimachus: e Lyricis, Alcman, Alcaeus, Sappho, Steſichorus, Pindarus, Bacchylides, Ibycus, Anacreon, Simonides: e Tragicis, Aeſchylus, Sophocles, Euripides, Ion, Achaeus: ex antiquae Comoediae ſcriptoribus, Epicharmus, Cratinus, Eupolis, Ariſtophanes, Pherecrates, Plato; ex mediae, Antiphanes et Alexis; ex nouae, Menander, Philippides, Diphilus, Philemon, Apollodorus. In Hiſtoricorum cenſura probati ſunt Herodotus, Thucydides, Xenophon, Theopompus, Ephorus, Anaximenes, Calliſthenes. Tragicorum duplex ordo fuit. Principes illi, quos modo enumerauimus, τῆς πρώτης τάξεως fuerunt: Philiſcus, Corcyraeus, cum ſex aliis quos recenſet Scholiaſt. Hephaeſtion. p. 32. 93. τῆς δευτέρας τάξεως. Vid. Suid. v. Φιλίσκος Κερκ. Hunc criticorum canonem, praeter Proclum Chreſtomath. p. 340. ſqq. et Grammaticum Bibl. Coisl. p. 597. ſecutus eſt Quinctilianus libro decimo, vbi claſſicorum, quos dicimus, ſcriptorum cenſum agit. Primum vero delectum ab Ariſtarcho et Ariſtophane inſtitutum eſſe, eiusdem Quinctiliani teſtimonio confirmatur, X. 1. p. 496. *Apollonius in ordinem a Grammaticis datum non venit, quia Ariſtarchus atque Ariſtophanes, poëtarum iudices, neminem ſui temporis in numerum redegerunt.* Quo loco quaeri poteſt, quomodo Callimachus, Apollonii aequalis, in Elegiacorum ordinem venerit? Sed illum fortaſſe poſteriores Critici in numerum redegerunt, ſicut Tzetzes in vita Lycophron. Apollonium in Pleia-

dem Poëtarum varii generis relatum tradit, mox p. 497. *ex tribus receptis Ariſtarchi iudicio ſcriptoribus iamborum ad ἕξιν maxime pertinebit vnus Archilochus.* Scriptores, quos Critici in talem canonem retuliſſent, proprie dicebantur *in ordinem venire*, *in ordinem redigi*, *in numerum redigi*, *recipi:* contra, quos repudiaſſent, *numero eximi.* Quinctilian. I. 4. p. 18. *quo quidem iudicio ita ſeuere vſi ſunt veteres Grammatici, vt — auctores alios in ordinem redegerint, alios omnino exemerint numero.* Quem locum Wowerius Polymath. c. XVI. et alii, quos nominare non eſt neceſſe, ſic acceperunt, quaſi *in ordinem redigere* eſſet inter viles abiicere, *numero eximere*, ex inferiore loco in ſuperiorem reſtituere. Quo quid poteſt dici peruerſius? Apud Graecos ſignatum hac in re verbum eſt ἐγκρίνεσθαι Suidas v. Δείναρχος. ῥήτωρ τῶν μετὰ Δημοσθένους ἐγκριθέντων εἷς. Photius Cod. LXI. p. 64. Αἰσχίνην Φρύνιχος εἰς τὰς ἀρίστους ἐγκρίνει. Cod. CCLXII. p. 1460 ὧν λόγων τοῖς γνησίοις τρεῖς καὶ τριάκοντα ἐγκρίνουσιν. Lex. Sangerman. MS. v. Αἱμορυγχία. Φρύνιχος μέντοι ἐκ ἐγκρίνει τὴν φωνήν. Sic Cl. Toupius Emendat. T. III. p. 98. in Suida v. Πυθέας corrigebat: ἐκ ἐνεκρίθη μετὰ τῶν λοιπῶν ῥητόρων. Sed nihil mutandum. Nam ſimplex ἐκρίθη eandem vim habet. Ipſe Suidas v. Λυκοῦργος. τῶν μετὰ Δημοσθένους κριθέντων ῥητόρων. et v. Νικόστρατος. ἐτάχθη δὲ ἐν τοῖς κριθεῖσιν ἐπὶ δευτέροις δέκα ῥήτορσι. et v. Τιμοκράτης. ῥήτωρ, τῶν πρώτων κεκριμένων δέκα εἷς. et v. Ἀλέξανδρος Αἰτ. ὡς καὶ τῶν ἑπτὰ Τραγικῶν ἕνα κριθῆναι. Contrarium eſt ἐκκρίνεσθαι. Diodor. Sicul. T. II. p 552. ὃν (Μύσωνα) ἀντεστῆξαν εἰς τοὺς ἑπτὰ σοφούς, ἐκκρίναντες τὸν Περίανδρον. Vide Scaligerum ad Euſeb. Graec. p. 419. et Kuhnium ad Diog. Laert. VIII. 47. Haec autem Criticorum cenſura ſcriptoribus, quos diximus, tantum auctoritatis conciliauit, prope vt ſoli vigerent, et hominum ſtudia tenerent.

Certe

Certe Grammatici, qui ſibi religioni ducerent, de Ariſtarchi iudicio dubitare, non niſi ab eo probatos, interpretandos duxerunt, et Rhetores tantum ex receptis decem Oratoribus, velut vnis veris et legitimis, artem ſuam illuſtrarunt. Plus boni, an incommodi ex his Criticorum decretis profectum ſit, in vtramque partem diſputari poteſt. Vtile erat, multos libros vulgares hominum manibus excuti, et perfectiſſima quaeque exempla ad imitandum proponi. Verum, quid perfectiſſimum ſit, iudicare, quam anceps eſt et difficile! Nonne ſuſpicari licet, alios ex hoc ſcriptorum choro faſtidioſius excluſos eſſe, alios nimis indulgenter receptos? Cur, vt hoc vtar, Dinarcho, quem ipſi veteres *hordeaceum Demoſthenem* vocant, inter decem Oratores Atticos locus datus eſt, praeteritis Calliſtrato et Leodamante, quorum eloquentiam iidem laudibus in coelum ferunt? Quanquam video, Grammaticum Bibl. Coisl. l. c. nouem tantum Oratores Atticos, omiſſo Dinarcho, recenſere. Sed ſit vnus et alter, quem admitti oportebat, repudiatus: teneat primas, cui ſecundae tribuendae erant. Leue hoc malum prae altero, quod inde conſecutum eſt, videri debet. Etenim ſcriptores illi, quos Critici numero exemiſſent, primum legi, et in manibus verſari, mox deſcribi deſierunt, et tandem, vt fieri neceſſe erat, plane interciderunt. Quae diximus, exemplo, quo nullum reperiri poteſt clarius, illuſtremus. Narrat Photius Cod. CCLXII. p. 1461. Paulum Myſum multas pulcerrimasque Lyſiae orationes, velut ſpurias, damnaſſe. Ad cuius Critici auctoritatem cum ſe multi, qui ipſi, quid verum eſſet, iudicare non poſſent, temere contuliſſent, orationes illas obelo notatas deſiiſſe deſcribi, atque ita, magno eloquentiae detrimento, periiſſe. Veruntamen non defuerunt, qui ſuis ſenſibus potius, quam decretis Criticorum, credere mallent, atque adeo ſaepe inter

ter classicos scriptores referrent, quos ab illis praeteritos, vel reiectos scirent. Tales patroni vni ex Oratoribus, Aristogitoni obtigisse videntur. Nam Quinctilianus XII. 10. p. 624. vbi principes illos Oratores nominat, huius etiam mentionem interponit, et Hermogenes de Form. orat. I. p. 296. asperitatis exempla ab illo petenda dicit. Itaque eius orationes diutius, quam aliorum, superfuerunt, quippe laudatae ab Harpocratione v. Αὐτοκλείδης, et v. Θέρσανδρος. Supra e Quinctiliano monuimus, Aristarchi iudicio tres receptos esse iamborum scriptores, in his Archilochum. Qui sint alii duo, dubitat Gesnerus V. C. ad Quinctil. an hodie sciri possit. Nobis satis certum videtur, Simonidem et Hipponactem fuisse, quos cum Archilocho coniungunt Lucianus Pseudolog. p. 163. Proclus Chrestomath. p. 342. et Grammaticus Bibl. Coisl. p. 597. Sed ecce! Plinius, neglecto Aristarchi iudicio, iambographorum principem ponit Herodem *, IV. Ep. 3. *Ita*

* Interpretes multa ad hunc Plinii locum moliuntur, satisque ostendunt, se de Herode Iambographo ne fando quidem quicquam audiuisse. Ex eius Choliambis fragmenta supersunt apud Zenobium VI. 10. Stobaeum S. LXXI. p. 439. LXXVI. p. 453. XCVI. p. 530. CXVIII. p. 591. et Maximum T. II. p. 636. Nomen eius abiit in notius *Herodoti* apud Etymolog. M. p. 411. 41. Ζήτριον διὰ τοῦ ι συνεσταλμένον. καὶ παρὰ Ἡροδότῳ· Ἀγ' αὐτὸν εἰς τὸ ζήτριον. ἔστι δὲ χωλιαμβικὸν τὸ μέτρον. In mendoso Ἡροδότῳ haerebat Cl. Wesselingius Diss. Herodot. p. 29. Idem Etymologi locus induxisse videtur Scaligerum ad Varron. de L. L. VI. p. 149. vt Iamborum scriptorem *Herodotum* vocaret. Athenaeus III. p. 86. B. laudat Ἡρώνδαν ἐν Συνεργαζομέναις vbi Is. Casaubonus negat se alibi Herondam Comicum inuenire. Verum non Comicus laudatur, sed, vt ex subiecto Choliambo apparet, Iamborum scriptor, Herodes, qui patronymica et Doribus propria forma Ἡρώνδας dicitur; quod bene vidit Salmasius Exerc. Plinian. p. 111. Illam nominum formam illustrarunt Hemsterhusius

ad

Ita certe ſum affectus ipſe, cum Graeca epigrammata tua, cum iambos proxime legerem. Quantum ibi humanitatis, venuſtatis! quam dulcia illa! quam antiqua! quam arguta! quam recta! Callimachum me, vel Herodem, vel ſi quid his melius, tenere credebam. Tzetzes etiam Prolegom. in Lycophronem alios potius, quam Ariſtarchum, ſecutus, in iambis palmam defert Ananiae, Archilocho, Hipponacti. Eodem igitur modo Gorgias noluit alieni iudicii neceſſitate adſtringi, ſed liberum ſibi putauit, eos laudare Oratores, quos ſuomet ipſe ſenſu probaſſet. Ac neſcio, an praeſentiens, quid euenturum eſſet, Oratorum vulgo neglectorum ratione habenda cauere voluerit, ne in obliuionem hominum venirent, et tandem penitus interirent.

Cl. Ruhnkenius paſſim locorum huius libelli lectores ad annotationes ſuas ad Rutilium Lupum ablegat. Quas annotationes cum minus credibile ſit omnibus, hos oratores noſtros tractaturis ad manus eſſe, viſum fuit ideo, locos illos illinc excerptos huc transferre, quo, quod ab eo ad hiſtoriam oratorum graecorum collatum eſſet, eius ne quid hic deſideraretur. Ante vero quam illos locos, de Pythea, Stratocle, Demochārete, Chariſio, Iſidoro Pergameno, Hegeſia Magnete, Cleocharete, Hyperide et Dinarcho agentes, referamus, iuuat prius de duobus locis, altero Tullii, altero Demadis, paucis diſputare. Tullii dictionem, *veritatis imitandae* mutatum it V. C. p. 142. cum *veritatis tutandae*, in quo non poſſum facere, quo minus vulgatam defendam, cuius haec

ad Callimach. Fragm. p. 590. et Valckenarius ad Schol. in Euripid. Phoeniſſ. p. 764. Denique Herodem Iambographum cum Herode Attico grauiſſimo errore confundunt Interpretes Plinii, et Fabricius Bibl. Gr. Vol. VIII. p. 710.

haec eſt ſententia. diſcipulos Iſocratis, vmbras vel ideas praeceptorum a magiſtro in ſcholis propoſitas [noſtro loquendi more ſyſtematicas et metaphyſicas illas abſtractas de arte rhetorica praeceptiones] ad veritatem, h. e. ad praxin, tranſtuliſſe, et in actu rerum, (haec enim eſt veritas) ſiue in forenſibus cauſis agendis, ſiue in ſcribendis hiſtoriis, imitatos eſſe, h. e. expreſſiſſe, exercuiſſe et ad vſum vocaſſe. In Demadis loco p. 158. emendando manus V. C. feſtinans ab eius ſententia aberrauit. Non enim προβεβληκότος ipſum dare voluiſſe, ſed προβεβλημένε, extra dubium eſt. Verum tamen certior et conuenientior haec videtur emendandi ratio eſſe, ſi legatur προβεβλήσεται. Referemus totum locum. Τὶ γὰρ σχῆμα ἕξει; *Eoquam formam, quem habitum referet eius ſtatua?* τὴν ἀσπίδα προβεβλήσεται; *num ſcutum proiectum ante ſe tenebit?* ἀλλὰ ταύτην γ' ἀπέβαλεν ἐν τῇ μάχῃ τῇ περὶ τὴν Χαιρώνειαν. *atqui ſcutum certe abiecit in pugna ad Chaeroneam.* ἀλλ' ἀκροστόλιον νεὼς ἕξει; *at roſtra certe nauis tenebit?* ποίας; *at cuius?* ἢ τῆς τοῦ πατρὸς; *num eius, quae, patre ipſius eam cum imperio trierarchi regente, capta fuit ab hoſtibus?* ἀλλὰ βιβλίον; *at codicem certe tamen tenebit?* Recte ais. Codicem tenebit vtique. Sed quem? ἐν ᾧ φάσεις καὶ εἰσαγγελίαι ἔσονται γεγραμμέναι. *eum nempe, in quo perſcriptae erunt eius delationes et indicinae*, quadruplatore, quam viro honeſto, digniores. ἀλλὰ νὴ Δία σήσεται προσευχόμενος τοῖς θεοῖς; *At profecto tamen, ita me Iupiter amet, referet eius ſtatua habitum ſublatis ad coelum manibus deos orantis?* Illene deos oret pro ſalute patriae? κακόνους ὢν τῇ πόλει, *qui tanto odio, tanta malignitate erga remp. ardeat?* καὶ τὰ ἐναντία πᾶσιν ἡμῖν εὐχόμενος, *et quae noſtrum cuique inimica atque peſtifera ſunt, ea deos flagitet.* Non ita ſtabit, ἀλλὰ τοῖς ἐχθροῖς ὑπηρετῶν. *Sed famulans hoſtibus.* Mirificam vim et acrimoniam

et igne-

et igneam contentionem huic loco ineſſe, nemo facile eſt, qui non ſentiat. Iam de diuerticulo in viam.

Sic itaque Ruhnkenius 1. de Pythea (v. p. 158. Hiſtoriae criticae) tradidit ad Rutilii ſui p. 40. Hoc de oratore Suidas ita. Πυθέας, ἀθηναῖος ῥήτωρ υἱὸς δὲ ἦν μυλωθρᾶ καὶ θρασὺς σφόδρα φυγών τε ἀθήνηθεν ἐκ τῆ δεσμωτηρίᾳ διὰ ὄφλημα, εἰς Μακεδονίαν ἦλθεν. εἶτα ἐπανῆκε πάλιν. Quod de eius aere alieno dicit, Demoſthenes, vel quisquis auctor eſt epiſtolae de Lycurgi liberis, p. 199. D. confirmat, narrans, illum malis artibus tantas ſibi diuitias quaeſiuiſſe, vt facilius quinque talenta, quam ante totidem drachmas ſoluere poſſet. Eodem loco Suidas ἐκ ἐνεκρίθη μετὰ τῶν λοιπῶν ῥητόρων, ὡς θρασὺς καὶ διεσπασμένος. vbi corrigendum, ὡς τραχὺς καὶ διεσπασμένος. Nam orationis genus reprehenditur aſperum, durum, diffluens, ſolutum. Nec mirum, Pytheam atticorum oratorum numero excluſum eſſe, quippe qui, vt auctor eſt Syrianus ad Hermogenem p. 16, nullis literarum praeſidiis inſtructus, ad eloquentiam exercendam acceſſerit. Conciones paene puer habuit, et tantula aetate auſus eſt diuinos honores, quos populus Alexandro decreuiſſet, reprehendere. v. Plutarch. politic. praecept. p. 804. B. an ſeni gerenda ſit respublica p. 784. C. Poſtea ſummos in republica geſſit honores, et patria ſacra Delphis pro Athenienſibus fecit, teſte Demoſthene l. c. A Dinarcho accuſatus eſt ξενίας, vel peregrinitatis, forte propter diuturnam in Macedonia moram, quae Dinarchi oratio laudatur a Dionyſio Halicarn. Harpocr. et Stephano Byzant. v. Αἰγίναι, vbi v. Luc. Holſten. Hanc accuſationem l. c. Demoſthenes reſpicit. a Demoſthene Pytheas tota vita diſſenſit, et, cum in republica gerenda varius fuiſſet, tandem partes Macedonum ſecutus eſt; quod non ſolum ex Demoſth. l. c. ſed etiam ex Plutarcho

Dem.

Dem. p. 858. C. D. et Luciano Dem. Eucom. p. 524. 526. intelligitur Demoſthenem etiam pecuniae Harpalicae crimine accuſauit· v. Pſeudo Plutarchum de vitis X. Orat. p. 846. C. et Photium codice 265. p. 1475. Ex hac oratione fragmentum, quod hic [a Rutilio] ponitur, ductum videtur. Plura ab eo acute et procaciter dicta referuntur, maxime in oratorum principem. Hunc apud Dionyſ. Halic. in Iſaeo p. 105. Iſaei artibus paſtum eſſe dicit. Huic apud Plutarch in Dem. p. 855. A. et Tzetzen ſcholiis mſtis in Hermogenem, quae ſunt in bibliotheca Leidenſi, exprobrat fugam e praelio ad Chaeroneam. Hunc propter aquae potitionem et nocturnas vigilias ridet apud Athenaeum p. 44. F. Huius orationes ei videntur lucernam olere apud Aelian. V. H. VII. 7. vbi v. interpretes. Hunc denique, vt Duris teſtatur apud Suidam v. ὦ τὰ ἱερὰ π. infamauit tanquam talem, cui non licuerit ſacrum ignem ſufflare. quod alios de Demochare dixiſſe, ſupra demonſtrauimus. Improbum ſe demagogum fuiſſe, ne ipſe quidem negauit, ſed, quaſi hoc ad crimen minuendum valeret, ſe, ſi cum ceteris demagogis comparetur, minimum tempus improbum fuiſſe. v. Aelian. V. H. XIV. 28. Duas Pytheae orationes laudat Harpocr. τὴν πρὸς τὴν ἔνδειξιν ἀπολογίαν, v. Ἀγραφίς, et τὴν κατ' Ἀδειμάντου, v. Ὀξυθύμια vbi male Ἀδείμαντος vulgatur.

2. Vberior Ruhnkenii de Stratocle expoſitio ex eius Rutilio p. 32. haec eſt: Stratocles orator in plebiſcito apud Pſeudo-Plutarchum de vitis X. Orat. p. 852. a quo Lycurgo ſummi poſt mortem honores decreti ſunt, Euthydemi filius, Diomienſes, dicitur. Decretum factum eſt, rogante Stratocle, qui Lycurgum eximie coluit, eique publicae pecuniae quaeſturam decernendam curauit, teſte eodem Pſeudo-Plutarcho l. c. p. 841. 2. Quid hominem Lycurgo coniunxerit, igno-

ignoramus. Certe quiduis potius fuit, quam morum ſtudiorumque ſimilitudo. Nam vt aetas illa nihil Lycurgo vidit ſanctius, ſic Stratocle nihil improbius. Non tam bene ei conuenit cum Demoſthene, quem ob pecuniam ab Harpalo acceptam publice accuſauit. Quod intelligimus e Dinarcho in Dem. p. 177. A. 175. A. et, ſi per librarios licuiſſet, etiam intelligeremus e Pſeudo-Plutarcho l. c. p. 846. C. et Photio cod. 265. p. 1475. vbi nunc legitur εἰσαχθεὶς δὲ εἰς τὸ δικαστήριον ὑπὸ Ὑπερείδε, Πυθέε, Μενεσαίχμε, Ἱμεραίου, Πατροκλέες, vel Προκλέους. Sed propter diſertum Dinarchi ea de re teſtimonium vix dubitari poteſt, quin ſcribendum ſit Στρατοκλέες. Eorundem nominum commutatio neſcio an facta ſit apud Suidam, v. Ἀντίπατρος. νικήσας δ' ἤτει τὰς δέκα ῥήτορας, ὅς ἐξέδοσαν οἱ Ἀθηναῖοι, Δημοσθένην, Ὑπερίδην, Λυκοῦργον, Πολύευκτον Ἐφιάλτην, Θρασύβουλον, Χάρωνα, Χαρίδημον, Διότιμον, Πατροκλέα, Κάσανδρον. Hi omnes noti ſunt ex hiſtoria Attica praeter Patroclem et Caſſandrum. Laudatur quidem a Grammaticis Hyperidis oratio aduerſus Patroclem. Procles etiam occurrit apud Demoſth. adu. Pantaenetum p. 994. C. Sed nullum ibi indicium eſt, demagogum aut oratorem fuiſſe. Plutarchus in Dem. p. 856. E. hos oratores poſtulatos ſcribit Δημοσθένην, Πολύευκτον, Ἐφιάλτην, Λυκοῦργον, Μοιροκλέα, Δήμωνα, Καλλισθένην, Χαρίδημον. Arrianus de Exp. Alex. M. I. p. 22. hos. Δημοσθένην, Ὑπερείδην, Λυκοῦργον, Πολύευκτον, Χάρητα, Χαρίδημον, Ἐφιάλτην, Διότιμον, Μοιροκλέα. Num ex his apud Suidam reponendum Μοιροκλέα, pro Πατροκλέα. Verum Suidas alios auctores ſecutus eſt, nec ad Plutarchi et Arriani lectionem conformari debet. Praeſtat igitur Στρατοκλέα legere, quo corruptae lectionis veſtigia nos ducunt. Sed quid faciendum nomini Κάσσανδρον. Nam Caſſander, Antipatri

filius fuit, non demagogus aut orator Athenienſis, vt nihil dicam de nominis, Macedonibus proprii, in ciue Attico inſolentia. Ne multa: foediſſime truncatus eſt Suidae locus, et ſic iutegritati reſtituendus Διότιμον, Στρατοκλέα. ἔτως Ἀριστόβουλος ὁ Κασσανδρεὺς. Suidas teſtem laudat Ariſtobulum, clarum hiſtoriae Alexandri M. ſcriptorem, ex quo totum articulum deſcripſerat. Haec coniectura, fateor enim, audacior videri poſſit. Sed omnem dubitationem eximit Plutarchus l. c. qui vbi eandem rem narraſſet, ſubiungit. ταῦτα μὲν ἂν Ἀριστόβουλος ὁ Κασσανδρεὺς ἱστόρηκε. Recte Ionſius de Script. H. P. III. 6. p. 233. et Kuſterus obſeruant, Suidam cum decem oratores poſtulatos dixiſſet, vndecim recenſere. Atqui huic errori medetur emendatio noſtra. Nam Caſſandro oratorum numero exemto tot ſunt oratores, quot Suidas promiſit. Redeamus ad Stratoclem. Demoſthenes Stratocli aliisque, qui ipſum propter pecuniam Harpalicam reum egiſſent, reſpondit oratione περὶ δώρων, cuius nihil praeter nomen ad nos peruenit. In orationibus, quae ſuperſunt, Stratoclem tantum ſemel perſtringit aduerſus Pantaenet. p. 994. καὶ Στρατοκλεῖ τῷ πιθανωτάτῳ πάντων ἀνθρώπων, καὶ πονηροτάτῳ. Venuſtum Stratoclis fragmentum laudat Agatharchides apud Photium cod. 250. p. 1337. Ἄρεται καὶ σπείρεται τὸ Θηβαίων ἄζυ, τῶν συναγωνισαμένων ἡμῖν τὸν πρὸς Φίλιππον πόλεμον. Quod cum totidem prope verbis in Orat. Dinarchi adu. Demoſth. p. 175. D. reperiatur, praeſtantiſſimus Weſſelingius ad Diodor. Sic. XIII. p. 585. ſuſpicatur, vel Dinarchum illud a Stratocle ſumſiſſe, vel orationem, quae Dinarchi dicitur, Stratoclis eſſe. Altera coniectura probabilis, altera nihil habet veri. Neque enim oratio, in qua, vt modo vidimus, ipſe Stratocles laudetur, referri ad auctorem Stratoclem poteſt. Cicero Bruto II. *Stratoclem, vt Themi-*

Themiſtoclis mortem rhetorice et tragice ornare poſſet, finxiſſe ſcribit, *illum, cum taurum immolauiſſet, excepiſſe ſanguinem patera, et eo poto mortuum concidiſſe.* vbi Stratocles hiſtoricus an orator intelligatur, dubitat amiciſſimus Erneſtus Ind. Hiſtorico Ciceronis. Sed cum nullus hiſtoricus hoc nomine fuerit, oratorem intelligi certum eſt. Procax et ſcurrile Stratoclis ingenium cognoſcere licet ex eo, quod referunt Plutarchus Praecept. polit. p. 799. F. Demetrio p. 894. A. et Libanius Ep. 1569. Cum Athenienſes ingentem cladem accepiſſent, ille cladis nuncium praeuertens, populum iuſſit diis ob rem bene geſtam gratias agere, et ſe laetitiae dare. Mox cum alia omnia nunciarentur, et populus indignatione accenſus in ipſum inueheretur, impudenter quaeſiuit, τὶ ἠδίκηται τρεῖς ἡμέρας δι' αὐτὸν ἡδέως γεγονώς; De turpi eius aduerſus Antigonum et Demetrium adulatione, idem Plutarchus Demetr. p. 895. E. 900. A. E. vbi illum ex virtutibus ſuis ornat. ἦν δὲ καὶ τἆλλα παράτολμος ὁ Στρατοκλῆς, καὶ βεβιωκὼς ἀσελγῶς, καὶ τῇ τε παλαιᾷ Κλέωνος ἀπομιμεῖσθαι δοκῶν βωμολοχίᾳ καὶ βδελυρίᾳ τὴν πρὸς τὸν δῆμον εὐχέρειαν. ἔσχε δὲ τὴν ἑταίραν Φυλάκιον. Aliam Stratoclis meretricem memorat Athenaeus loco corrupto XII. p. 596. F. ad quarum alterutram pertinet verſus Philippidis apud Plutarch. Amator. p. 750. F. ἀποστρεφομένας τὴν κορυφὴν φιλεῖς μόλις. Alii verſus, quibus idem Comicus Stratoclem exagitauit, ſunt apud Plutarch. Demetr. p. 894. C. 900. F.

3. ad Rutilii ſui p. 7. haec de Demochare tradidit Ruhnkenius. Quanquam in Democharis hiſtoria illuſtranda verſati ſunt primarii viri, P. Leopardus Emend. VII. 25. G. I. Voſſius de H. G. I. II. Ionſius de Script. H. P. I. 17. et Henricus Valeſius ad Excerpta Polybii p. 10. et in notis ad Mauſſaci ad Harpocr. p. 295. tamen nos haud poenitet idem argumentum denuo tra-

ſtare. Democharis, Leuconoënſis, orator et hiſtoricus inſignis, patrem habuit Lachetem, matrem Demoſthenis ſororem, auum Democharem, qui Demoſthenis materteram in matrimonium duxerat v. Demoſthen. adu. Aphobum I. p. 897. B. et II. p. 905. E. Suidas v. Δημοχάρης, et v. Γύλων. Summi quos in patria geſſit, honores referuntur in Decreto Athenienſium apud Pſeudoplutarchum de vitis X. oratorum p. 851. Labem, quam eius vitae adſperſerat Timaeus, graui defenſione eluit Polybius Excerpt. p. 53. De eius oratoria facultate ita iudicat Cicero de Oratore II. 23. *alia quaedam molliora ac remiſſiora dicendi genera viguerunt. Inde Democharis, quem aiunt ſororis filium fuiſſe Demoſtheni.* Nobilis eſt eius Apologia pro Sophocle, qui decreto ſuo philoſophos Attica exegerat, quam laudat Ariſtocles apud Euſeb. P. E. XV. 2. p. 791. et Athenaeus, non conſultus a Fr. Vigerio ad Euſeb. V. p. 187. D. 215. C. XI. p. 508. F. 509. A. XIII. p. 610. F. Secundo Athenaei loco ſic editur. περὶ ὧν Δημοχάρης ἢ Κράτης ἔλεγεν ὥσπερ ἐκ θύμβρας. Sed tollendum ἢ Κράτης, quod eſt librarii dubitantis Δημοχάρης an Δημοκράτης eſſet ſcribendum. De Democharis hiſtoria ita Cicero Bruto 83. *Democharis autem, qui fuit Demoſtheni ſororis filius, et orationes ſcripſit, et earum rerum hiſtoriam, quae erant Athenis ipſius aetate geſtae, non tam hiſtorico, quam oratorio genere perſcripſit.* Quod veriſſimum eſſe iudicium, nemo, qui quae ex illa habent Polybius l. c. et Athenaeus VI. p. 252. F. legerit, dubitabit. Lucianus etiam in Macrobiis p. 214. eius hiſtoriam laudat. Nec aliunde, quam ex hiſtoria, hauſta videntur, quae ex Democharе citat Plutarchus Demoſth. p. 860. B. Praeter hiſtoriam et orationes Democharis etiam ſcripſit Dialogos. Harpocrat. v. Ἰσχανδρος — δοκεῖ δ' αὐτῷ [Iſchandro] συνυποκρινόμενος Αἰσχίνης ὁ ῥήτωρ ἐν Κολυττῷ καταπεσεῖν, καθά-

καθά φησι Δημοχάρης ἐν τοῖς Διαλόγοις. Quamquam hunc locum in corruptelae ſuſpicionem adducit Pſeudoplutarchus in Vitis X. orat. p. 840. tragicam Aeſchinis vocem confirmans non ex Democharis Dialogo, ſed ἐκ τῆ Δημοχάρες λόγε. Quemadmodum Democharis poſt mortem a Timaeo, ſic viuus vehementer vexatus eſt ab Archedico Comico, qui illum negabat propter vitae obſcoenitatem atque oris ſpurcitiem, ἄξιον εἶναι τὸ ἱερὸν πῦρ φυσᾶν. ſic e Timaeo narrat Polybius l. c. Verum idem Timaeus apud Suidam v. ὦ τὸ ἱερὸν πῦρ, non Archedicum, ſed Democlidem, huius conuicii auctorem vocat. Τίμαιος ἐν λή ἱστοριῶν, ὡς οἱ περὶ Δημοκλείδην κατὰ Δημοχάρες εἶπον, ὅτι μόνῳ αὐτῷ πάντων Ἀθηναίων ἐκ ἔξεστι τὸ ἱερὸν πῦρ φυσῆσαι. Quem Democlidem Comicum eſſe credunt Leopardus l. c. Kuſter ad Suid. v. Δημοχάρης, neque ab hac opine alienus eſt Valeſius ad Harpocr. l. c. ſed cum nullus Comicus eo nomine commemoretur, Δημοκλείδην mutat in Τιμοκλείδην, patronymico poſito pro Τιμοκλῆς. Enimuero nec Comicus intelligendus, nec nomen hominis eſt mutandum. Nam Democlides eſt orator atticus, Democharis aequalis, cuius mentionem facit Dionyſius Halicarn. in Dinarcho p. 117. ſed vt loca inter ſe pugnantia concilientur, ſtatuendum a Timaeo duplicem eſſe proditum huius conuicii auctorem, Archedicum Comicum et Democlidem Oratorem, Polybium vero et Suidam ſatis habuiſſe alterutrum e Timaeo commemorare. Ad Democharem noſtrum etiam refertur, quod narrat Seneca de Ira III. 23. *Democharis ad Philippum, Parrheſiaſtes ob nimiam et procacem linguam appellatus, inter alios Athenienſium legatos venerat: audita benigne legatione Philippus: Dicite, inquit, mihi, facere quid poſſum quod ſit Athenienſibus gratum? Excepit Democharis. Te, inquit, ſuſpendere.* Nec dubitari poteſt hunc ipſum Democharem intelligendum

esse, qui ex linguae libertate, cuius etiam exempla sunt apud Aelian. V. H. III. 7. VIII. 12. non modo cognomen *Parrhesiastae*, sed etiam exilium inuenit. v. Plutarchi Demetr. p. 900. A. Verum quod Democharis ad Philippum legatus esse profectus dicitur, id temporis rationes satis refellunt. Nimirum Senecae, quod aliis locis bene multis, id hic quoque accidit, vt per memoriae lapsum Philippum diceret pro Antipatro. Res clara e Polybio l. c. καθ' ὃν [Antipatrum] πεπαρρησιάσαι πολλὰ καὶ δυνάμενα λυπεῖν. Omnem denique dubitationem tollit Decretum Athenienſium supra laudatum, in quo cum omnes Democharis honores recenseantur, nulla legationis ad Philippum, contra diserta legationis ad Antipatrum fit mentio. In tota Democharis vita nihil magis eminet atque exstat, quam quod ab auunculo, Demosthene, imbiberat, democratiae studium tyrannidisque odium. Itaque a vero abhorrere videtur, quod Diogenes Laert. VII. 14. tradit, Democharem gratiam, qua apud Antigonum Gonnatam floreret, Zenoni philosopho venditasse. Superest, vt duplicem Fabricii in vno homine errorem castigemus. Nam Democharem, quem alibi recte inter oratores retulerat, B. G. Vol. II. p. 57. inter philosophos Platonicos, et p. 402. inter philosophos Stoicos recenset, ductus leui, vel nullo potius argumento, quod Democharis a Diogene Laert. IV. 21. cum Arcesila, VII. 14. cum Zenone dicitur aliquem vsum habuisse.

4. de Charisio ad Rutilii p. 37. haec tradidit Ruhnkenius: De Charisio Cicero Bruto 83. *Et quidem duo fuerunt per idem tempus dissimiles inter se, sed Attici tamen, quorum Charisius multarum orationum, quas scribebat aliis, cum cupere videretur imitari Lysiam, Democharis* — Et mox. *at Charisii vult Hegesias esse similis.* Quintilianus X. 1. p. 499. *Nec nihil profecto viderunt, qui*

qui orationes, quae Charisii nomine eduntur, a Menandro scriptas putant. Quae veterum opinio, siue vera, siue falsa, multum valet ad Charisii orationes commendandas. Charisium non aliunde, quam e Rutilio, cognitum habebat Barthius Aduersarior. XXXIV. 19. quem allatis Ciceronis et Quintiliani locis acerbe reprehendit Th. Reinesius Var. Lect. III. 14. Adde Daumium Ep. ad Reines. p. 60. Reines. ad Daumium p. 68. Daum. ad Reines. p. 76.

5. De Hegesia ad Rutilium p. 25. habet haec Ruhnkenius. Hegesias Magnes, orator, ex eorum numero, qui Asiani vocantur, primus Asiaticum dicendi genus inuexit, Atticaeque eloquentiae integritatem corrupit. v. Cicer. Orat. 67. 69. Strabon. XIV. p. 959. Longin. π. ὕ. §. 3. et ibi Langbaenium. Vt verbis et sententiis ineptus fuit, sic maxime orationis structura, quam, praeter Ciceronem l. c. Dionysius Halic. de Compos. et Theon Progymnasm. c. 2. p. 25. vehementer exagitant. In orationibus, quarum etiam fragmentum est apud Strabonem IX. p. 607. imitari voluit Charisium, Menandri aequalem. ex quo, quando vixerit, intelligi potest. Cicero Bruto 83. *Charisii vult Hegesias similis esse, isque se ita putat Atticum, vt veros illos prae se paene agrestes putet.* Vnus ex omni antiquitate Varro, teste Cicerone ad Attic. XII. 6. fractum eius dicendi genus probauit. Quamquam etiam Gorgias, cuius librum Rutilius vertit, de eius eloquentia bene sensisse videtur. Nisi existimamus, eum figurarum exempla, quae aliunde sumere poterat, ab oratore, quem contemneret, sumsisse. Sed caue cum Graeuio inter Hegesiae laudatores referas Lucianum Rhetor. praecept. p. 9. Nam ibi commemoratur Hegesias, vel Hegias, sculptor Athenienſis, vt bene vidit Solanus. Praeter orationes scripsit Hegesias Alexandri M. historiam, in qua acerbe reprehendenda multi

ſunt Dionyſius Halic. de Compoſitione p. 18. et Agatharchides, vel potius Rhetor quidam, apud Photium codice 250. p. 1335. *Miraculorum fabularumque plenos libros* vocat Gellius IX 4. Ex hiſtoria etiam petitum eſt dictum, quod habent Cicero de N. D. II. 27. et Plutarchus Alexandro p. 665. F. hic vituperans, ille per memoriae lapſum Timaeo tribuens, et, vt concinnum, laudans. Ciceronis verba haec ſunt. *Concinne que, vt multa, Timaeus, qui cum in Hiſtoria dixiſſet, qua nocte natus Alexander eſſet, eadem Dianae Epheſiae templum deflagrauiſſe, adiunxit, minime id eſſe mirandum, quod Diana, cum in partu Olympiadis adeſſe voluiſſet, abfuiſſet domo.* Plutarchus ita. Καθ' ἣν ἡμέραν ὁ τῆς Ἐφεσίας Ἀρτέμιδος ἐνεπρήσθη νεώς, ᾧ Ἡγησίας ὁ Μάγνης ἐπιπεφώνηκεν ἐπιφώνημα κατασβέσαι τὴν πυρκαϊὰν ἐκείνην ὑπὸ ψυχρίας δυνάμενον. εἰκότως γὰρ ἔφη καταφλεχθῆναι τὸν νεὼν, τῆς Ἀρτέμιδος ἀσχολεμένης περὶ τὴν Ἀλεξάνδρου μαίωσιν. Horum iudiciorum tam diſcrepantium vtrum probandum cenſes, Ciceronisne, an Plutarchi? Dauiſius ad Ciceronis l. c. et viri eruditi, quos laudat, item Zacharias Pearcius ad Longinum l. c. Plutarchi ſententiam amplectuntur. Ego vero non dubitem Ciceronem ſequi, inprimis intelligentem talium dictorum exiſtimatorem. Nam dictum, ſi per ſe ſpectetur, lepidum et facetum eſt, placuiſſetque Plutarcho, ſi in familiari ſermone audiſſet, vel in ludicro libello legiſſet. Itaque hactenus reprehendendus erat Hegeſias, quod bonum dictum inepte prodiderat in argumento graui, quale eſt hiſtoriae, a quo abeſſe debent eiusmodi ſales et lepores. Sic etiam iudicat Solanus ad Plutarchi l. c. Hoc dictum Plutarcho propter turpem, quam habebat, aſſentationem diſplicuiſſe, credunt Victorius Var. Lect. XVI. 15. et Voſſius de Hiſt. Gr. I. 12. in quo illos falli puto. Nam etſi ab adulatoris ingenio fluxerit, tamen propter frigus

frigus notari, certum eſt. Sed iure Plutarchus ipſe a Pearcio ridetur, qui Hegeſiae frigus reprehendens, dictum ſubiecerit Gallica hieme frigidius. Hegeſiae nomen eximendum eſt Pſeudoplutarcho de vitis X orat. p. 844 B. ὡς δὲ Ηγησίας ὁ Μάγνης φησὶν, ἐδεήθη τῦ παιδαγωγῦ, ἵνα Καλλιστράτε ἀκόση. Scripſit, vel certe ſcribere voluit, ὡς δὲ Δημήτριος ὁ Μάγνης φησὶν. Nam Demetrium Magnetem in libris περὶ τῶν ὁμωνύμων, de quibus v. Voſſium de Hiſt. Gr. l. 23. Ionſium in Script. H. P. II. 17. p. 207. et Menag. ad Diogen. Laert. I. 38. de Demoſthene ſcripſiſſe, intelligitur ex Plutarcho in Demoſthene p. 853. A. et alibi, Photio codice 265. p. 1478. et ipſo Pſeudoplutarcho l. c. p. 846. F. Ceterum Hegeſiam Magnetem cum Hegeſia, philoſopho Cyrenaico, temere confundunt P. Burmannus ad Quintil. XII. 10. p. 1085. et I. Boherius ad Ciceronis Tuſculanas I. 34. quamuis Voſſius l. c. ne confunderentur, multo ante monuiſſet.

6. de Cleochare ad Rutilii p. 5. haec tradidit Ruhnkenius. Cleochares, qui iterum a Rutilio laudatur, §. 10. huius libri, orator fuit patria Myrleanus, aequalis Democharis oratoris, de quo mox dicemus, et Arceſilae philoſophi. Eius nomen quoties occurrit, toties fere labem contraxit. Strabo XII. p. 850. Ἄνδρες δ' ἀξιόλογοι κατὰ παιδεῖαν γεγόνασιν ἐν τῇ Βιθυνίᾳ Ξενοκράτης τε ὁ φιλόσοφος — Κλεοφάνης τε ῥήτωρ ὁ Μυρλεανός. Myrleanus Cleophanes, qui orator fuerit, nusquam commemoratur. Repone Κλεοχάρης. Diogenes Laert. IV. 41. Καὶ γὰρ [Arceſilaus] ἐπὶ πλέον ἐρασθῆναί λέγεται καὶ Κλεοχάρει τῦ Μυρλεανῦ. ἐφ' ᾧ καὶ πρὸς τὲς κωμάσαντας εἰπεῖν, αὐτὸν μὲν θέλειν ἀνοῖξαι, ἐκεῖνον δὲ διακωλύειν. vbi vulgo legitur Λεωχάρει. Sed Κλεοχάρει emendandum eſſe me admonuit Valckenarius V. C. quo dudum amico, nunc etiam collega glorior. Mox idem Diogenes τέτε δὲ [Κλε-

δὲ [Κλεοχάρες] ἦρων καὶ Δημοχάρης ὁ Λάχητος καὶ Πυθοκλῆς, ὁ τῦ Βαγέλε. Praeter orationes, quas Rutilius laudat, Cleochares etiam ſcripſit, quod ad artem rhetoricam pertineret, vt intelligere licet ex impedito corruptoque loco Photii codice 176. p. 304. Κλεοχάρης δὲ Μυρλεανὸς, ὑπὲρ τῶν Ἰσοκρατικῶν ἁπάντων οἶμαι λέγων. τῦτο γάρ ἐϛι τὸ ἐν πρὸς τὸν Δημοσθένην συγκρίσει μὴ τὰ πόῤῥω αὐτοῖς παρασχεῖν, φησὶ, τὰς μὲν δημοσθενικὰς λόγας τοῖς τῶν ϛρατιώτων ἐοικέναι μάλιϛα σώμασι, τὰς δ' ἰσοκρατικὰς τοῖς τῶν ἀθλητῶν. E quo Cleocharis dicto, neſcio an colorem duxerit Quintil. X. 1. p. 492. *dum in iis, de quibus erit quaeſtio, meminerimus, non athletarum toros, ſed militum lacertos eſſe.* Idem tamen dictum Photius Bibl. cod. 265. p. 1474. et Pſeudoplutarchus de vitis X. Orat. p. 845. C. non Cleochari tribuunt, ſed Philippo Macedoni. Vulgata Rutilii lectione deceptus Fabricius B. G. IV. p. 481. tanquam diuerſos oratores recenſet Cleocharem et Clearchum.

7. de Isidoro Pergameno denique Ruhnkenius haec attulit ad Rutilii p. 128. Huius oratoris vnus, quod ſciam, Diogenes Laertius VII. 34. mentionem facit. ἀλλὰ καὶ Ἰσιδώρῳ τῷ Περγαμηνῷ ῥήτορι, ὃς καὶ ἐκτμηθῆναι φησὶν ἐκ τῶν βιβλίων [Zenonis] τὰ κακῶς λεγόμενα παρὰ τοῖς Στωϊκοις ὑπ' Ἀθηνοδώρε τῦ Στωϊκῦ. ex quo aetas eius colligi poteſt. Rutilii locus ſi Menagio in promtu fuiſſet, Iſidorum in *Apollodorum* non commutaſſet.

Tandem de Dinarcho [nam locus hic paene me fugerat incautum] ad Rutilii p. 88. idem V. C. haec habet, vbi locum Rutilii mutilum ſic ſarcit: *ita vt fecit Dinarchus. Dives auarus in villa etc.* et tum addit. Nec vllum nobis dubium eſt quin II. 20. *Dinarchi* leg. ſit, vbi vulgatur *Timarchi.* Nam Timarchus orator ne fando quidem auditus. At in oratorum numerum refer-

refertur a I. Tayloro ad Aeſchinem c. Timarchum p. 81. Videamus, quibus argumentis nitatur. Primum laudat Rutilii locum. Sed in hoc, poſt emendationem noſtram, nihil praeſidii. Deinde affert hoc Longini fragmentum Κορωνὶς δ' ἔγω λόγῳ παντὸς καὶ φρονήματος ἑλληνικῆ Δημοσθένης, Αἰσχίνης, Λυσίας, Ἀριστείδης, Ἰσαῖος, Τίμαρχος, Ἰσοκράτης, Δημοσθένης ὁ κορίνθιος, Ξενοφῶν. πρὸς τούτοις Παῦλος ὁ Ταρσεύς, ὄντινα καὶ πρῶτον φημὶ προεσάναι δόγματος ἀναποδείκτου. Enimuero male ſit librariis, qui virum eruditiſſimum tam proterue luſerunt. Nam fragmentum illud ita ſcribendum — Αἰσχίνης, Ὑπερείδης, Ἰσαῖος, Δείναρχος, Δημοσθένης ὁ κρίθινος, Ἰσοκράτης, Ἀντιφῶν. Dinarcho cognomen fuit Δημοσθένης ὁ κρίθινος. Hermogenes de formis orat. II. p. 495. ὡς ἤδη τινες καὶ προσπαίζοντες Δείναρχον ἐκ ἀχαρίτως κρίθινον Δημοσθένην εἰρήκασιν. vbi v. Scholiaſten. Eundem etiam ἄγροικον Δημοσθένην vocatum eſſe tradit Dionyſ. Halic. p. 115. Graecorum imitatione M. Coelius apud Sueton. de Rhetor. 2. *L. Plotium, ſubtracto nomine ordearium rhetorem appellauit, deridens, vt inflatum, ac leuem et ſordidum.* vbi adeundus Iſ. Caſaubonus. Pauli mentio ab hominis Chriſtiani fraude acceſſit, vt bene iudicat Fabricius B. G. IV. p. 445.

Rurſus p. 126. attingit V. C. Dinarchum, ſed omittemus illum locum, vt ſteriliorem, in quo nihil aliud docetur, quam locum Dinarchi a Rutilio ibi relatum, ex oratione κατὰ Προξένου videri ſumtum eſſe.

Iam habe locum de Lycvrgo, qui legitur p. 10. Rutilii Ruhnkeniani, his verbis conceptum. Lycurgi hiſtoriam eleganter enarrauit I. Taylorus, quem nuper, maximo oratorum atticorum damno, fata acerba rapuerunt, in praefatione ad editam a ſe Lycurgi adu. Leocr. orationem. Addamus inſignem, qui eius diligentiam effugit, Hyperidis de Lycurgo locum apud Apſi-

Apſinem Art. Rhetor. p. 708 *κέχρηται τούτῳ καὶ Ὑπερείδης, ὑπὲρ Λυκούργου λέγων. Τίνα φήσουσιν οἱ περιόντες αὐτῷ τὸν τάφον; ἆρος ἐβίω μὲν σωφρόνως, ταχθεὶς δ' ἐπὶ τῇ διοικήσει τῶν χρημάτων, εὗρε πόρους. ᾠκοδόμησε δὲ τὸ θέατρον, τὸ ὠδεῖον. νεώρια, τριήρεις ἐποιήσατο, λιμένας. τοῦτον ἡ πόλις ἡμῶν ἠτίμασεν, καὶ τοὺς παῖδας ἔδησεν αὐτοῦ.*

De Hyperide tandem haec Ruhnkenius ad Rutilii p. 64. addit dictis in hiſtoria critica Or. gr. pag. 148. Fractis Athenienſium opibus clade Chaeronenſi, rogante Hyperide, pſephiſma factum eſt, cuius legitima verba a Lycurgo c. Leocratem p. 113. conſeruata, huc referamus. *τοὺς μὲν δούλους ἐλευθέρους, τοὺς δὲ ξένους, ἀθηναίους, τοὺς δ' ἀτίμους, ἐντίμους εἶναι.* Adde Apſin. Art. Rhetor. p. 687. Hoc decretum, veluti contra leges ſcriptum, vehementer exagitauit moleſtus illorum temporum accuſator, Ariſtogiton. Demoſthen. adu. Ariſtog. II. p. 502. *ὅτε γὰρ Ὑπερίδης ἔγραψε — τοὺς ἀτίμους ἐπιτίμους εἶναι, — τούτου τοῦ ψηφίσματος γραφὴν παρανόμων ἀπενέγκας ἠγωνίζετο ἐν τῷ δικαστηρίῳ.* v. Pſeudo-Plutarch. de V. X. O. p. 849. A. et Phot. cod. 266. p. 1449. Hyperides illud defendit oratione aduerſus Ariſtogitonem, quam ſaepe laudant grammatici veteres, in his Scholiaſta mſtus in Platonis Philebum p. 74. B. *μὴ κινεῖν κακὸν εὖ κείμενον. περὶ τῶν ἑαυτοῖς ἐξ ἀνοίας πράγματα ἐγειρόντων. ταύτης μέμνηται καὶ Ὑπερείδης ὁ ῥήτωρ ἐν τῷ πρὸς Ἀριστογείτονα· καὶ ὅδε ἐκ τῆς παροιμίας δύναται μανθάνειν τὸ μὴ κινεῖν κακὸν εὖ κείμενον.* Ex hac oratione ſumtum eſt fragmentum, quod Rutilius habet. Ariſtogiton ex Hyperide quaerit: *Scripſiſti* — cui Hyperides ſtatim reſpondet ex coniectura noſtra: *Scripſi* —

INDEX

INDEX ORATORVM

IN HIST. CRIT. COMMEMORATORVM.

Aeſchines. 148.
Aeſion. 153.
Agnon, vel Agnonides. 164.
Alcibiades. 124.
Anaximenes. 162.
Andocides. 131.
Androcles. 128.
Androtion. 152.
Aphareus. 155.
Archinus. 127.
Ariſtogiton. 154.
Ariſtophon Azenienſis. 129.
- - Colyttenſis. 130. 17.
Autocles. 139.
Callicrates. 165.
Calliſtratus. 140.
Cephalus. 126.
- recentior. 127. 8.
Cephiſodorus. 159.
Cephiſodotus. 141.
Chariſius. 167. 182.
Cimon. 124.
Cleochares. 167. 185.
Cleophon. 128.
Crates Trallianus. 162.
Critias. 126
Cydias. 152.
Demades. 150.
Demetrius Phalereus. 166.
Democharcs. 165. 179.
Democles, vel Democlides. 166.
Demoſthenes. 148.
Demoſtratus. 130. 14.
Dinarchus. 150. 186.
Dromoclides Sphettius. 167.
Eubulus Anaphlyſtius. 145.
Glaucippus. 164.
Hegemon. 154.
Hegeſias Magnes. 167. 183.
Hegeſippus. 156.
Hyperides. 148. et 188.
Iphicrates. 139.
Iſaeus. 145.
Iſidorus Pergamenus. 167. 186.
Iſocrates. 142.
- - Apolloniates. 160.
Leodamas. 143.
Lycoleon. 144.
Lycurgus. 150. 187.
Lyſias. 141.

Mene-

Menesaechmus. 155.
Moerocles. 156.
Naucrates, vel Naucratides. 160.
Patrocles. 159.
Pericles. 124.
Phaeax. 131. sq.
Philinus. 153.
Philiscus. 159.
Polyeuctus. 157.
Pytheas. 158.
Sophocles. 128.
Stratocles. 159. 176.
Themistocles. 124.
Theodectes. 159.
Theopompus. 162.
Theramenes. 126.
Thucydides. 125. 23.

Indici huic, quo prima huius Historiae criticae editio caret, subiiciam pauculas quasdam et leuiculas animaduersiones, quarum in mentem mihi venit mendas typographicas tollenti e plagulis a prelo madentibus. In loco Plutarchi supra p. 147. 29. allato, leg. videtur, non προσπολεμεῖν, quod vulgatae dant, sed πρὸς πολέμοις εἶναι. P. 154. 18. in loco Syriani, pro ἀνίπτοις χερσὶν, cui defendendo quid praetexi possit, haud me fugit, legi tamen malim ἀνίπτοις ποσὶν. Insilitur enim in rem, non manibus, sed pedibus. p. 158. vlt. lego, non ἀρχόμενόν ποτε πρῶτον, sed ἀρχόμενον τότε πρῶτον, vna literula mutata. Denique in loco Hyperidis p. 188. pro περιόντες lego παριόντες, et pro ἠτίμασαν, quod manat ab ἀτιμάζειν, lego ἠτίμωσαν, quod repetitur ab ἀτιμᾶν.

His peractis addam nunc illa, ad quae passim locorum in superioribus meis ad Lesbonactem, Herodem, Alcidamantem et Gorgiam annotationibus ablegaui lectores, supplementa, vel accessiones annotationum.

Posteriores nempe curas prioribus sapientiores esse, vere dici a vulgari prouerbio, multiplici vsu meo didici,

dici, cum alias saepe numero, tum in his sophistis, quos superioribus oratoribus, veluti caudam quandam turpem et ridiculam, nescio cuius grammatici inepta sedulitas adiunxit. Quos quia contemnebam, indignos acriore lima ducebam. vnde factum est, vt neque temporis, neque studii multum tribuerem annotationibus in eos conscribendis. Relegens itaque eas, in perlustratione foliorum e typographeo ad me missorum, quo mendae tollerentur, animaduerti nonnulla tam praetermissa, quam secius accepta. quae suppletum, et correctum nunc eo.

p. 20. 6. κάλλιον] subaudi ἢ ἐστὶ τὸ καλὰ γεγονέναι τὰ ἱερὰ, καὶ τὸ ἀγωνίζεσθαι ὑπὲρ τῆς πατρίδος.

21. 1. γε] imo vero τε. verum ἐθέλεσι et βουλομένοις annon idem significant? Num ergo in locum posterioris sufficiendum est δυναμένοις?

ibid. totam annotationem numero 74. signatam tolle. verum vidit, rectèque locum constituit Stephanus. sententia haec est. Quapropter non facile quisquam praeclarius ediderit indicium boni euentus hoc certamen manentis, quam est illud, quod ego edidi; scil. propitiam deorum voluntatem, et aequitatem causae nostrae.

22. 3. bene tamen fecerunt Canterus et Stephanus corrigentes, qui insequens in proximo cernerent ὠφελήσει, quod ego ista scribens praeteruideram.

33. 6. possit quoque μετὰ τὰς θεὰς legi.

38. 8. opes aerarii impendimus et exhaurimus alendis militibus mercenariis, quod aerarium, vt impleamus, eo ciues spoliamus.

44. 9. possit quoque sic legi ἐὰν ταῦτά τις λέγῃ, τοσαῦτά μοι ἀντιλελέχθω.

49. 1. παῖδας] male me torsit, et adhuc torquet hic locus, vnde me non expedio. Liberi quinam

nam deſignentur, Thebanorum, an Archelai, haud liquet. Thebanorum deſignari liberos, Archelao pro obſidibus datos, fingamus tantiſper. Quid rerum naturae conuenientius? oratio ſic redditur planiſſima; vt praeuideam multos fore, qui mirentur, me praeteruiſa tam ſimplici et commoda interpretandi ratione, ſecutum eſſe aliam perobſcuram et contortiſſimam. Verum, vt taceam, Thebanos obſides ſi ſignificare voluiſſet Herodes, ἡμῶν aut ἡμετέρους addendum fuiſſe, item hoc vt taceam, verſu 5. τῶν πολλῶν παίδων leg. eſſe: quid faciemus iſtis verſu 2. p. 50. ὥϛε ἀφελόντες τῶν ἐκείνϑ κακῶν τὸϛ παῖδας ἀπολαβεῖν. quam ſubiicient ſententiam? fateor ῥᾳδίως ἀπολαβεῖν τοὺϛ παῖδας planiſſimam hanc dare ſententiam. *quo ſit vt facile ſimus liberos noſtros recuperaturi.* Sed vbi manebunt iſta ἀφελόντες τῶν ἐκείνϑ κακῶν? et quae erit ſententiarum inter ſe copula? Deinde parentes, qui liberos ſuos e ſeruitute, quam vt obſides tolerarunt, recuperarunt, non poſſunt dici κρατεῖν τῶν παίδων, ſed ἐγκρατεῖϛ γίνεσϑαι. Conſideremus modo paulo diligentius κρατήσαντεϛ ἐκείνϑ, καὶ τῶν παίδων ἅμα κρατήσομεν. Mirabile foret, ſi in tam breui verborum ambitu idem verbum κρατεῖν tam diuerſis modis, et paene dixerim, repugnantibus acciperetur, vt modo *vincere* hoſtem, modo *potiri* re cara ſignificet. *Vbi enim vicerimus, vna liberos quoque noſtros recuperabimus.* Multo conuenientius vtique ſit, ſic reddi. *patre victo, liberos eius quoque vna victos habebimus, et in poteſtate noſtra.* Vt iterem, quod modo fatebar, ex hoc laby rintho exitum nullum reperio. Fieri non poteſt, vt locus hic ſit integer.

58. antep. malim ſic legi ἐγὼ δέ γε δειλότατόν τε ἁπάντων σὲ καὶ δεδιότα τὸν ϑ. μ. ſcil. φημὶ.

62. 2. eodem redibit, ſiue ſic, vt ibi demonſtrauii, accipias voc. τὰ ὀνειδιζόμενα, ſiue hoc modo, quem

quem nunc demonſtrabo. vt nempe ſignificet ea, quae ipſorum, Troianorum puta, plurimum intererat conſeruare, quoniam ignauiae poterant accuſari, ſi paſſi fuiſſent ea ſibi eripi.

93. vlt. Vulgatam poſſe ſtare, nunc placet, vt ſententia ſit haec. Res tum temporis geſtas iuuat oratione transmittere, quo ad inſecuta tempora et ad rem, de qua nunc agere decreui, perueniam. χρόνος, per figuram, continens pro contento, res ſignificat eo tempore geſtas, quo Helena, Menelao nupta, manſit in Graecia, donec a Paride raperetur.

94. 12. ἢ — ἢ] Non repugnant haec ſibi. videtur itaque ſic potius eſſe exarandum. εἰ ἔν — ἀναθετέον [ſcil. ἐστί] quod ſi ergo cauſa huius euenti fortunae numinique diuino imputanda eſt, καὶ τὴν Ελένην — neceſſe tum erit, vt Helena quoque infamia liberetur.

95. 4. Venit in mentem huius quoque rationis emendandi et interpretandi. δεῖ δὲ καὶ, εἰ συνδόξει, δεῖξαι τοῖς ἀκούσι. oportebit auditores quoque demonſtrare, num pariter ipſis quoque vera videantur eſſe, atque mihi videntur.

99. 5. f. ὅπω παρόντος.

vlt. num παρόντος ἐν ὅπω παρόντι κινδύνῳ φρονήματος. mentis ſtatu deiecti ſunt, quae mens ipſis inerat, nondum praeſente periculo.

100. 2. poſſit quoque legi. πολλοὶ δ' ἐνιαυσιαίοις νόσοις annos durantibus, aut, quotannis recurrentibus.

102. 8. ὅλε videtur delendum eſſe.

106. 9. fort. χρώμενος μὲν γὰρ, φανερὸς.

13. ἐλάβομεν] imo vero ἔλαβον, in prima perſona ſingularis numeri.

108. 6. κοινῇ] num τοίνυν.

109. vlt. totam annotationem n. 39. ſignatam dele, quae neſcio quid aliud agenti mihi per impru-

dentiam excidit, et praeterea quoque a typothetis corruptius est exhibita. Vulgata bene habet. Honoris appetens si fuissem, eo non caruissem· Honorabar enim ob laudes honore summo dignissimas.

110. vlt. aut *βίῳ περικινδύνῳ* (vno vocabulo, subaudi *ὄντι*) *τῶν μ. ἀδὲν ἔχει* — aut potius *βίῳ κίνδυνος περὶ τῶν μεγίστων*, [scil. *ὑπάρχει*,] *ἀδ' ἔχει*.

114. 1. Num *ἄξιον γὰρ καταμαθεῖν, οἵος ὢν οἵῳ κατηγορεῖ*. conuenit doceri vos, [iudices alloquitur] cuias accusator sit, et cuias ego, ab isto accusatus. *ἐκ οἴδατε γὰρ ἴσως*. videmini enim mihi ignorare, *ὅτι ἀνάξιος ἀναξίῳ*. [scil. *κατηγορεῖ*.] accusationem mei perinde ipsumque meque dedecere. h. e. neque ipsum idoneum esse accusatorem, neque me dignum esse, qui accusarer.

114. 11. f. leg. *φήσεις ἴσως, ἴσον εἶναι σὲ μὲν τῶν γενομένων* — Fortasse aequum aies esse, testes a te nullos dari earum rerum, quae, si te audimus, vere factae sunt; a me autem dari testes eorum, quae nunquam euenerunt.

119. 6. f. *φθονερὸς ὢν, δυσυχῆντας δ' οἰκτείρων*. (in participio) Nam *οἰκτείρμων* vocabulum mihi nullum videtur esse, per diphthongum, sed *οἰκτίρμων*, per iota simplex. porro pro gemino *ἀδὲ*, malim *οὔτε*.

9. f. *ἀργὸς, ἀλλὰ προθύμως ποιῶν τὸ προσταττόμενον*.

120. 15. f. *τὴν μὲν ἧσαν καταβαλεῖν, τὴν δ' ἐκ ἧσαν κτήσασθαι*.

EXCERPTVM

E Prolegomenis SCHOLIORVM ab Aldo editorum ad HERMOGENEM, faciens ad hiſtoriam eloquentiae, vel potius rhetoricae, Graecae; in quo inſunt veſtigia verae antiquitatis, ſed illa fabularum ſordibus obſcurata.

Ταῦτα δὲ δι' ἱστοριῶν ὑφηγησόμεθα. Γέλα πόλις ἐστὶ τῆς Σικελίας. ταύτης τύραννος ἐγένετο Ἱπποκράτης τις· τότων πέρι δυναστεύσει [1] δύο τινὲς, Γέλων καὶ Εναίσιμος. καὶ δὴ ἀποθανόντος τῦ Ἱπποκράτους, ἐπεθύμησαν ἕτοι οἱ παραδυναστεύοντες τῆς τυραννίδος· καὶ ὁ μὲν Ἐναίσιμος ἔρχεται εἰς τὴν Ῥόδον, κἀκεῖ τυραννεῖ τῶν ἰδίων πολιτῶν, ἦν γὰρ Ῥόδιος· ὁ δὲ Γέλων ἔμεινε βασιλεύων ἐν τῇ Γέλᾳ, τῇ πόλει. ὕστερον δὲ εἰς εὐτυχίαν τῆς τυραννίδος αὐτῶν [2] καὶ τῶν πραγμάτων καταστάθεντων, ἐκ ἔτι ἔμεινεν ἐν τῇ πόλει, τῇ Γέλᾳ, ἀλλ' ἔρχεται ἐν τῇ Συρακόσσῃ. ἔστι δὲ ἡ Συράκοσσα μητρόπολις τῆς Σικελίας. κἀκεῖ διέτριβε τυραννῶν. μετὰ θάνατον τῦ Γέλωνος, ἐτυράννησεν Ἱέρων. οἱ δὲ, λέγουσιν [3], ὁ ἀδελφος αὐτῦ. ἄλλοι λέγουσιν ὁ υἱος αὐτοῦ. παρεδυνάστευσε δὲ τότων [4] Κόραξ τίς· ἕτος ὁ Κόραξ ὅπερ ἂν ἐβέλετο παρὰ τῷ βασιλεῖ, μεγάλως ἠκέετο. μετὰ θάνατον τότε τῦ Ἱέρωνος, τυραννεῖσθαι ἐκ ἔτι ἤθελον οἱ Συρακόσσιοι. λέγεται γὰρ, ὅτι τοσῦτον ὠμότητι ἐχρήσατο κατ' αὐτῶν, ὥστε προστάξαι τοῖς Συρακοσσίοις μηδὲ φθέγγεσθαι τὸ παράπαν, ἀλλὰ διὰ ποδῶν καὶ χειρῶν καὶ ὀμμάτων σημαίνειν τὰ πρόσφο-

ρα,

1. leg. videtur τότῳ παραδυναστεύσει principes amici et conſiliorum conſcii atque miniſtri ei erant.

2. lege αὐτῷ.

3. f. leg. ὡς οἱ μὲν λέγουσιν, ὁ ἀδελφὸς αὐτῦ, ὡς δ' ἄλλοι λ.

4. lege τότῳ. plurimum penes eum valebat gratia et potentia.

ρα, καὶ ὧν ἄν τις ἐν χρείᾳ γένοιτο. ἔνθεν καὶ τὴν ἀρχηγικὴν λαβεῖν τὰς ἀρχάς. τῷ γὰρ ἀποκεκλεῖσθαι λόγῳ τὲς Συρακοσσίες, ἐμηχανῶντο σχήματι δεικνύειν τὰ πράγματα. δεδιὼς ἕν ὁ τῶν Συρακοσσίων δῆμος μήπως εἰς ὅμοιον ἐμπέσοι τύραννον, ἐκ ἔτι τυραννῶν [5] τὰ πράγματα κατεπίσευσαν· λοιπὸν ἐγίνετο δημοκρατία πάλιν ἐν τοῖς Συρακοσσίοις, καὶ ἤθελεν ἕτος ὁ Κόραξ πείθειν καὶ τὸν ὄχλον, καὶ ἀκέεσθαι. καθάπερ καὶ ἐπὶ τῷ Ἱέρωνος ἠκέετο. σκοπήσας δὲ ὡς ὁ δῆμος ἀξάθμητον καὶ ἄτακτον πέφυκεν πρᾶγμα, καὶ ἐννοήσας, ὅτι λόγος ἐξὶν, ᾧ ῥυθμίζεται ἀνθρώπε τρόπος, ἐσκόπησε διὰ λόγε ἐπὶ τὰ πρόσφορα τὸν δῆμον καὶ προτρέπειν καὶ ἀποτρέπειν. εἰσελθὼν ἕν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, ἐν ᾗ ὁ πᾶς συνηθροίσθη δῆμος, ἤρξατο λέγει [6] πρότερον θεραπευτικοῖς καὶ κολακευτικοῖς τὴν ἐκκλησίαν [7], καὶ τὸ θορυβῶδες καταπραῦναι τῷ δήμῳ ἅ τινα καὶ προοίμια ἐκάλεσε. μετὰ δὲ τὸ καταπραῦναι καὶ κατασιγῆσαι τὸν δῆμον, ἤρξατο περὶ ὧν ἔδει συμβελεύειν τῷ δήμῳ καὶ λέγειν, ὡς ἐν διηγήσει, καὶ μετὰ ταῦτα ἀνακεφαλαιῶσθαι καὶ ἀναμιμνήσκειν ἐν συντόμῳ περὶ τῶν φθασάντων, καὶ ὑπ' ὄψιν ἄγειν τὰ λεχθέντα τῷ δήμῳ. ἅπερ ἐκάλεσε. προοίμιον. διήγησιν. ἀγῶνας. παρέκβασιν, ἐπίλογον· διὰ τᾶτο [8] γὰρ ἐμηχανᾶτο τὸν δῆμον πείθειν καθάπερ ἕνα ἄνθρωπον. Interiectis multis, a propoſito noſtro alienis, ſic continuat. ἕτος ὁ Κόραξ, ἐν Φθόνῳ κρατέμενος, τὴν τῆς ῥητορικῆς κηρύττει διδασκαλίαν, πάντας διδάσκειν ἐπαγγελλόμενος ἐπὶ ὡρισμένων ποσῶν [9]· Τισίας δέ τις, ἀκέσας ὅτι τὸ πείθειν ἐπαγγέλλεται διδάσκειν ἡ ῥητορική, προσέρχεται αὐτῷ, ὡς μαθεῖν βελόμενος τὴν τέχνην. καὶ δὴ πᾶσαν εἰς

5. lege τυράννῳ. 6. lege λόγοις.

7. deeſſe videtur ὑπέρχεσθαι, vel ſimile quid.

8. l. διὰ τάτων.

9. l. ἐπὶ ὡρισμένῳ ποσῷ. ſub conditione certae ſummae aeris, h. e. mercedis.

εἰς ἄκρον διδάσκεται. ϛερίσκειν δὲ ἐπεχείρει τὸν Κόρακα τῶ μισθῶ· διὸ καὶ δικαϛήριον συνεκροτήθη. ἐν δὲ τῷ δικαϛηρίῳ φησὶν ὁ Τισίας προς τὸν Κόρακα, τῷ διλημμάτων [10] σχήματι χρησάμενος. (διλήμματον δὲ σχῆμά ἐϛι, λόγος ἐκ δύο προτάσεων ἐναντίων τὸ αὐτὸ πέρας συνάγων.) ὦ Κόραξ, τί ἐπηγγείλω διδάσκειν; ὁ δὲ Κόραξ φησί. τὸ πείθειν ὃν [11] ἂν θέλῃς. πρὸς ταῦτα δὲ ὁ Τισίας. εἰ μὲν τὸ πείθειν με ἐδίδαξας, ἰδὲ πείθω σε μηδὲν λαμβάνειν. εἰ τὸ [12] πείθειν με ἐκ ἐδίδαξας, καὶ ἅτως ἀδέν σοι παρέχω, ἐπειδὴ ἐκ ἐδίδαξάς με τὸ πείθειν· πρὸς ταῦτα λέγϵσι φῆσαι τὸν Κόρακα τῷ αὐτῷ σχήματι χρησάμενον· εἰ μὲν τὸ πείθειν διδαχθεὶς πείθεις με μὴ λαβεῖν, δῶναι ὀφείλεις τὸν μισθόν, ὡς διδαχθεὶς τὸ πείθειν. εἰ δὲ καὶ πάλιν ἃ πείθεις με μὴ λαβεῖν, καὶ ἅτως ὀφείλεις δῶναι τὸν μισθόν. ἅτε γὰρ ἔπεισάς με τῶ λαβεῖν [13] τὸν μισθόν. πρὸς ταῦτα οἱ δικασαὶ ἀντὶ ψήφϵ εἶπον. κακῶ κόρακος κακὰ ὠά· ὥσπερ γὰρ ὁ κόραξ καὶ τὰ τέτϵ ὠὰ ἄχρησα ἡμῖν εἰσὶ πρὸς βρῶσιν, ἅτω καὶ ὑμεις ἄχρησοί ἐϛε πρὸς διοίκησιν πραγμάτων διὰ τὴν ἄκραν δεινότητα. ἢ ἅτως· ὥσπερ οἱ νεοττοὶ τῶν κοράκων βρῶσιν ἱκανὴν παρὰ τῶν γονέων μὴ λαμβάνοντες τὰς γονεῖς ἐσθίϵσιν, ἅτως καὶ ὑμεῖς ἀλλήλες ἐσθίετε. λέγϵσι δέ τινες, ὅτι προϋπῆρχεν αὕτη ἡ παροιμία, καὶ προσφόρως οἱ δικασαὶ αὐτῇ ἐχρήσαντο ὁ Τισίας δὲ ἐκεῖνος ἀπελθὼν ἤρξατο διδάσκειν καὶ πλατύνειν τὴν ῥητορικήν. Γοργίας δέ τις Λεοντῖνος, (Λεοντὴ δέ ἐϛι πόλις τῆς Σικελίας,) μαθητεύει τῷ Τισίᾳ, καὶ μετὰ τὸ μαθεῖν ὑποτρέφει οἴκαδε. εἴπωμεν δὲ καὶ πῶς ἐν Ἀθήναις ἤκμασεν ἡ ῥητορική· γενομένϵ πολέμϵ μεταξὺ Λεοντίνων καὶ ἄλλων ἐπιχωρίων, ἐδεήθησαν οἱ Λεοντῖνοι συμμαχίας ἐκ τῶν Ἀθηναίων. καὶ δὴ βελεύονται τίνα ὤφελον ϛεῖλαι ἱκανὸν πρὸς αὐτὲς, καὶ πέμπϵσι τὸν Γοργίαν πρὸς Ἀθηναίϵς, ὡς εἰδότα τὸ πείθειν. ἐλθόντος δὲ Γοργίε εἰς τὰς

10. l. διλημμάτῳ. 11. l. ὃ ἂν, vel ὅ γ' ἂν.
12. l. εἰ δὲ τὸ. 13. l. ἀδὲ γὰρ ἔπεισας με ἃ λαβεῖν.

Ἀθήνας, ἐπεδείξατο ἐκεῖ λόγον, καὶ εὐδοκίμησε πάνυ. ὥστε ἡνίκα ἐπεδείκνυτο λόγον ὁ Γοργίας, ἑορτὴν ἀπρακτον[14] ἐποίουν Ἀθηναῖοι, καὶ λαμπάδας τὰς λόγους αὐτῷ ὠνόμασαν. κατέσχον δὲ αὐτὸν ἐν Ἀθήναις, τὴν συμμαχίαν πέμψαντες ἐν τῇ Λεοντίνῃ. κατ' ἐκεῖνο δὲ καιρῷ[15] πολλοὶ τῶν Ἀθηναίων τῶν ἐπὶ φιλοσοφίᾳ διαπρεψάντων, ἐάσαντες αὐτὴν, τὴν φιλοσοφίαν, τὴν ῥητορικὴν ἐπαιδεύοντο· διόπερ φασὶ καὶ Πλάτωνα, διαφθονεῖντα ἐπὶ τῷ τοιούτῳ, ποιῆσαι δὲ Γοργίαν[16], τὸν διάλογον, ἐν ᾧ πολλὰ κατατρέχει τῆς ῥητορικῆς. ἐκ τῶν ἓν Ἀθηναίων καὶ οἱ δέκα ῥήτορες ἡμῖν ἐξεφάνησαν· ὧν πρῶτός ἐστιν Ἀντιφῶν, ὁ ῥαμνούσιος. Λυσίας, ὁ Κεφάλου. Ἰσοκράτης. Ἰσαῖος. Ἀνδοκίδης. Δημοσθένης. Αἰσχίνης. Λυκοῦργος. Ὑπερίδης. Δείναρχος.

14. lego ἀπρόστακτον. non imperatum diem festum, sed quem ciuium vnusquisque sibi sua sponte agendum indixisset.

15. l. aut κατ' ἐκεῖνο δὲ καιρῷ, aut καιρῶν, aut κατ' ἐκεῖνον δὲ τὸν καιρὸν.

16. l. ποιῆσαι τὸν Γοργίαν.

INDEX ORATIONVM SVPERIORVM.

1. Lesbonactis or. de bello adu. Thebanos. p. 1.
2. Eiusdem cohortatoria ad milites 4
3. Herodis ad Thebanos cohortatio, ad societatem cum Lacedaemoniis aduersus Macedonas 32
4. Antisthenis Aiax, Achillis arma poscens 52
5. Eiusdem Vlysses, eadem arma sibi vindicans 56
6. Alcidamantis Vlysses, Palamedem proditionis insimulans 64
7. Eiusdem Alcidamantis exagitatio Sophistarum, orationes e scriptis commentariis memoriae impressas recitantium, et contra commendatio exercitationis ex tempore, meditatione nulla praemissa, idonea dicendi 77
8. Gorgiae defensio Helenae 91
9. Eiusdem defensio Palamedis 102. ad p. 121.

ANTI-

ANTIPHONTIS ORATIONES
LATINE REDDITAE *.

ORATIO PRIMA.

Valde me sollicitum, animique suspensum et consilii inopem habet haec causa, in quam fatalis quaedam necessitas me coniecit, a qua causa agenda cum alia me absterrent, tum rursus alia ad eam acriter vrgendam multo etiam acrius impellunt. Nam non modo adolescentulus adhuc sum, causarumque adeo

 forensi-

* Antiphontis mei partem haud minimam excudendo iam profligauerant operae, cum nondum animum interpretationi latinae conscribendae adiecissem. Tandem intelligens necessitatem rei, cessi ei, publicisque commodis auersionem animi mei ab eiusmodi opera seruire coegi. Subito concitatus impetu, initio mensis Martii, paucos intra dies, quos ipsos scholae publicae, et necessitas folia a prelo madentia perlustrandi et a mendis typographicis purgandi, (vt alia negotia taceam,) nimis etiam coartarunt atque interpellarunt, Antiphontis conscripsi latinam versionem hanc, quam nunc, quo tempore hanc praefatiunculam exaro, operis rursus ad pensa redeuntibus, per nundinarum aestum intercepta, recognoscere et elimare, neque vacat, neque iuuat. Totam enim hanc aestatem indicibus Demosthenicis conficiendis, qui statim hoc volumen octauum consequentur, consecraui, et hac vna in cura defixus, a me impetrare non possum, vt ad alia mentem detorqueam. Quare lectores, cum lapsus quosdam interpretis festinantis hic deprehendent, etiam atque etiam rogatos volo, vt festinationi ignoscant. Prima in oratione reddenda fui passim locorum paulo copiosior; in reliquis operam dedi, vt pressior atque adstrictior essem. Scripsi d. 4. Iunii 1773.

forenſium per aetatem prorſus rudis, ſed ea quoque huius eſt cauſae natura, vtramuis in partem impedita, vt ſiue omittam, ſiue perſequar, iniquiſſimo atque duriſſimo loco me conclufum videam. Scelus fuerit, in mandatis exſequendis ceſſare patris eius, qui necis ſuae poenas vt ab auctoribus repeterem, exſpirans mihi delegauit; at rurſus tamen peracerbum accidit hoc, quod iſta mandata patris exſequens facere non poſſum, quo minus ſimultatibus bellisque cum iis implicer, cum quibus odia ſuſcipi omnium minime decebat, cum fratribus puta, communi mecum patre vſis, et cum eorum matre, nouerca mea. Ea nempe eſt aduerſae meae ſortis ſcaeuitas, eaque improbitas aduerſariorum, cum quibus certandum mihi eſt, vt et ab illius peruerſitate, et ab horum pertinacia coactum me videam, in hoc certamen deſcendere, quos conſentaneum erat, et peremto vltores ſuccurrere, et vindici ſanguinis paterni auxiliatum venire. At enim vero, contra quam oportebat, euenerunt omnia. Hi enim ipſi aduerſus me fratrem ſuum pugnant, et patris ſui parricidas ſe gerunt, cuius parricidii ego eos eadem conſtantia nunc verbis ore prolatis inſimulo, qua verbis in formula libelli accuſatorii ſcriptis iam inſimulaui. Quare, ſi planum fecero. matrem horum [fratrum meorum, ſeu nouercam meam] necem ei patri, qui mihi cum fratribus communis eſt, nefandis artibus conſciuiſſe, quas artes ea, non ſemel, ſed crebro, in patris peſtem factitans deprehenſa fuit; tum rogo vos, iudices, vt primum quidem leges veſtras vindicetis, quas, a diis et a maioribus veſtris per manus traditas nacti, tanti facitis, vt ante condemnationem reorum, in eas inſpiciatis, cauſaque cognita demum, poenas ab iis praefinitas, perinde atque maiores fecerunt, condemnatis irrogetis. Deinde rogo vos, vt patri peremto, vnaque mihi quoque, qui ſolus

lus ab omnibus derelictus cauſam eius ago, ſubueniatis. Ad vos receptum habeo. Vos mihi nunc loco neceſſariorum eſtis. Nam quos oportebat ſublato vltores, mihi autem ſocios eſſe, hi necis in illo patratae reatu ſe obligant, et in iudicio cauſam meam infeſtis animis armisque impugnant. Eiusmodi loco concluſus ecquos ad alios accedat ſocios, auxilium rogatum? ecquo alio perfugiat, quam ad vos, iudices, et ad ius aequum? Miror, qua tandem mente frater cauſam meae aduerſariam tuendam ſibi ceperit, et num in hoc ſolo pietatem erga parentes cerni autumet, ſi filius commoda matris prodere nolit. Ego vero multo atrocius hoc eſſe aio impietatis exemplum, ſi filius inſuper habeat paterni ſanguinis per nefas effuſi vltionem in homicida exſequi, praeſertim in tanta diſparitate ſortes peremti et peremtricis intercedente. Ille enim, effugere mortem non potuit, quam tolerauit inuitiſſimus, ex inſidiis clandeſtinis, quas praeuidere et euitare non poterat, comparatam. haec vero, ſponte ſua, a nemine coacta, necem ei dedit, non furioſo ardore iracundiae repentinae incitata, ſed lentis et pertinacibus conſiliis, et conatibus praemeditatis crebroque iteratis. Neque licet fratri hoc excuſare, probe ſe noſſe, a matre ſua peremtum non eſſe patrem noſtrum. Nam de contrario eius certiſſime ipſi conſtare, produnt eius coepta. Nam, ſi dubitaſſet, poterat, certiſſimam rei notitiam, dummodo voluiſſet. e ſeruorum tormentis petere. Atqui viam hanc probatiſſimam, et vnicam paene, veri indagandi aſpernatus eſt. Vbi autem quaerens indagare nil poterat, ibi iuuit eum quaerere. Atqui ſponſionem meam de ſeruis ad quaeſitionem dedendis amplecti debuerat, ſtrenueque hoc agere, ad quod eum cohortabar, vt rei geſtae veritas in apertum proferretur, ad poenas dandum ream citando. Serui enim ſi ſub tormentis aut

non eadem inter se, aut a meis praedicationibus discrepantia edidissent, tum licuisset ei matris causam ex certa scientia saluaque conscientiae integritate agere, mihique honeste fidenterque obloqui; id quod nunc ei minus licet: et mater eius hoc pacto illo crimine fuisset liberata. Iam vero cunctatus rei gestae rationem illa, quae vna patet, via indagare, ecqui possit ea certo nosse, quae explorare recusauit? Ecqui ergo consentaneum sit, iudices, eum vera dicere, aientem, ea se probe cognita atque perspecta habere, quorum veritatem percontari nunquam animum induxit? Ecquid opponet mihi periurii eum insimulanti? Seruos ad quaestionem si admitteret, certo norat, salutis omnem viam praeclusam matri esse. Vnica ergo ratio eam seruandi haec erat, vt declinaret et eluderet quaestionem per tormenta seruorum. Nam hoc solo modo sperabant se consecuturos, vt res gesta in occulto maneret. Ecqui ergo censeri poterit salua fide et religione iureiurando id confirmasse, quod in formula contraiuramenti scripsit, *se probe nosse*, id nempe, quod summa percontationis diligentia ad liquidum adducere noluit, cum ego vellem hac in causa modo inquirendi eo vti, qui est omnium aequissimus et probatissimus. Ecqui autem hic modus est, quem proposui illis detrectantibus? et quae mea aequitas? Flagitabam, ipsis coram, illa mancipia torqueri, quae norant, mulierem hanc, matrem horum, meorum aduersariorum, iam antea quoque toxicatas coxisse potiones, quibus patrem nostrum de medio tolleret, et, a patre nostro cum in flagrante delicto esset deprehensa, haud infitiatam esse facinus, sed excusatum et lenitum isse atrocitatem eius, praetexendo, non necis ergo herbas illas a se coctas esse; sed solummodo illiciendi atque deuinciendi amoris. Hoc ego de facto postulabam mancipia dedi, et exhibebam illis

illis ſchedam, in qua ſumma capita criminum perſcripſeram, quorum illam mulierem inſimulo. Non mihi arrogabam, vt ipſe per me ſeruos interrogarem, aut torquerem, ſed ea vtebar aequitate, vt ipſis interrogandi et torquendi negotium permitterem, eosque moderatores ſeueritatis huius ipſos facerem. dummodo coram me ſcrutinium fieret. Nolebam enim committere, vt illi, me ipſo pro lubitu meo, quicquid in buccam veniret, interrogante, cogerentur ad quaeſtiones meas reſpondere; ſed ſufficiebat mihi, meos aduerſarios ſeruos ſuper illis ſolummodo capitibus interrogare, quae in ſcheda ſcripſeram. Vel ex hoc ſolo documento aequitatis meae conſtet, niſi fallor, et me cauſa mea fidere, et illos ſuae diffidere. Ecqui tandem iſtaec aequitas et ciuilitas atque ſimplicitas dubium adhuc vllum de honeſtate et probabilitate meae contentionis, ſanguinem paternum vlciſcendi, relinquat? Et poteram vtique fidenter ad illam ſponſionis aequitatem deſcendere. Nam ſi aut prorſus infitiarentur ſerui factum, aut praedicationes eorum inter ſe diſcreparent, certus eſſe poteram, magiſtratum penes quem aequi iuris eſt adminiſtratio, ſeruis eos eſſe ſtimulos admoturum, qui eos cogerent veras rei geſtae rationes aperire, quantumuis veritatem falſis indicinis obumbrare conarentur Fac contra eueniſſe, atque euenit, non me illis ſponſionem de mancipiis dedendis detuliſſe, ſed illos mihi. Fingamus itaque tantiſper, illos, vt primum fama ad ſe allatum accepiſſent, me parare actionem in homicidam patris, actutum mecum congreſſos, mihi mancipiorum deditionem obtuliſſe; me vero accipere detrectaſſe. Quid tum? Vſi nempe hoc fuiſſent euidentiſſimo omnium atque firmiſſimo documento ad vincendum, culpa caedis omni ſe vacare. Neque potuiſſem ego hanc eorum aequitatem argumentationis vllo pacto labefactare.

Quidni

Quidni ergo, quod illis tum aequum et legitimum futurum fuiſſet, mihi quoque nunc perinde ſit? Liceto mihi quoque meae cauſae veritatem hoc ipſo argumento docere atque approbare, qui ſeruos dedi poſtulauerim ab his dedere recuſantibus. Graue profecto et indignum facinus! Hi vos rogant, iudices, vt ſe abſoluatis, et a vobis precarium ius velut emendicantur, qui, ſi dedere ſeruos voluiſſent, ius ipſi ſibi pro arbitrio ſuo dicere, hoc eſt, cauſae ſuae probitatem atque legitimitatem certis et irrefragabilibus documentis approbare, vobisque abſolutionem vel inuitis extorquere potuiſſent. Iam ergo non amplius obſcurum eſt, cur eum modum, quo rei geſtae veritas erui et ad liquidum perduci poterat, defugerint. Norant nempe, huic diſcrimini ſi ſe committerent, futurum eſſe, vt pateſceret malum domi ſuae penes ſe reſidere. Quare omni contentione in hoc incumbebant, vt ſeruorum quaeſitio omitteretur, eoque mali vera ſedes tacita et ignota maneret. Vos autem iudices, certus enim ſum veſtrae ſapientiae atque aequitatis, hoc ipſorum exemplum non imitabimini, ſed potius vlcus hoc denudabitis. Sed haec hactenus. Tranſeo nunc ad alteram partem muneris mei, totam rei, vt vere geſta fuit, ſeriem coram vobis enarraturus. Iuſtitia curſum orationis meae, actionisque euentum gubernato. Superius domus noſtrae tabulatum Philoneus, quoties in Vrbe ageret, incolere ſolebat, vir honeſtus et frugi, quo pater familiariſſime vtebatur. Erat illi Philoneo pellex, quam decreuerat in lupanari proſtituere. Mater fratris, [ſeu nouerca mea] cum quaerendo intellexiſſet, cuia eſſet, conſuetudinem cum ea contrahebat. Sic factum, vt cum nouerca ſenſiſſet, quam atrocem iniuriam Philoneos pellici ſuae oblatum iret, pellicem ad ſe arceſſeret. Veniebat pellex. Inter ſermones aperiebat nouerca pellici, quam

quam insignem iniuriam Philoneos ei pararet iniungere, vnaque de patre meo querebatur. Ab eo se duriter et indignis modis haberi. Sed in promtu sibi esse arma ambos vlciscendi. vel potius artes se tenere, quibus amborum erga se animi ita mutarentur, vt cum Philoneus ipsi [pellici,] tum pater meus sibi, [nouercae] placaretur atque reconciliaretur, modo illa [pellex] in sua [nouercae] potestate esse vellet. Suam fore inuenti gloriam, ipsius fore partes famulandi et iussa exsequendi. Tune ergo, ait, mihi ministrare voles? Velle ait altera, nil haesitans, vt facile est existimatu. Discessum tum fuit super his pactis condictis. Haud multo post incidebat, et Philoneo necessitas, vt sacris interesset, quae Ioui Ctesio in Piraeeo publice fiebant, et patri iter per mare ad insulam Naxum suscipiendi. Conuenientissimum itaque videbatur Philoneo, cui semel ex Vrbe in Piraeeum esset descendendum, eadem opera, per compendium itineris eiusdem, patrem quoque meum, profectionem illam maritimam ingredientem, et ad portum pariter tendentem, amicitiae et beneuolentiae ergo testandae, prosequi, et sacris peractis, lautis epulis cohonestare. Pellex Philoneum eodem prosequebatur necessario, sacrorum causa, vt iis epulisque necessaria ministraret. Iam erant ambo in Piraeeo, iam, vt par erat, sacris operabantur. Sacris peractis, iam incipiebat pellex secum deliberare, qui et quando potionem venenatam ipsis praeberet, num ante epulas, an post. Placuit tandem post epulas dare, quod ita praeceptis nouercae meae, nobilis illius Clytaemnestrae, esset obsecutura. Quae illo in conuiuio euenerint, mihique longum atque taedioſum sit enarrare, vobisque audire. Ea vero, quae nosse refert, quomodo nempe datum fuerit venenum, pauciſſimis exsequar. Dapibus igitnr amotis, libabant diis, et thura super se quisque arae im-

pone-

ponebant; id quod eos facere par erat, quorum alter vna Iouique Cteſio ſacra faceret, amicumque ſolennibus epulis exciperet, mox iter ingreſſurum; alter apud amicum epularetur, cui vale dicere pararet, mox cum naue diſceſſurus. Libationes infundens, veluti miniſtra, pellex, illis vota facientibus atque deos ſurdos ea rogantibus, quae non eſſent exitum habitura, venenum immiſcebat; et Philonei quidem poculo portionem veneni multo ſpiſſiorem ingerebat; in quo ipſa ſibi mire placebat, veluti commento quodam a ſe ſollerter et callide excogitato. Sperabat enim futurum, vt, quo plus potionis huius exſecrabilis hauriret Philoneus, eo acrius in amorem ſui, pellicis, exardeſceret. Nondum enim tum norat a nouerca mea ſe circumuentam eſſe; id quod tum demum comperit, cum iam in faucibus exitii haereret. Patri autem noſtro portionem veneni multo parciorem infundebat. Defuncti libationibus illi ſicarium ſuum, pro amica per ignorationem veri habentes, ſermonumque atque iocorum facetiis, et amplexationum per vices crebritate inter ſe iactantes, extremam tandem potionem exhauriebant. Et Philoneus quidem in continenti e veſtigio exſpirabat; pater autem noſter in valetudinem incidebat, quae eum quoque tandem, die vigeſimo poſt, ſuſtulit. Huius tanti ſceleris praemium illa quidem, quae operam miniſterialem ſolummodo perpetrando praeſtitit, facinore dignum iam abſtulit; nam rotae impoſita, et tum carnifici tradita ſupplicium extremum tolerauit, quamquam imprudens aliena magis, quam ſua culpa, peccauerat: quae autem foemina et ſcelus ipſa prima mente concepit, et venena a ſe cocta manibus ſuis famulae adminiſtrauit, et per eam bibenda miſeris viris praebuit, ea, ſi cum diis vos quoque voletis, praemium mox aufferet. Reputate vobiscum quanto ſint, quae ego vos rogo, aequiora, quam quae frater

frater rogat. Ego quidem vos rogo, vt peremti necem, hoc eſt iniuriam ei datam aeternam, nulloque pacto reparabilem, vlciſcamini. Ille vero patris quidem, inſuper habita deorum omni religione, flagitioſiſſime, ſummo cum dedecore, praemature, ab iis, a quibus omnium minime decebat eum malum accipere, ſublati, ne mentionem quidem ad vos faciet, cuius caſum miſerabilem vos et commiſeratione proſequi, et vlciſci par eſt; pro ea autem foemina ſupplicans, quae maritum impium fraude ſuſtulit, preces vobis ingeret, infandas, deteſtabiles, quas et vos ab auribus veſtris reiicietis, iudices, et dii reiicient, neque committent vnquam, vt earum reus fiat. Rogabit nempe vos, vt verum credatis eſſe id, quod illa iactans ſtudet vobis perſuadere, tametſi ne ipſa quidem ſibimet credit, ſcil. eam nulla mala fraude hoc in negotio eſſe vſam. Atqui vos homicidarum non eſtis protectores, ſed vindices peremtorum a praemeditata fraude; praeſertim ſi fraus illa profecta fuerit ab iis, quos par erat, vitam eorum non exſtinguere, ſed modis omnibus tueri et ſaluam conſeruare. Iam penes vos eſt, iudices, ſtatu cauſae a me bona fide coram vobis expoſito, ex aequo et vero cauſam diſceptare. Id quod etiam facietis. Spectate quaeſo diſparitatem noſtrarum rogationum. Frater quidem vos mox rogabit, vt matris ſuae vitam ſaluam eſſe velitis, eius, quae maritum, furioſo impetu, iuris omnis diuini oblita, de medio ſuſtulit; hoc eſt contendet oratione ſua vobis perſuadere, ſi poſſit, (quamquam non videtur futurum, vt poſſit,) vt vos matri poenas meritas facinorum ab ea commiſſorum remittatis. Ego contra vos rogo, vt nullo pacto vos patiamini flecti, quo illa patri meo minus det poenas Manibus eius debitas. Vos enim, quo ſceleroſi poenas dent meritas, eo et ad iudicandum conuocamini, et iudices appellamini, hoc

eſt

eſt, iuſti atque iniuſti arbitri, dignorumque facinoribus praemiorum diſpenſatores. Porro caedis huius machinatricem ego in iure perſequens, hoc ago, vt eam ſupplicio afficiam, quod merita eſt; tum, vt patrem noſtrum vindicem, eiusque Manes hoſtilis ſanguinis libatione placem; denique, vt iuris veſtri ciuilis auctoritatem atque maieſtatem tuear. Et ſunt haec, ni fallor, tanti momenti, vt vos deceat, quotquot confidetis, omnes, mihi praeſto eſſe, cauſamque meam ſuperiorem reddere, ſi aequitatem et veritatem eius oratione vobis approbare potuero. Ille ex aduerſo hoc agit, vt, quae mulier leges veſtras ſpreuit, poenis eam eripiat illis, quibus eam ſcelus ſuum obſtrinxit. Atqui, vtrum, quaeſo vos, aequius eſt, praemeditatae necis ream ſceleris poenas dare, an nullas dare? vtrum acquius eſt, miſericordia duci per nefas interemti, an eius mulieris, quae illum ſuſtulit? Ego equidem illum vtique veſtra digniorem commiſeratione cenſeam. Conuenientius enim id ſit et humanis et diuinis iuribus. Quapropter aequum et factu neceſſarium arbitror, vt illa, pari ſeueritate veſtraque et iuris aequi, ſanguinem eius expiet, quem illa caninae frontis mulier, truculenta manu ferreisque praecordiis, nullo humanitatis ſenſu repreſſa, ſuſtulit. Quam enim necem maritus, inuitiſſimus, per vim ſibi oblatam atque ingeſtam, tolerauit neceſſario, eam mulier ei, ſponte ſua, a nemine coacta, rationibus diuturna deliberatione probe ſubductis, propoſitoque obfirmato, obtulit atque ingeſſit, quo tempore miſer inſultui haud prouiſo maxime pateret. Nam in procinctu ſtans cum naue peregre preficiſcendi, et apud amicum hominem ſecure epulans, haufit imprudens venenum a pellice amici ſibi datum, quod venenum nouerca pellici illi, perinde neſcienti, mittens, per nuncium mandauerat, vt patri meo bibendum propinaret. Quam potionem

mors

mors patris consecuta est. Ecqui iam infitiari ausit, hanc necem patri per violentiam inuito et reluctanti oblatam et ingestam esse? Eiusmodi belluae vlla, aut vos, aut alium quempiam duci, seu commiseratione, seu reuerentia, ecqui conueniat, iudices? quae pectus ipsa suum aduersus omnem mariti sui commiserationem ita obdurarit, vt eum impie atque flagitiose necare nil vereretur. Decet vtique iudicum animos molles esse atque misericordiae patulos, verum erga miseros inuoluntariis infortuniis oppressos. Erga reos autem scelerum data opera designatorum oportet duros et saeuos esse. Vt illa thori sui consortem sustulit, neque deos, neque semones, huius patrii soli praesides, neque ciues reuerita, sic et illa rursus acquissimo iure tractabitur, si vestraque et iuris aequi sententia morti damnata sine commiseratione, sine reuerentia sexus vlla, nulla cunctatione pereat. Hic facere non possum, quominus fratris me aiam mirari audaciam. Ecqua demum is mente in contraiuramento affirmauit, se certum esse, probeque tenere, matrem suam tantum scelus non patrasse? Ecqui tandem ea probe tu teneas, quibus, cum gererentur, haud interfuisses? Nam profecto neque aiat frater se veneni coctioni interfuisse, neque credibile est eum ei rei adhibitum fuisse. Neces enim qui aliis comparant, hi ad clandestinas suas molitiones non aduocant testes, sed machinantur fraudes suas, quam possunt occultissime, seduloque cauent, vt mortalium nemo resciat. Quo sit, vt quorum capitibus huiusmodi fraudes consuuntur, hi nihil horum omnium ne suspicentur quidem, neque prius pestem sibi obiectam sentiant, quam in eius faucibus iam haereant. Tum demum noscitant pestem suam, quum negatum ipsis est eam deuitare. Eiusmodi calamitate oppressi, quibus quidem per mortis lentorem liceat, (nam aliis hoc negatum est, quos

citum auffert exitium) conuocatis amicis atque neceſſariis exponunt de luctuoſi ſui caſus miſerabilitate, nominatim appellantes exitii ſui auctores, iubentque eos coram iudicio de hac ſua auctoritate teſtari, vltionemque iniuriae ſuae ipſis exſequendam demandant. Id quod idem pater quoque meus erga me, quamuis tum adhuc puerum, fecit, ex illa ſuprema et luctuoſa valetudine cubans. Sin autem periculi rapiditas hac cautione animam agitantes excludat, literis mandant ea, quae verbis ad amicos edere per temporum anguſtias negatum eſt, et anteſtantur ſeruos ſuos, nominatim homicidas ſuos ad eos edentes. Pari modo pater quoque meus me, vt tum adhuc puerum, per literas, voluntatis atque ſenſuum ſuorum interpretes, et de caſu ſuo certiorem fecit, et ad vltionem a ſcelerata repetendam cohortatus eſt, me, inquam, iudices, non ſeruos ſuos. Iam docui vos totam rem. Succurri, quatenus potui, patrique defuncto, iurique ciuili, cui hoc facinore inſignis oblata eſt contumelia. Defunctus ſum partibus meis. Iam veſtrum eſt, de veſtri muneris partibus, quae vobis agendae ſuperſunt, vobiscum diſpicere, et ius aequum dicere. Et ſi vel vos quoque vobis defueritis, quamquam haud videmini tantum dedecus ad vos admiſſuri, dii tamen inferi, de quo nullus dubito, inultum haud transmittent tantum ſcelus, a cuius atrocitate maieſtas eorum violata fuit.

ORATIO SECVNDA.

Seu prima tetralogiae primae accuſatio caedis voluntariae.

Quae quidem fraudes ab hominibus contemnendis comparatae fuerint, eae ſunt ad coarguendum non admodum difficiles. Fraudes autem ſi quae conſtructae fuerint ab hominibus nobili loco natis, rerumque

que ciuilium vſu tritis, et id aetatis agentibus, quo quisque ad prudentiam valentiſſimus atque excitatiſſimus eſt, eiusmodi veteratores et noſcitare et coarguere, perquam eſt arduum. Diſcriminis enim probe tenentes magnitudinem, in quod induunt caput, e longinquo cautionem inſidiarum, quas parant, meditati, prius operi manum non admouent, quam ſuſpicioni omni aditum ad ſe diligentiſſima circumſpectione occluſerint. Quorum vos gnaros atque memores oportet, o iudices, vel minimum quemque radium ſuſpicionis allabentem cupide captare, eique certam fidem adhibere. Nos autem hunc reum huius caedis agentes volumus vobis accuſatores idonei atque religioſi videri. Neque ſumus ex eo genere accuſatorum, qui ſontem elabi ſinentes, inſontem perſequuntur. neque probabile eſt nos tam iniquos et improbos eſſe, vt nobis ipſis magis, quam aut vobis, aut vlli alii noceamus; qui probe teneamus, cum homicidii reatus totam ciuitatem polluat, atque teneat piaculo conſtrictam, donec homicida demonſtretur, futurum, vt reatus ille a ciuitate in nos ſolos relabatur, ſi pro ſonte inſontem plecti curemus; et, vos iudices, ſi falſo noſtro decepti indicio, in dicendo iure erraueritis, poenam omnem illius erroris in nos ſolos eſſe coorituram, qui falſa docendo vobis impoſuerimus. Certi itaque cum ſimus, omne huius homicidii piaculum in nos ſolos eſſe relapſurum, ſi verum dedita opera conturbemus atque diſſimulemus, conabimur ex iis, quae probe cognita atque perſpecta habemus, quam poterimus liquidiſſime demonſtratum dare, caedem hanc ab hoc homine, quem eius inſimulamus, peractam eſſe. Neque enim probabile eſt eam a latronibus peractam eſſe, quia ambo, et herus, et ſeruus cum eo peremtus, non ſpoliati veſtibus, ſed adhuc amicti ſuis veſtibus, reperti ſunt. Latro autem ſi eos

peremiſſet, profecto non fuiſſet commiſſurus, vt ſine illo compendio diſcederet, cuius adipiſcendi cauſa caput ipſe ſuum diſcrimini obieciſſet; quamuis praedam illam iam paratam nulloque ſudore rapiendam inter manus haberet. Porro ne per rixam quidem inter pocula coortam confoſſi ſunt. Statim enim fuiſſet eius modi homicida a reliquis compotoribus et agnitus et comprehenſus. Noſtrum autem peremtum, qui occiderit, nemo nouit. Non magis iurgium atque conuitium ei necem contraxit. Cecidit enim nocte intempeſta, et in loco deſerto. Atqui eiusmodi tempore locoque nemo alii cuipiam conuicia ingerit. Denique etiam hoc praetexi nequit, fuiſſe neſcio quem, qui iaculo alium neſcio quem petens, telo aberrante hunc confoderet. Nam ſi coniectus error hunc ſuſtuliſſet, non profecto idem telum a deſtinatione ſua aberrans, vnius erroris incredibili conſtantia ambos, herumque ſeruumque vna, ſuſtuliſſet. Sed ambo iacent vna confoſſi. Atqui negatum eſt praeter has, quas commemoraui, excuſationes, vllas alias quodammodo probabiles comminiſci. Refutatis igitur his excuſationibus, et occluſis his ſubterfugiis, nil ſupereſt, quam vt aiam hunc peremtum ex inſidiis inimici cecidiſſe. Id quod ipſum quoque mortis genus clamat. Sed ei inſidiatum eſſe ecquemnam ſit credibilius, quam eum, cui, poſt magnas clades olim a peremto acceptas, adhuc multo maiores ab eodem eſſent ineuitabiliter metuendae? Quae eſt conditio huius hominis, a me rei facti. Hic enim, a longinquo iam cum eſſet infeſtus peremto, multas quidem ei capitales cauſas in foro dicendas obiecit, in quarum nulla eum condemnauit, contra vero a peremto criminibus exagitatus et numero pluribus, et atrocitate poenarum horribilioribus, e nulla vnquam diſceſſit abſolutus. quo factum eſt, vt res eius familiaris cladem inſignem acceperit.

Vetu-

Vetuſtas illas tacebo ſimultates eorum mutuas. Nouiſſime adhuc peremtus reum ſacrilegii accuſauit, lite duobus talentis aeſtimata. Quid eiusmodi in loco facturum fuiſſe credibile eſt eum reum, qui criminis incuſati ſibi eſſet conſcius, accuſatoris facundiam et in rep. potentiam noſſet, neque iniuriarum oblitus eſſet ab eodem accuſatore pridem acceptarum. Eritne dubitationi locus, quominus hic, tot ſtimulis actus, et agitaret de inimico tollendo conſilia, et data oportunitate exſequeretur? Et ardor vindictae occoecabat mentem eius, diſcriminumque, in quae ſe demiſſurus eſſet, recordationem obliterabat, et metus malorum ab eo, ſi diutius in viuis ſupereſſe ſineretur, imminentium, ita exſternabat, vt hoc calidius manum facinori adiiceret, ludibriis huiusmodi ſpei praeterea ductus. Hominem ſi ſuſtulero, ſic ille ſecum cogitabat, facile fiat, vt facinoris auctor in occulto maneam. Et ſemel exſtincto illo, nihil iam eſt, quod de cauſa ſacrilegii male metuam. Sublato enim accuſatore nemo alius illam cauſam perſequetur, ſed iacebit deſerta, accuſatore in iudicio non comparente. At fac tamen eſſe, qui cauſam illam proſequatur. fac me damnari. fac denique me fortunis omnibus ipſoque ſpiritu multari. Acerbum quidem id erit. Verumtamen cum idem illud me maneat ſupplicium, ſi hunc diutius vitalibus auris veſci patiar, multo eſt glorioſius, ſi cadendum mihi ſit, me non inultum, ſed inimicum vna quoque mecum letali ictu a manu mea proſtratum cadere. Ignauum fuerit ſegnem et imbellem mortem accipere iugulo vltro oblato. Sic reus hic ſecum proculdubio agebat. Certum autem eum fuiſſe, crimen hoc de ſacrilegio ipſi capitale fore, neque vllo pacto euitabilem hunc ictum, id ex eo conſtat, quod per actionem cauſae de homicidio, vt cum minore periculo coniunctam, effugere conatus eſt neceſſitatem crimen ſacrilegii purgandi.

gandi. Nam nisi persuasum sibi habuisset, posse fieri vt caedem quodammodo purgaret, nullo autem pacto fieri posse, vt crimen sacrilegii defenderet, caedem non commisisset. Hae sunt illae necessitates, quae eum ad committendam caedem adegerunt. Foret iam idem e testimoniis quoque testium approbandum. Et producturi quoque nubem testium essemus, si iis abundaremus. Verum in solitudine cum caedes peracta sit, qui poterimus testes multos producere? Producemus ergo testes eos, qui testem vnicum, in re gesta praesentem, (nam praeter eum plures non aderant, cum insultus fieret) pedissequum puta peremti, de homicida herique suique indicantem audiuerunt. Nam spirans adhuc ille pedissequus a superuenientibus repertus et sublatus fuit. Is a nobis de homicida interrogatus respondit, de toto globo grassatorum, a quibus oppressi fuissent, se alium neminem noscitasse, praeterquam hunc vnum, quem caedis postulo. Tenetur itaque conuictus, cum argumentis e probabilitate ductis, tum testimoniis eorum, qui aderant pedissequo, inter exspirandum caedis hunc insimulanti. Eiusmodi reum nullo prorsus modo vobis licet, iudices, absoluere. Nam si faciatis, et ius aequum sitis violaturi, et in publicaque priuataque vestra commoda peccaturi. Nam sic grassatori cuique veniam detis capitibus fortunisque quorumcunque impune insidiandi, si arma corrumpatis ea, quibus grassatores impugnari et ad confessionem scelerum adigi possunt. Nam si neque argumenta e consentaneo petita, neque testimonia eorum, qui rebus gestis interfuere, penes vos valent, nemo grassatorum omnium iam poterit unquam conuinci. Carebunt ergo iniuriis oppressi vindice. Quod est summum nefas. Sed etiam haud expedit hunc impurum, humano cruore madentem, incesto pede limina deorum calcantem, sanctimoniam fanorum polluere, aut assiden-

assidentem mensis, conuictores, quamuis insontes, spurcitie sua respergere. Exsistunt enim inde annonarum caritates terrarumque sterilitates, pecora cum mulieribus parere desinunt, negotia omnia siniſtris fortunis intercedentibus sufflaminantur, atque conturbantur. Decet ergo vos, exiſtimantes huius caedis vltiorem vestram esse prouinciam, poenas homicidii in scelerati huius caput, sic meriti, retorquere. Punientes enim hominem vnum, dabitis vos quidem huic vni malum, sed illud malum et ei proprium atque priuatum erit, neque ad plures dimanabit, et eodem illo malo priuato publica mala releuabitis, totam ciuitatem repurgantes atque expiantes.

ORATIO TERTIA.

seu secunda tetralogiae primae, quae est defensio caedis eiusdem.

Non videor mihi peccare, exiſtimans, me hominum natorum omnium esse infeliciſſimum, vt cui Fortuna nascenti contigerit implacabiliter irata et infesta. Caeteri quidem si qui aduersa cum fortuna conflictentur, finem tamen aliquando tandem malorum suorum inueniunt; vt procellis iactati, rursus succedente tranquillitate maris et coeli serenitate recreantur, atque conquiescunt. Valetudine graui oppressi, et in vitae discrimen adducti conualescunt, et cubili refurgunt salui. Quaecunque aliae calamitates alios perculerint, succedentes contrariae illis prosperitates illas depellunt et obliterant. Mihi vero hic homo [peremtus] fataliter et superstes adhuc fundi mei fuit calamitas, quem funditus euertit, et nunc viuis exemtus in capitis me coniecit discrimen, quod etiamsi effugero, relinquet tamen mihi moerorum atque sollicitudinum satis superque. Tam me grauis vrget sors! vt

non satis ad salutem mihi sit, me ipsum pietatis ergo deos iurisque ciuilis obseruantem praestitisse, sed etiam, nisi homicidam, a quo haec caedes patrata fuit, inuestigaro atque coarguero, quem ipsi inuestigare atque demonstrare non possunt hi, qui fusi sanguinis vltores se gerunt, ego ipse in periculum veniam, ne falsa caedis suspicione oppressus contra ius et fas impraesententia extremo supplicio damner. Subtilem hi me quidem acremque verbis faciunt disputatorem, et callidum insidiarum architectum, eoque aegerrime laqueis conuictionis irretiendum; at iidem tamen rursus ea me patrasse aiunt, quae si patraro, necesse sit omnium hominum me tardissimum atque vecordissimum esse. Facinora enim mihi imputant contra me de caede manibus meis peracta testantia. Mirabilem enimuero inconstantiam atque repugnantiam! Quamquam facinus non commisi, nunc tamen, illo vere sublato, suspicione facinoris premor, ob simultatis acerbitatem, quae mihi cum viuo olim intercessit. Noram ergo, si hic a quoquam alio iugularetur, futurum vt suspicio caedis in me statim incumberet. Egone manibus ipse meis cruri meo hanc securim impingerem? Non erat multo magis consentaneum, me, si quem alium nossem eius vitae insidiantem, operam dare, vt eum a proposito illo reuocarem, facinorique intercederem, quam me facinus id patrare, per quod in suspiciones incurrerem, haud dubias illas, et vltro arcessitas? Prorsus hoc abhorret. Nam si fecissem, necesse erat caedis auctorem aut innotescere, aut ignotum manere. Si innotuissem, funditus perieram, ipsa facinoris atrocitate me iugulante. Sin autem facinus meum clam mansisset, certus tamen eram, suspiciones hominum omnium in me esse incubituras. Iniuria mihi vtique fit indigna et miserabilis, qui cogar, non modo me purgare, sed etiam homicidas, quos igno-

ignoro, indicare. Quod tametsi perarduum et paene negatum est, conabor tamen hoc quoque facere. Necessitas enim, vt in prouerbio fertur, telorum omnium est acerrimum. Accusatorem alio modo repellere non possum, quam argumentum eius inuertendo. Concludebat sic. Fieri nequit, vt exanimatum aut latrones, aut rixosus quidam compotor, aut alius aliquis importunus conuitiator, aut denique iaculator a meta aberrans peremerit. Ergo, inquit, hic peremit, me demonstrans, et ipsum mortis genus clamat, hunc fecisse. Inuertam argumentum hoc, sic concludendo. Si necesse est, vt ego homicida sim ideo, quod illos haud probabile sit fecisse, necesse rursus erit me crimine vacare, si planum fecero, illos probabili suspicione facinoris vrgeri. Negant hi probabile esse, quod ego aio vel maxime probabile esse, vt caesus, dum nocte intempesta vagaretur, incertus, quo iret, a manticulariis confoderetur, vestium cupiditate illectis. nam quod vestibus spoliati iacentes non fuerint, ex eo nihil colligi potest. Potuit fieri, vt homines interuenientes ipsis, otio eos excluderent vestes iacentibus destringendi, quorum hominum interuenientium metu, si iacentes vna cum vestibus reliquerunt, et fuga salutem quaesierunt, vtique non desipuerunt, sed vel maxime sapuerunt, salutem lucello praehabentes. Sed fac peremtum hunc, non a manticulariis vestium causa peremtum esse. Quid tum? num ideo magis ego feci? Annon facile factu fuit, vt hic caesus videns nescio quos malum aliquod et capitale facinus patrantes, ab his occideretur, metuentibus atque cauentibus ne fui facinoris ille index fieret? Ecquis non hosce, meos accusatores, nouit non multo minore peremtum odio prosecutos, quam fuit meum illius odium? Ecquid ergo si eos aiam ipsos sub latebra mei odii eum sustulisse? quid me impediat hoc suspicari? Norant, hic si

a quocunque tandem tolleretur, futurum, vt caedis in me ſuſpicio incumberet. Quid tum? occidebant eum, certi, ſe in occulto manſuros, et me culpam ipſorum luiturum eſſe. Pediſſequi teſtimonium ecqui tandem credibile ſit, a quo, diſcrimine exſternato, noſcitatum fuiſſe homicidam ita parum eſt credibile, vt contra credibile eſt, eum ab hominibus, quorum in poteſtate non eſſet, interrogatum, ad omnia, quae illi vellent, ſtatim aſſenſum eſſe. Vniuerſe fides ſeruorum omnium in edendis teſtimoniis ſubleſta eſt. nam ni eſſet, cur eos tormentis ſubiiceremus? Ecqui ergo par erit, huic ſeruo fidem haberi aienti herum ſuum a me peremtum eſſe? Argumenta porro ſolummodo probabilia me grauantia ſi quis cenſeat paris eſſe ponderis cum veris et certis, eum velim rurſus in contrariam partem hoc ſecum reputare argumentum a probalitate ductum me ſubleuans. In parandis inſidiis conſentaneum eſt me ſecuritatem et cautionem ſecutum eſſe. Quam ſi ſecutus ſum, multo eſt veroſimilius, me cauiſſe, vt a caedis exſecutione abeſſem, quam vt intereſſem, eoque me meis oculis de veritate caedis certum redderem. Nego porro hoc, quo nunc teneor, actionis forenſis de homicidio diſcrimen mihi viſum fuiſſe expeditius atque tutius, atque alterum iſtud de ſacrilegio. Contra vero aio me, ſi non plane deſipui, prius illud multis modis duxiſſe formidabilius, quam hoc poſterius. Id quod nunc demonſtratum eo. Nam ſi cauſa ſacrilegii caderem, futurum erat, vt fortunis ſolummodo mulctarer. Ius ciuitatis et ſpiritum mihi nemo erat erepturus. Salua autem vita, mihi relicta, etiamſi cauſa cecidiſſem, et fortunas omnes amiſiſſem, non tamen ideo fuiſſem ad extremas incitas deuenturus, quia ſatis erat amicorum, qui ſtipe collecticia mihi neceſſaria alimenta praebituri viderentur. Homicidii autem in cauſa hac victum

me

me quaenam manebant? Supplicium mortis certum et ineuitabile; praeterea ignominia nefandi sceleris, quam liberis pro patrimonio eram relicturus. Aut si fuga mortis supplicium praeuenirem, forent tamen mihi, homini seni et extorri, praeter exsilium mendicitatis noleſtiae atque dedecora toleranda, Planum itaque feci, nullam criminationum ab accusatore in me intortarum esse credibilem. Sed fac tamen, probabile videri, eam caedem a me patratam esse, in eaque patranda me humanum quid passum, quod ab humana natura exspectari eique ignosci consentaneum sit, quamquam eam caedem reapse neque patraui, et patratam a me esse pernego, vel sic tamen quoque par foret me absolui. Nam iniurias ab inimico mihi oblatas si eius sanguine vltus essem, ingentes illae atrocesque erant iniuriae. Nam nisi tales essent, non possem videri feciſse facinus cum humanae naturae infirmitate consentiens, ideoque ab ea facile exspectandum, facileque ignoscendum. Praeterea nescio an cum tempore fiat, vt verus homicida reperiatur. Quicquid est, quocunque vos me pacto absolueritis hoc crimine, non polluam deorum sanctimoniam, in eorum fana ingrediens; et contendens vobis persuadere, vt me absoluatis, nefanda non facio. Nefanda contra faciunt, et pestes vobis multifarias conscisscunt hi, qui, omisso vero homicida, me insontem homicidii reum agunt. Hi auctores vobis fiunt, vt impietate numina deorum laedatis. Hi digni denique sunt, qui eadem omnia patiantur ipsi, quae me aiunt meruisse, supplicia. Huiusmodi hominibus, tam impuris, denegate, iudices, fidem vestram ipsorumque fidem parum fidam ducite. me autem e moribus et factis ante actae omnis meae vitae spectate. Quod cum facietis, tum deprehendetis, me neque vitae cuiusquam insidiari, neque bona aliena appetere, sed contra, multasque spissasque contributiones

nes contribuere, ingentes aeris ſummas in trierarchatus, eosque crebros, inſumere, ſplendida munera choregalia edere, multis ſuccurrere gratuitis de meo largitionibus, pro multis, quibus me de nominibus haud contemnendis praedem praeſtitiſſem, luere ſolitum, rem auxiſſe, non litium forenſium fordibus, ſed honeſti quaeſtus exercitatione crebra diis offerre ſacrificia, ciuilemque me et aequum erga ciues gerere, legibusque conuenienter aetatem degere. Talis cum ſim fuerimque, nolite me criminis impii turpisque condemnare. Quod ſi peremtus hic adhuc in viuis ſupereſſet, non ſatis haberem me purgare, ſed etiam eum, vnaque hos, qui ſub praetextu vlciſcendae iniuriae huic a me oblatae latentes, emungere me numis conantur, demonſtrarem, per ſummum nefas me criminum eorum omnium inſimulare, quorum nunc ab his inſimulor. Verum maiore etiam, quam erga eos decebat, aequitate atque facilitate vtar. Transmittam haec. Vnum hoc vos rogabo, qui ſummae rerum eſtis arbitri atque compotes, vt ſinatis vos ab infelicitatis meae immanitate ad miſericordiam flecti, vulneribusque ab ea mihi impoſitis ſalutarem veſtram manum admoueatis. Nolite, iuncta cum his infeſta opera, proteruo pede iacenti mihi ventrem quaſi conculcare, neue committite, vt hi me peſſumdent modo turpiſſimo, legibusque diuinis pariter atque humanis repugnantiſſimo.

ORATIO QVARTA.

Seu tertia tetralogiae primae, quae eſt accuſatio poſterior eiusdem caedis.

Iniuriam vtique hic facit Infelicitatis numini, quod ille praetendens, piaculare ſuum facinus obumbrare conatur, neque veſtra dignus eſt, iudices, miſericordia,

cordia, qui, cum peremtum calamitate perculit, quae eum inuitum et repugnantem de medio ſuſtulit, tum ſemet ipſe in diſcrimen coniecit vltro arceſſitum. Superiori oratione planum feci, peremtum noſtrum procul omni dubio ab huius rei ferro cecidiſſe. Nunc autem planum facere hac altera mea accuſatione conabor, crimen hoc ab eo non ita, vt par erat, depulſum eſſe. Age itaque argumenta eius libremus. Fac ergo verum eſſe, quod ait, a latronibus eos fuiſſe iugulatos, illosque latrones a ſpoliandis cadaueribus impeditos interuentu quorundam, quos ad ſe aduenire vidiſſent, fuga ſalutem quaeſiuiſſe, nil curantes veſtimenta illis detrahere. Eſto. Inuenerint hi interuenientes herum iam exanimatum. Atqui famulum tamen inueniebant adhuc ſpirantem et ſui conſcium. Hunc certe diligenter interrogaſſent de homiaidc. Famulus veros caedis auctores indicaſſet bona fide. Hi, re comperta, nomina ſceleratorum ab illo edita ad nos retuliſſent, et ſic liber a culpa reus hic manſiſſet. Non placet hoc? Fac ergo, peremtum alios quosdam in facinore malo videntem, ideo fuiſſe ab his ſublatum, ne facinoris huius index fieret. Atqui ſic caedes horum, heri famulique, non ſine iſtorum facinore innotuiſſet. Qui praeco caedem promulgaſſet, idem vna quoque facinus ſceleratorum promulgaſſet, et ſic in hos incubuiſſet ſuſpicio, non in hunc reum. Porro fac peremto alios quoque fuiſſe inimicos, ſed minoribus ab illo iniuriis affectos, neque in tantum capitis fortunarumque diſcrimen adductos, atque hic reus a peremto fuit. Age caedem eius his imputemus. Atqui mente comminiſci non poſſum, qui potuerint minore in diſcrimine verſantes, animum inducere, vt magis huius peremti vitae inſidiarentur, quam hic, cui maius periculum ab eius vita, ſi diutius extraheretur, impenderet. Huic neque metus periculi ab homicidio

commiſ-

commiſſo ſe manentis, neque recogitatio iniuriae, atque atrocitatis et foeditatis, qua ſe eſſet hac caede patranda commaculaturus, ſitim ſanguinis effundendi ſatis exſtinguere poterat. Illorum autem ſimultatem atque vindictae ſitim ſatis reſtinguere et manus reprimere atque ad continentiam compeſcere poterat, et cogitatio periculi ſubeundi, et ignominiae contrahendae, etiamſi reuera aliquando caedis committendae aliqua lubido eos inceſſiſſet. Sed famuli teſtimonium eleuat? Non recte is quidem. Nam optimae illud erat certiſſimaeque auctoritatis, ex eo genere teſtimoniorum, quae edentes ſerui, non modo non tormentis ſubiiciuntur, ſed vel libertate quoque donantur. Torquentur vtique ſerui in cauſis herorum. Sed quibus? cum aut conſcii conſortesque heris fuerunt in furando, aut furta herorum infitiando celare conantur. tum equuleo eos imponimus, eaque neceſſitate veri confeſſionem ex iis exprimere ſtudemus. Etiam hoc nego verum eſſe, quod ait, veroſimilius eſſe, a caede patranda ſe abfuiſſe, quam ei interfuiſſe. Verum quidem hoc fateor eſſe, ſi abfuiſſet, minus periculum eum fuiſſe aditurum, quam ſi adfuiſſet. Fac enim ſicarium ab eo immiſſum, in facinore deprehenſum, in hunc contuliſſe culpam, ab hoc ſe dixiſſe emtum et immiſſum eſſe. Quis crederet? qui praedicationi ſuae mercenarius fidem faceret? Verum rurſus, ſi abfuiſſet, verendum ei erat, ne facinus minus patraretur. Segniores in exſequendo futurae fuiſſent operae. Nemo non eorum omnium, abſente inſtigatore et gubernatore facinoris, cunctantius atque reformidantius id eſſet aggreſſus. Verum negat periculum, quod ſibi a cauſa ſacrilegii imminuiſſet, ſi peremto hanc accuſationem perſequi per fata licuiſſet, grauius atque horribilius fuiſſe, quam periculum cauſae huius, quam de homicidio nunc agendam habet. Etiam hoc falſum

ſum eum dicere, docebo. Diſcrimina et condemnationis et abſolutionis in vtraque cauſa ponamus paria. At non perinde certum erat, fore, vt cauſa homicidii in iudicium adduceretur, atque certum erat, alteram cauſam ſacrilegii eſſe inducendam, ſi vita inimico diutius prorogaretur. Ne ſperare quidem vllo pacto poterat, inimicum, quoad ſupereſſet, ſibi veniam actionis de ſacrilegio eſſe facturum. Hanc autem homicidii accuſationem, vt effugeret, erat ſperandi cauſa probabilis. Fieri enim poterat, vt in occulto maneret, a ſe caedem fuiſſe aut iuſſam, aut patratam. Porro, poſtulans, propterea, quod ſuſpicio caedis non improbabilis in ſe incurrat, non ideo ſtatim ab illius ſuſpicionis tota mole opprimi, non recte poſtulat. Nam ſi metus ſuſpicionis et ignominiae publicae, quam in ſe incubituram videbat, ſi caedes committeretur, ſatis hunc a propoſito auertere valuit, neceſſario conſequeretur, inſidiatum vitae peremti neminem fuiſſe. Ergo peremtus non fuit. Nemo enim non eorum, qui minus ſibi, quam hic reus, a peremto metuebant, cenſendus eſt, minus inimici capiti fuiſſe inſidiatus, quam hic eſt, qui omnium maxime ſibi ab eo metuebat. Contributiones autem et largitiones in rempublicam ſuas iactans reus, et choregatus, quibus functus eſt, nil magis proficit. Indicia quidem haec ſunt lautae et beatae vitae; verum, vt documento ſint, ab homine tam locuplete caedem commiſſam non eſſe, tantum abeſt, vt potius contrarium approbent. Nam illa ipſa fortunarum amplitudo metum ipſi iniiciebat, ne per hunc peremtum eam amitteret; quam ſi vellet retinere, neceſſario de medio ſubmouendus hic inimicus erat. Impium quidem facinus; quis neget? conſentaneum tamen erat, audaciam atque cupiditatem hominis ſceleroſi ab eo ſibi non fuiſſe temperaturam. Vrget porro locum hunc, a iure ciuili homici-

das

das haberi atque appellari eos, qui caedem reapse manibus suis perpetrarint; non autem istos, qui tantummodo speciosa quadam eius suspicione premantur. Foret de hoc recte admoniturus, si homicidae, huius caedis patratores, nobis certo cogniti essent atque deprehensi. verum donec illi demonstrentur, reus hic argumentis summae probabilitatis coargutus, recte habebitur homicida, et praeter eum nemo alius. Caedes enim, non coram testibus, sed in occulto patrantur. Palam itaque iam constat, hunc reum per ipsam suam defensionem prodere, caedem hanc a se patratam esse. Rogans itaque vos, vt se, qui homicida sua ipsius confessione sit, tamen absoluatis, quid agit aliud, quam vt vos roget, vt piaculum suum a se in capita vestra transferre, iisque spurcitiem suam affricare velitis? At quanto maior est orationis nostrae aequitas! qui, si neque probabiles notae, quibus hic obruitur, neque testimoniorum auctoritates, quibus hic confoditur, satis ad coarguendum valent, negamus vnum quemquam esse omnium, quantumuis magna suspicionum mole oppressorum, qui conuinci queat. Quodsi ergo hunc absoluatis, (quod si feceritis, per summum nefas feceritis,) defuncti Manes nobis quidem pacati erunt, qui quantum in nobis esset, egimus omnia, ad eos placandos facientia; vobis autem, valde vereor, ne tempus veniat, quo Manes illi sollicitudines metusque et conscientiae cruciatus iniiciant. Constat inter omnes hunc miserum peremtum esse. Vestigia caedis omnia ad hunc vnum reum deferunt. Famulus defuncti exspirans hunc homicidam apppellauit. Ecquo tandem vos iure hunc, vndique septum, et laqueis conuictionis constrictum, absoluatis? Ignota haec vobis non sunt, saepius inculcata. Quare tenentes ea memori mente, succurrite defuncto, punite homicidam, repurgate ciuitatem

tem a piaculo. Quod cum facietis, triplex simul bonum hoc vno facto consequemini. Minuetis numerum maleficorum, alienis fortunis atque spiritibus insidiantium. Augebitis numerum hominum religiosorum. Maculam impietatis ipsi vestris a manibus abstergetis.

ORATIO QVINTA.

Seu quarta tetralogiae primae, quae est posterior huius caedis defensio.

Ecce ego me Infelicitati, quam hi a me aiunt per nefas accusari, in manus potestatemque vltro trado, vnaque horum simultati, reformidans quidem atrocitatem inuidiae, qua hi me respergunt, rursus tamen vestra fidens voluntate, et veritate coeptorum meorum. Contendunt hi quidem ipsa adeo facultate calamitates meas coram vobis lamentandi me excludere. At quonam alio me confugere oportebit, si portus hic salutis meae, sinus vester, occlusus mihi fuerit? Inaudito exemplo, nisi potius me dicere par est modo nequissimae improbitatis turpissimo, hi, qui se mei vna accusatores peremtique vltores ferunt, omnem suam orationem in exaggerenda vi probabilitatis exhauriunt, dum interim ab ipsa veritate aberrant. Verum homicidam quod demonstrare non habent, ideo me contendunt homicidam esse; partibus insuperhabitis iis, quae demandatae ipsis sunt, inuadunt in alienam prouinciam. me per nefas de medio sublatum eunt, non sanguinis effusi vindicias quaerunt, quas quaerere iussi sunt. Iam oportebat me quidem aliud nihil agere, quam vt famuli testimonium eneruarem. quo facto insistere et acquiescere poteram. Index enim homicidarum non magis sum, quam coargutor. Nihil aliud iure flagitari a me potest, quam vt crimina

mihi obiecta refutem. Audebo tamen nihilominus etiam vlterius procedere, quo et hos, inimicos meos, capiti meo insidiantes, omnibus propugnaculis atque latebris expellam, omnemque omnino maculam suspicionis a fama mea abstergam. Infelicitatem itaque meam, cuius nomine hi mihi inuidiam creare contendunt, oro quaesoque, vt, mutata natura, mecum reconciliata, felicitatis induere personam velit. vos autem rogo iudices, vt absoluendo me beatum reddere malitis, quam condemnando miserabilem. Accusatores si audimus, nemo non eorum, qui caedi, dum perageretur, interuenerunt, quaesiuit, quinam essent homicidae, cognitoque, ad domum peremtorum renunciauit. Hoc factum esse, multo aiunt esse probabilius, quam alterum, vt nempe interuenientes caedi, cognitis homicidis, viam suam pergerent, et de re gesta, homicidisque ad necessarios caesorum renunciare insuper haberent. Ego vero, multum illis diffidens, nego quemquam tam calidis animis, tam ferrea fronte futurum fuisse, vt derepente, nocte intempesta, incidens in corpora contrucidata, adhuc palpitantia, in homicidas inquireret, eoque ipse suam vitam in discrimen daret. Videtur enim vero ille multo citius retro pedem retulisse, citamque in fugam se coniecisse. Quod si ergo latrones in hoc quoque peremto eadem fecerunt, quae huiusmodi homines in simili loco atque tempore facere par est, locus vtique est suspicioni, grassatores nescio quos vestium causa etiam in hos insultum fecisse. Iniuria itaque fuerit, eos a suspicione huius caedis absoluere. Num autem vna cum caede ab his latronibus patrata, alia quoque similia facinora aliorum grassatorum voce praeconis indicata fuerint, nec ne, quis nouit? Nemo enim tanti fecit id quaerere. Obscurum autem cum sit praeconium, ne ab his quidem grassatoribus peremtum fuisse no-

ſe noſtrum hominem, incredibile eſt. Famuli autem teſtimonio ecqui operteat maiorem auctoritatem fidemque attribuere, quam teſtimonio ingenuorum? famulo vtique maior erat impunitas mentiendi, quam his. Ingenui, ſi qua de re in iudicio teſtati, falſi dicti teſtimonii conuicti ſint, infamia notantur et pecuniis multantur. Famulus autem hic nullo tolerato examine, nullis admotis fidiculis, exſpirauit. Vbinam ergo nunc dabit poenas? Scrutinium ecquod ſubibit? Nil itaque mirum eſt, ſi homo, cui nullum propoſitum eſſet e mendacio periculum, impulſus ab inimicis meis, quorum in poteſtate eſſet, falſo me indicauit. Famuli ergo teſtimonium mihi aduerſum, fide omni cum ſit indignum, facinus vtique feceritis impium et nefandum, ſi me propter eius auctoritatem, quae nulla eſt, occideritis. Porro aiunt minus eſſe credibile, me a caedis patratione abfuiſſe, quam ei interfuiſſe. Ego vero quod aio me ab illa caede abfuiſſe, id non ratiociniorum probabilitate, ſed rerum veritate teſtatum faciam. Quotquot enim mihi ſunt vtriusque ſexus mancipia, illa omnia vobis dedam ad quaeſitionem per tormenta. Quorum e praedicatione ſi conſtiterit, me illa nocte domo abfuiſſe, aut vel limina modo domus meae tranſiſſe, confitebor me homicidam eſſe. Neque obſcura, parumque memorabilis eſt illa nox, ſed vel maxime inſignis, eoque ad recordandum facilis. Homo enim noſter Diipoliis cecidit. Quod ad opulentiam attinet, cuius amittendae formidine me exſternatum hi aiunt necem ipſi dediſſe, longe ſecus eſt, quam hi praedicant. Debebat illa mihi potius caritate ſui conſtringere manus atque reprimere a facinore. Pauperibus quidem conducit, nouandis rebus et capeſſendis conſiliis deſperationis plenis aleam fortunae iacere, aut melioris adipiſcendae, aut praeſentis deterioris ipſa cum vita exuendae. ſpes enim ipſis non

prorſus nulla eſt, mutata rep. ſuam quoque infelicitatem alium vultum eſſe induturam. Fortunatis autem hominibus expedit, quanta maxima cum cautione conquieſcere immotos, et parta quiete tueri. Rebus enim conturbatis et inuerſis, e fortunatis fiunt mendici et miſeri. Pugnant aduerſus me armis probabilium ſolummodo argumentorum, et nihilominus tamen illinc ſummam colligunt, quam non iam probabilem, ſed certam et veram contendunt eſſe. Non probabiliter, ſed vere, et certo certius me homicidam eſſe aſſeuerant. Atqui demonſtratum dedi, illa omnia eorum argumenta a probabili petita pro me militare. Nam teſtem cuius teſtimonio premor, fide carere planum factum eſt. Scrutinio res caruit. Indicia pro me facere, et contra aduerſarios, declaraui. veſtigia caedis non ad me deferunt, ſed ad eos, quos aduerſarii oratione ſua abſoluunt. Planum itaque a me factum cum ſit, omnia meae accuſationis capita infida et fide caſſa eſſe, verendum vtique non eſt, ne id eueniat, quod hi euenturum aientes vano vos metu territatum eunt, vt nempe, ſi ego abſoluar, nullus poſthac maleficorum omnium maleficii conuinci poſſit, ſed hoc potius exſiſtet multo horribilius, vt inſontium nemo poſthac ſatis euidentem et grauem inueniat rationem ſui purgandi, ſi ego nunc reus peragar. Quamquam hi me tam perſpicua et manifeſta cum iniuria reum agentes, ipſi impietatem ſummam committant, per quam ſanguinem meum effundere conantur, puros tamen ſe ferunt et a piaculo intactos. me vero impium facinus agere in eo, quod vos ab impia caede mei dehorter, perſuadere vobis laborant. Ego vero, qui me aio purum et intactum ab omni crimine mihi obiecto eſſe, veluti in articulo mortis conſtituti remanentibus vltima praecepta mandant, ſic vobis quoque haec praecipio atque iniungo, vt ſumma diligentia caueatis,

vt in

vt in reuerentiam hominibus ſanctis et crimine vacuis debitam ne offendatis. Quoniam vero vobis opera quoque danda eſt, vt Manes peremti vltione placentur, ſaeuitiem deae vobis ad animum reuocans eius, cuius hae ſunt partes, vt, cum alia quaequae ſcelera, tum inprimis homicidia poenalibus iris proſequatur et exagitet, hortor vos, vt inſontem pro ſonte ne puniatis, eoque in cauſa ſitis, vt vere ſons inultus elabatur. Id quod fiet, ſi me, culpa vacantem, peremeritis. Eo enim facto, nemo de quaerendo vero homicida amplius cogitabit. Haec itaque mala cauentes atque deuitantes, abſoluite me; quod facientes primum diuinisque humanisque iuribus conuenientia facietis; deinde non errore ruetis, eoque carebitis poenitentia, quae agnitionem erroris inſequi ſolet. Huiusmodi enim in cauſis poenitentia nil proficit, errore commiſſo medicinam reſpuente.

ORATIO SEXTA.

Seu prima ſecundae tetralogiae, eademque accuſatio caedis involuntariae.

Cauſarum quicquid in confeſſo, et extra controuerſiam poſitum eſt de eo iam dudum edixerunt atque ſanxerunt leges, et hi, qui leges illas ſuis ſuffragiis ratas eſſe iuſſerunt. nam penes hos ſumma rerum poteſtas in rep. eſt. Si quid autem incidat controuerſiae obnoxium, de eo vobis demandatum eſt, vt dignoſcatis. Quare cum cauſa haec, quae mihi cum hoc reo eſt, prioris ſit generis, plana et aperta, venio ad vos, iudices, rogatum, vt edictum legum exerceatis. Neque enim videtur reus, hic adoleſcens, quod obloquatur, quicquam eſſe habiturus. Nam, tametſi fateor eum, non volentem, ſed inuitum feciſſe, certum tamen hoc eſt eum, in gymnaſio iaculo certan-

tem, filii mei latera illo iaculo transfixiſſe. quo a vulnere confoſſus in continenti exſpirauit. Verum tamen mihi, qui peremti pater ſum, eo, quod inuitus fecit, non minorem conſciuit calamitatem, quam ſi data opera feciſſet; neque eo minus peremto fatum ante tempus acceleratum, ipſi ſibi conſcientiae atque poenitentiae cruciatus, et ciuibus in vita relictis piaculi ſpurcitiem contraxit. Quare vos rogo, vt occiſori imperetis, vt ſeſe abſtineat a frequentatione locorum illorum omnium, quorum aditu lex homicidis interdicit. Quod facientes, demonſtrabitis, vos commiſeratione duci et patris infelicis filio orbati, et filii ante tempus rapti, neque ſinetis ab hoc adoleſcente adſperſam toti ciuitati maculam ei inſidere.

ORATIO SEPTIMA.

quae eſt ſecunda tetralogiae ſecundae, eademque defenſio caedis inuoluntariae.

Nunc tandem vſu meo comperi, ſolere infortunia rerumque neceſſitates ipſos adeo quietae et a turbis cauſarum forenſium abhorrenti vitae deditos in certamina rixarum committere, pudentesque atque pacatos cogere, vt alia multa facere ab illorum ingeniis moribusque aliena, ſic in foro quoque dicere. Ego enim, qui talis, tam modeſtus et ſedatus eſſe, non modo in primis ſtudeam, ſed etiam ſim, niſi mea me de me multum fallit opinio, tamen ab aduerſa mea me fortuna eo redactum video neceſſitatis, vt, inconuenienter cum reliquae meae vitae more, cauſa mihi ſit defendenda, cuius et aegre perdidici veras rationes, et multo adhuc impeditiorem mihi inuenio rationem eas oratione coram vobis demonſtrandi. Quare ad clementiam et commiſerationem veſtram, iudices, non minus ego quoque, quam accuſator meus, confugio, rogo-

que

que vos, vt, ſi vobis videbor ſubtilius, quam pro reliquo meo more, diſputare, quod ipſa neceſſitas a me invito extorquebit, ne minus ideo aequis auribus defenſionem meam accipiatis, neque, opinationis ſpecioſitate magis, quam veritatis certitudine ducti, ſententiam pronuntietis. Nam opinatio quidem rerum geſtarum fecunda iis eſt, qui facundia rebus induere facies, quascunque volunt, valent; veritas autem ſtat a partibus hominum iuſtitiae atque religioni operantium. Sperabam itaque ego equidem, operae me meae fructus eſſe percepturum, quam in hoc filio meo artibus iis erudiendo ponebam, quibus cum reſp. vniuerſa ornatur, tum nos ambo priuatim nobis videbamur commodi nonnihil percepturi. Verum euenit prorſus contra, atque ſperabatur et deſignabatur. Nam adoleſcens hic, non impetu quodam arrogantiae in contumeliis laſciuientis actus, neque leuitate petulantiae, ſed in gymnaſio vna cum aliis aequalibus ſub magiſtro iaculum intorquere diſcens, vulnus quidem lethale miſero puero, accuſatoris filio, intulit, verum tamen non ideo ſtatim dicendus eſt eum ſuſtuliſſe, ſi rem geſtam, non externa ſpecie in oculos incurrente, ſed rerum veritate, quae diligentia meditationis exigitur, metiaris. Ipſe puer in ſemet peccauit, et per hanc alienam culpam filius meus in criminationes impegit, quas vt ſibi conſciſceret ei nunquam in mentem venit. Nam ſi iaculum, extra terminos eius curſui praefinitos euectum, in puerum incurriſſet, eumque ſtrauiſſet, nulla nobis relicta foret excuſatio, qua incuſationem caedis depelleremus. Atqui puer iaculo intra ſpatia ſua manenti, vltro ſemet venienti obtulit, corpusque ſuum ei obiiciendo, impediuit iaculum, quo minus ad metam peruenire poſſet. Puer eo, quod ſub teli coniectum venit, et ipſe ſibi vulnus lethale contraxit, et nobis infamiam, ad nos prorſus nil pertinentem.

Patet ergo, adolescentem iniuria caedis insimulari, qui neminem eorum omnium feriit, qui procul a meta loco suo et tuto constiterunt. Puer itaque, si pariter loco suo stans mansisset, procul omni dubio ictus non fuisset. Res est perspicua. Sed multo adhuc magis est perspicuum, eum non alieno errore, sed suomet cecidisse. Nam si quietus et immobilis stans in statione sua persuaueraſſet, ictus non fuisset. Erroris itaque poenas si eum dare par est, qui errauit, constat iam, a qua parte error sit. Ambos enim contra voluntatem suam fecisse, id quod fecerunt, alterum ferientem, alterum sub ictum venientem, de eo mihi cum accusatore conuenit. Sed adhuc euidentius arguatur homicida hoc quaerendi modo. Qui, cum animo suo proposuissent aliquid facere, id efficere non possunt, sed ab instituto atque spe sua aberrant, hi habentur atque appellantur effectores rerum inuoluntariarum; qui autem sponte sua aut agunt aliquid, aut affectioni cuidam se obiiciunt, in hos merito et actiones illae voluntariae, et voluntariae clades, vt in auctores, conferuntur. Iam adolescens meus neque hominum quemquam voluntarie laesit, neque in re quapiam voluntate sua peccauit. Exercebat artem iaculandi, non interdictam sibi, sed imperatam. Non iaculabatur in area luctantibus consecrata, sed in ea, vbi iaculantes operi suo vacant. neque intorsit iaculum alio, quam versus metam. non a via recta detortum ad procul a meta distantes iaculum in puerum incurrit. Recte itaque omnia peregit adolescens, quae agenda sibi proposuerat. quo fit vt nihil omnium fecerit praeter voluntatem suam. Sed ipsi haud exspectanti et inuito casus aduersus obiectus fuit, vt iaculum eius interuentu pueri a metae contactu prohiberetur. Puer autem praeter metam transcurrere volens, antequam iaculum veniret, errabat in aestimando temporis spatio, quo

quo licuiſſet alicui ſaluo transcurrere, qui rectiore et feliciore aeſtimatione momenta temporum menſus fuiſſet. Incidebat itaque in malum inuoluntarium. Peccauit ergo in ſemet ipſum, etiamſi contra voluntatem ſuam. Habeat ergo ſibi, et ferat inultus poenam erroris ſui. Cladem hanc ipſe ſibi iumento ſuo acceſſiuit. Poenas dedit. ipſe ſemet vltus eſt. Deſiſtatur ergo ab vltione aliunde petenda. Nollemus factum, cui profecto non illaetamur, ſed potius ingemiſcimus. At in culpa tamen nos non ſumus erroris, qui ei peſtifer fuit; ſed culpa penes eum eſt, qui errorem commiſit, malumque, ex errore natum, in erroris auctorem relabens, cum nos a criminatione abſoluit, tum in ipſo committendi erroris articulo meritas a commiſſore poenas exegit. Verumenimuero, non ſola rei natura, ſed ius quoque ciuile nos abſoluit, quo fidens hic me reum agit. Ius quid edicit? Neque per fas, neque per nefas, h. e. nullo pacto, nullo praetextu, quocunque tandem, quamquam occidi. Atqui filius meus hac lege non tenetur. Prorſus enim non occidit, neque volenter, neque praeter voluntatem. Error enim peremti filium meum ipſius adeo inuoluntariae caedis crimine abſoluit. Et accuſator ipſe negat eum caedem voluntariam commiſiſſe. Abſolutus itaque adoleſcens vtriusqee caedis crimine, lege illa non tenetur. Planum fic feci, et e rei geſtae veritate, et e legis formula illius, cuius obtentu rei nunc agimur, culpa nos omni vacare, ideoque poenam eſſe nullam meritos. Sed et reliquae noſtrae vitae rationes moresque tantam poenarum acerbitatem a nobis procul arcent, quantam hic accuſator nobis irrogatum it. Atrox enim filio meo iniungatur iniuria, deorumque vindicta digna, ſi cogatur alieni erroris poenas luere. Ego vero, tametſi, non magis quidem, quam filius, ſed ſolummodo pariter atque ille, culpa vaco, in cala-

mitates multo acerbiores incidam, quam ille. Nam ille quidem, si fatale fuerit, cita morte aufferetur; ego vero, quod reliquum mihi vitae tempus est, id haud vitale exigam. orbus enim, filio carens, viuus adhuc, potero haud secus, atque fatis defuncti, pro sepulto haberi. Penes vos itaque et huius infantis calamitas culpa vacans, et miserabilitas sortis, quae me miserum senem, vt repente oppressit, ita minatur moerore molestiisque confectura, tantum valeto, vestramque commiserationem tam valide commoueto, vt caueatis condemnationis vestrae seueritate nos extrema mergere infelicitate, vt potius absolutionis sanctitate religionis erga deos iustitiaeque famam tueamini. Nil est quod vereamini, ne nos absoluendo, sanguis peremti inultus maneat. Vltor ei suus iam obtigit. Fert lapsus sui poenas is, qui lapsus est. Nos eas cum illo vna perferre, haud conuenit. Ita meriti non sumus. Reuerentes itaque laedere eos, qui hoc in negotio neque diuina, neque humana iura vlla ex parte laeserunt, absoluite nos, id quod vos facere ambo illo iura flagitant. Miserrimum par hominum, patremque, filiumque calamitatibus ante tempus acceleratis ne demergite.

ORATIO OCTAVA.

quae est secundae tetralogiae tertia, qua accusator reum denuo vrgere pergit.

Videtur hic reus mihi, non iam oratione solummodo, sed ipsa quoque re, atque re magis etiam, quam verbis, declarare, eam esse necessitatis vim, vt, vbi inciderit, neminem non cogat praeterque ingenium et praeter morem nihil non et loqui et agere. Omnium enim minime profecto hic reus in tota superiore vita cum fuisset impudens, vel audax, nunc a calamitate sua percitus, ea prolocutus est, quae ego equidem nunquam

quam ſperaſſem eſſe prolocuturum. Nae ego ſtultus et bardus eram, exiſtimans eum nil eſſe oblocuturum. Id enim ſi praeuidiſſem futurum, quod euenit, vt ille accuſationi meae defenſionem opponeret, non ſatis habuiſſem crimen eius indicare, neque defunctus ſola altera parte orationis, altera memet ipſe defraudaſſem. Et rurſus hic, ſi debita vſus modeſtia, contra hiſcere auſus non fuiſſet, non altero tanto mihi praeſtaret, quo nunc praeſtat, auſus obloqui. Non enim ſolum modo meam accuſationem ſua defenſione excepit, ſed etiam praeterea me criminibus vltro ingerendis obrutum iuit, quibus, vtpote non praeuiſis, in accuſatione ego occurrere non potueram. Verumenimuero, quamquam tanta parte nos actionis ſuperat, rebus ipſis tamen adhuc multo pluribus me paſſibus anteit, vobis perſuadere laborans, ſe culpa vacare, eoque precibus a vobis contendens, vt clementer atque beneuole audita defenſione, ſe abſoluatis, me damnetis, qui nulla mala fraude commiſſa, praeter illa priora mala miſera atque infanda, adhuc multo etiam indigniora verbisque rebusque probra atque damna accipiam. Quare ad portum clementiae atque miſericordiae veſtrae, iudices, confugiens, quibus hoc eſt muneris datum, vt in impia facinora animaduertatis, ab iisque recte et praeclare facta dignoſcatis, vos rogo, vt facta coram oculis videntes certa, et nulli controuerſiae obnoxia, fallacis et captioſae facundiae praeſtigiis ne vos detis ludendos, neue credatis ei perſuadere vobis contendenti, falſa eſſe atque ementita ea, quae vere euenisſe inter omnes conſtat. Nam ſi fucata illa eloquentia plus valet mentes impoſturis illaqueatas ad aſſenſum pertrahere, veritate tamen caret. Veritas autem, tametſi minus diſerta eſt, et a pompa eloquentiae vanae denudata, ſimplicitate ſua tamen et integritate potentior eſt. Quare poſſem quidem hactenus,

ctenus, iuſtitia cauſae meae fretus, contentionem omnem defenſoris ſecurus ridere. Verumtamen duritia atque ſaeuities fortis meae, a qua nihil non infeſtum metuere debeo, metum mihi iniecit, ne, praeterquam quod commodis carendum mihi ſit, quae poteram a filio percipere, nunc a fato eius praematuro intercepta, inſuper etiam hoc obrutus dedecore abeam, vt videam filium a vobis homicidii inſimulatum, vltro ab ipſomet in ſe admiſſi. Eo enim proceſſit defenſor audaciae atque impudentiae, vt filium ſuum, a quo illud iaculum intortum fuit, cuius vulnere meus filius exanimatus eſt, neget vulnus impoſuiſſe, neget occidiſſe; contraque eum, qui iaculum ne manibus quidem contigit, et ne in mentem quidem ſibi venire paſſus fuit, vt iaculum intorqueret, quod iaculum neque ſolum, neque vllum aliud corpus feriit, tamen aiat ipſum ſuis manibus illud iaculum per latus ſuum transadegiſſe. Cuius praedicationis tam euidens et tam palpabilis eſt repugnantia, vt audeam affirmare, videri mihi minus laborandum fore in aſſenſu impetrando, ſi contendam, filium meum ab hoc adoleſcente, voluntate ipſius et data opera eſſe peremtum, quam huic erit laborandum, volenti perſuadere, puerum a ſe neque ictum, neque exanimatum eſſe. Filius meus tum temporis, quum adoleſcens hic iaculum expediret, a paedotriba iaculantium tela excipiente et colligente, vocabatur. Interea dum puer accurrit, adoleſcens, feſtinationis et temeritatis intemperantia, infeſtum intorquebat iaculum, quod incurrens in filium meum, miſerrimo necis genere ſuſtulit inſontem, a quo nemo quicquam laeſus eſſet. Adoleſcens autem eo, quod in aeſtimando laberetur illo tempore, quod inſumi ſolet iaculis colligendis, non accepit iniuriam a filio meo, eo, quod filius meus interceſſerit, quominus iaculum ipſius ad metam perueniret,

ueniret, ſed potius filio meo inſignem et luctuoſam ipſe dedit iniuriam eo, quod metam non illam propoſitam, quo collimare debebat, ſed aliam, quam non debebat, miſero modo mihique peracerbo, feriit. Sic filium meum occidit, non ille volens quidem, ſed inuitus, at nihilo tamen minus occidit, quam ſi volens feciſſet. Negans itaque puerum a ſe interemtum, negat quoque ſe lege teneri illa, quae caede omni deſtricte interdicit, ſiue iuſta, ſiue iniuſta. Atqui ſi hic homicida non eſt, in quemnam culpa caedis relabetur? in ſpectatores ergo? an in paedagogos? atqui horum quidem nemo quemquam vlla ex parte incuſat. Ergo a nemine peremtus eſt filius meus? Atqui, non obſcura, ſed vel nimis etiam certa et in propatulo poſita caedes eius eſt. Ego itaque recte vrgeo legem, quae mihi recte praecipere videtur, vt homicida puniatur. Nam etiamſi inuitus occiderit, non ideo tamen abſoluendus erit poenis praeter voluntatem contractis. Et peremtus, nil ideo minus laeſus, quod a nolente peremtus ſit, quam ſi a volente peremtus eſſet, iniuriam vtique acciperet, ſi ſanguis eius inultus manare ſineretur. Erroris vtique infelicitate lapſus eſt homicida. At non ideo tamen propter illam erroris ſui infelicitatem abſolutione dignus eſt. Nam ſiue error is mere humanus fuit, ſiue etiam numinis irati interuenit aduerſitas, paret eum erroris poenam haud poſſe effugere. Siue enim infelicitate quadam vſus eſt, a qua numen diuinum prorſus abfuit, peccauit tamen. et qui peccauit, poenas peccati dare commeruit. Sin autem inſuper diuina quaedam macula homicidae inſederit, numine impium iracundiae ſuae poenis exagitante, nefas ſit, homines natos intercedere velle verberibus diuini flagelli. Verum opponunt, haud decere malis affici homines frugi, honeſtati deditos. Nos autem, qui morum noſtrorum haud minus

nus approbauerimus ſanctitatem, mortis immeritae et improuiſae luctu cruciari ecqui conueniat? Sed culpa ſe ait vacare; calamitates iis poſtulat relinqui, qui peccauerint, non autem in inſontium capita detorqueri. Verum, ea dicens, pro nobis dicit. Nam filius meus culpa vacat. neminem vlla in re offendit. quod ſi ergo ſanguis eius inultus maneat, ab hoc adoleſcente praeter meritum effuſus, iniuriam vtique accipiat. Et ego, qui magis etiam, quam filius meus, culpa vaco, infanda patiar, ſi a vobis excludar fructu beneficii, quod lex mihi contribuit. Ex illis ipſis autem, quae hi diſputant, conſequi, adoleſcentem ne ab illo ipſo quidem defectu voluntatis atque propoſiti in caede committenda, abſolui, ſed illa ambo, errorem puta atque poenam, ambobus, tam filio meo, quam iſtius filio, communia aequis partibus eſſe, planum faciam. Nam ſi filius meus ideo homicida ſuimet habebitur, quia, non conſtitit quietus, ſed venienti iaculo ipſe ſemet obtulit, ne iſtius quidem filius omni culpa eſt liberandus, qua vacaturus eſſet, ſi filius meus, illo quieſcente, nullumque telum intorquente concidiſſet. Caede itaque ab ambobus pariter peracta, neceſſe eſt, vt poenam quoque ambo participent. Et filius quidem meus errorem ſuum in ſemet admiſſum maiore etiam poena, quam pro modo erroris, luit, quam ipſe ſibi poenam dedit; morte nimirum luit. qui ergo par ſit impunitum diſcedere enm, qui ſe illi conſortem et adiutorem delicti in eos, quos non decebat eo delicto laedi, praebuerit? Ex ipſa horum defenſione conſtat adoleſcentem huius caedis participem eſſe. Ecqui ergo vos, iudices, vllo pacto eum ſaluo diuino humanoque iure abſoluatis? Nobis certe, quos horum duum communis error funditus afflixit, iniuria offeratur, non modo cum iure diuino non conſentiens, ſed vel maxime etiam ei repugnans, ſi ho-

ſi homicidae habeamur. atque declaremur eſſe. Quod ſi fieret, deberemus extremum ſupplicium tolerare. Quod ſupplicium in nobis exſecuti, ſi iis a locis non arcerentur, quibus arceri impuros conuenit, non recte fiat, ſi modis iis, quibus homines pios excipi par eſt, excipiantur ab iis, qui alias impios ſint exſtirpaturi. Macula piaculi, quae alias ad vniuerſos erat permanatura, ſic vobis ſolis foret inſeſſura. Quapropter ſumma cautione hac in cauſa vobis vtendum erit. Nam ſi homicidii reum hunc adoleſcentem pronunciaueritis, eique locis ſanctis interdixeritis, vacabitis crimine. Sin autem eum abſolueritis, ipſi veſtra capita piaculo ſupponetis. Veſtrae itaque ipſorummet pietatis ergo legumque tuendarum, abducite hunc foro, vltra fines deportate, et ſic punite. Sic enim cauebitis, vt ſpurcitiem eius ne participetis, nobisque parentibus, qui ab iſto homicida viui adhuc tumulo defoſſi ſumus, calamitatem reddetis, opinione ſaltim tenus famaque, tolerabiliorem.

ORATIO NONA.

quae eſt ſecundae tetralogiae quarta, eademque defenſio poſterior caedis involuntariae.

Conſentaneum nempe erat hunc, accuſationi ſuae intentum, in eaque defixum, defenſionem meam haud percipere; vos autem par eſt tenere, cum nos aduerſarii, cauſam quisque ſuam, e beneuolentia, qua ſe quisque amplectitur, arbitrans, vera et aequa ſe dicere autumat, tum vos decere ſancte atque ſeuere naturam cauſarum intueri. Nam e diſputatis veritas rerum geſtarum eruenda eſt. Mentitus ego equidem ſi quid fuero, profiteor, eo reliquis quoque a me vere et recte dictis inuidiam fraudis et impoſturae affricare. Sin autem a me dicta, tametſi ſubtiliter et limate, vere ta-

re tamen dicta sunt, non ego, qui ista dico, sed natura rerum oratione mea agitatarum meretur odiosam hanc appellationem ferre. Volo itaque ante omnia probe vos tenere, si quis caedis commissae reum aliquem aiat, non ideo statim homicidam fieri, sed tum demum, cum coargutus criminis vere commissi fuerit. Hic autem confitens rem ita reuera actam esse, vt nos exposuimus, tamen de auctore caedis ambitiose quaerit, de quo aliunde, quam e factis, constare nequit. Porro lamentatur de iniuria filio suo facta, malaque creata fama in eo, quod eum homicidam sui demonstrauerim esse, qui tamen non modo iaculum non intorserit, sed ne cogitauerit quidem de intorquendo. Ego ipse quoque nego puerum iaculum expediisse, nego quemquam ab eo ictum esse. verumtamen eo, quod venienti telo se obiecit, aio illum a semet ipso, non a filio meo, esse peremtum. Nam si quietus constitisset, foret culpa necis in paedotribam transferenda, si is vocando puerum ad discurrendum inuitasset. verum puer, a semet ipso impulsus ad intercurrendum, occurrit telo. Quapropter ipse semet sustulisse dicendus est. Nolo ad alia meae disputationis capita transire, priusquam adhuc liquidius excussero, vtrinam casus hic, seu factum mauis, sit imputandum. Adolescens, filius meus, nihilo magis a meta aberrauit, quam reliqui aequales eius, qui vna cum ipso iaculis contenderunt. neque per errorem quendam suum eorum quicquam fecit, quorum incusatur. Puer autem non secutus est exemplum reliquorum spectatorum, qui vna cum ipso iaculantes spectabant, sed obuiam se telo dedit. vnde clarissime constat, per culpam ipsius factum esse, vt in malum incideret, quod reliqui spectaculi consortes euaserunt, eo, quod quieti in vestigiis quique suis constiterunt. Nam si nemo in teli coniectum veniisset, intortor iaculi nil peccasset, et

ipse

ipſe puer, ſtans cum reliquis ſpectatoribus, ictus non fuiſſet. Quod autem adoleſcens non magis, quam vllus alius reliquorum iaculationis ſociorum, caedis huius particeps ſit, ſic docebo. Si propterea, quod hic iaculum intorſit, puer ceciderit, deberent reliqui omnes exercitationis conſortes etiam huius criminis cooperatores haberi. Nam hi, non ideo, quod iaculari omiſerunt, puerum non ferierunt, ſed ideo, quod eorum nemini in coniectum teli venit. Pari modo adoleſcens, qui nihilo plus, quam reliquorum quisquam, deliquit, etiam hunc non fuiſſet ſauciaturus, ſi puer perrexiſſet, vt antea fecerat, vna cum reliquis ſpectatoribus in veſtigio ſuo perſtare. Verum hic error pueri non merus fuit error, ſed acceſſit eius quoque leuitas quaedam et negligentia cautionis. Nam adoleſcens quidem, neminem videns diſcurrentem, quomodo poterat cauere ne quem feriret? Puer autem, videns iſtos iaculantes, facillime cauere poterat, ne cui in coniectum teli veniret. Debebat ſolummodo, id quod penes ipſum erat, quietus in veſtigio perſtare. Legem quod attinet, quam citant, oportet vtique eam laudare. Recte enim facit iurique conuenienter, homicidas inuoluntarios inuoluntariis malis puniens. Adoleſcens autem non peccauit. Ergo iniuria ei fiat, ſi plectatur ipſe in vicem eius, qui vere peccauit. Nam ſatis ipſi eſt peccatorum ſuorum poenas ferre. Puer autem errore ſuo interemtus, ſimul peccauit, et a ſemet ipſo punitus eſt. Punitus autem homicida poena non caret. Habet enim poenam caedis. Non ergo ſcrupulum mentibus veſtris iniicietis me abſoluentes, ſed condemnantes. Nam qui ſua propria peccata luit, is nemini piaculum vltione expiandum relinquit. Purus autem a crimine ſi tollatur, multo is acerbiorem veluti ſecurim conſcientiae condemnantium impingit. Quod autem e diſputatione noſtra eluceſcit, puerum

peremtum homicidam, sui nempe, esse, non nos sumus in culpa tam inuidiosae appellationis, sed natura facti. Quod si ergo argumenta nostra puerum cogunt homicidam esse, recte nos a legibus absoluti abibimus hoc crimine, eum poenae subiicientibus, qui caedem patrauit. Neque nos ergo in calamitates immeritas et ad nos nil pertinentes praecipitate, neque succurrere horum infelicitati diuinitus immissae conantes, sciscite diuino numini aduersantia, sed, prout sanctum et iustum est, absoluite nos, recordati, casum hunc ex imprudentia eius exstitisse, qui telo venienti sese ipse obtulit. Nos enim profecto culpa caedis vacamus.

ORATIO DECIMA.

quae est tetralogiae tertiae prima, eademque accusatio caedis ab eo factae, qui se diceret vim oblatam defendisse.

Recte et lege lata, et ritu vetusto, cautum est, vt iudices homicidiorum causas disceptantes hoc maxime prouideant, sedulamque dent operam, vt et accusatores et testes aequo et vero, tam in accusando, quam in testando, studeant; quo neque fontes impuniti transmittantur, neque insontes per nefas in discrimina capitalia coniiciantur. Deus enim humanum genus esse atque perennare voluit; id quod eo testatus est, quod non solum genus hoc condidit, sed etiam principibus generis a se conditis et satis, terramque et mare attribuit, qui altores eorum essent, necessariaque vitae tuendae praesidia sufficerent; quo possent homines ad senile vsque fatum perdurare, neque prius a penuria victus necessarii tollerentur. Quod si ergo aliquis, tantis bonis ipse a deo ornatus, indignum iis se eo exhibet, quod alium quempiam, item dignum a deo habitum, qui bonis his ornaretur, cum vita,

vita, vſu illorum bonorum per nefas priuat, is non ſolummodo in deos eſt impius, ſed etiam iura humana conturbat. Peremtus enim, nil mirum, ſed vel maxime conſentaneum eſt, ſi peremtori, a quo bonis diuinitus datis priuatus fuerit, diuinam vindictam conſciſcit, per Iuriarum infeſta miniſteria ſaeuientem. Quam cientes, et iniqui iudices, et falſi teſtes, eo quod pari ſcelere ſe obligant, atque homicidae ipſi, piaculum alienum vltro ipſi ſuas in domos inducunt. Et nos, qui peremtorum vltores nos ferimus, ſi, non ob caedem vere commiſſam, ſed ob aliam quampiam ſimultatem, quae priuatim nobis cum accuſatis intercedat, inſontes in foro infectemur, non ſolum peremti Manes vltione nulla placamus, ſed etiam conſciſcenda inſontibus immerita nece in nos irritamus iracundiam deorum infernalium, caedes impias diriſſimis ſuppliciis exſequentium; tum poenis homicidii capita ipſi noſtra innectimus, homines innocentes exitio nefando peſſumdantes; denique vobis perſuadentes, vt inſontes iniqua ſententia percellatis, culpam veſtri erroris ipſi nobis contrahimus. Haec ego mecum omnia probe reputans atque cauens, hominem impium, huius caedis patratorem, ad vos adduco. Id quod recte atque ordine faciens, reprehenſione et piaculo vaco. Vos autem, eo modo, qui grauitati momentorum a me modo commemoratorum reſpondeat, cauſae huius cognitioni animum attendentes, afficite reum poena, magnitudini ſceleris ab eo commiſſi reſpondente. Quod cum facietis, tum piaculi maculam a tota ciuitate abſtergetis. Nam ſi inuitus peremiſſet, eſſet forſitan venia quadam dignus. Verum per ſuperbiae atque petulantiae intemperantiam, et aeſtum temulentiae, ſaeuiit in hominem ſenio confectum, quem tamdiu nodo brachiorum ſtrangulauit, atque pugnorum verberibus contudit, donec miſerum ſenem anima defereret. Ge-

mino itaque titulo dignus hic eſt poena. primum ea, quae in homicidas ſancita eſt; nam homicida ipſe quoque eſt: tum illas omnes meruit animaduerſiones, quibus hi caſtigantur, ſi qui reuerentiam ſenili aetati debitam violarint. nam is quoque iura ſenum temerauit. Recte itaque ius ciuile vobis hunc hominem tradidit puniendum. Audiſtis teſtes, qui intererant, cum hic ſtimulis temulentiae actus in peremtum modis contumelioſiſſimis ſaeuiret. Conſtat itaque necem hanc eſſe praemeditatam. Quod cum conſtet, vos decet, facinus iuri ciuili aduerſans auctori pari modo refundere, arrogantiamque per contumelias et inſolentias graſſantem coercere, vita illi inuicem eripienda, qui vitam alii data opera et deliberato cum propoſito eripuit.

ORATIO VNDECIMA.

ſeu tertiae tetralogiae ſecunda, quae eſt caedis aggreſſiori oblatae defenſio.

Breui oratione defunctos eſſe hos accuſatores mei, nil miror. Neque enim hoc ipſis nunc agitur, quo nil mali patiantur ipſi; ſed iſtud, vt ſatisfacientes ſimultati erga me ſuae, per nefas me peſſumdent. Quod autem teterrimis exaequare criminibus hunc caſum contendunt, quem paſſus ipſe ſibi fraude ſua multo magis contraxit, quam ego ipſi contraxi, hoc enimuero indignor; et recte id quidem. Ipſe enim, nulla mea prouocatus iniuria, verberum fecit initium, illudens inter pocula mihi, homini, multo, quam ipſe erat, temperantiori, et mente magis conſtanti. Quo non ſibi ſolummodo hanc conſciuit iniuriam, ſed mihi quoque moleſtias huius actionis creauit. Nego itaque eos, me incuſantes, recte facere; factum enim hoc et humanis et diuinis iuribus repugnat. Nihil enim aliud egi, quam vt vim oblatam mihi defenderem,

rem, et aggreſſorem repellerem. Quem ſi aut ſaxo, aut fuſte repuliſſem, ne ſic quidem iniuſte egiſſem. Aggreſſores enim par eſt, non pari modo, ſed abundantiore etiam numeroque et grauitate verberum commulcari. Ego vero eodem genere armorum, quo impetitus fueram, aggreſſorem vltus ſum. Ictus pugnorum ab eo mihi ingeſtos ipſi refudi. In hoc num iniuſte egi? Sed procedo. Seueritatem nempe legis mihi opponet, vetantis quemquam occidi, quocunque nomine, ſiue iure, ſiue iniuria; eoque me aiet homicidii poenis obſtrictum teneri. Virum enim periſſe. Ego vero iterum atque iterum nego eum a me peremtum eſſe. Nam ſi protinus ab illis plagis ei a me ingeſtis exſpiraſſet, ipſe quoque faterer, me illum exanimaſſe; quamquam, ſi feciſſem, vel ſic quoque recte feciſſem, et ille nil aliud, quam pro meritis luiſſet. Par enim eſt, id quod iterum aio, aggreſſores non ſolummodo paria, ſed etiam acerbiora et numero cumulatiora inuicem pati. Ille vero, manibus medici imperiti commiſſus, multis diebus poſt periit, non a plagis, a me ingeſtis, ſed mali medici culpa. Vos imo vero, accuſatores mei, mortem ipſi pertinacia et temeritate veſtra conſciuiſtis. Reliquis enim medicis denuntiantibus, iſta ſi aegroto adhiberetur medendi ratio, quam medicus eius ei adhiberet, futurum, vt homo, cuius valetudo alias per ſe ſanabilis eſſet, tamen periret, vos errore conſilii veſtri ſaluti eius obſtitiſtis. Vnde crimen mihi exſtitit impium. Verum non aequitas ſolummodo cauſae me abſoluit, ſed etiam diſerta legis oratio illius ipſius, cuius ex auctoritate accuſatores me reum agunt. Lex enim illa pronuntiat, eum oportere homicidam haberi, qui alterius vitae inſidiatus eſſet. Quod ſi ergo homicida ſum, quem hi me faciunt, neceſſe eſt, vt inſidiatus peremto fuerim. Atqui quo pacto ego dicar inſidiatus eſſe, niſi ſi concedant, etiam

illum mihi insidiatum esse. Nam quibus ille me modis aggrediebatur, iisdem ego illum inuicem excipiebam. mala mea ipsi rependebam. Quod si ergo illi ego insidiatus sum, ille necessario quoque mihi insidiatus fuit. [Quod si ergo ego illum occidi, occidit ille me quoque. Verum falsum hoc est. Ergo et prius.] Aduersarius autem si ideo me putat homicidam recte haberi, quod plagas a me inflictas mors insecuta sit, contra, velim, hoc ille secum reputet, me ad plagas non fuisse excessurum, si ille verberum non vltro fecisset initium. Quod si ergo plagae mortem illi contraxerunt, ipse sibi eas plagas, adeoque per eas mortem, manibus suis contraxit. Testantur itaque illae plagae, non in me, sed in ipsum conferendam esse mortis causam. Nam nisi vapulassem, non reuerberassem. Aggressor itaque cum me audacia suae aggressionis a culpa caedis ipse absoluat, nullo pacto licet me homicidam eius haberi. Mors insecuta siue infelicitati, siue temeritati cuidam. imputabitur, ad me nil pertinet. Nam si per infelicitatem quandam periit, non illa mea, sed ipsius est infelicitas. Ecquae mea culpa in eo est, quod tam infelix fuit, vt pugnis me prior inceſſeret. Sin autem temeritate periit, item illa sua periit. Cur desipiebat? Cur mens ei tam laeua erat, vt verberibus me lacessseret? Planum feci, accusatores iniuste agere, me incusantes. Iam docebo, eosdem illis ipsis omnibus obnoxios esse, quorum me insimulant. Contendentes enim per insidias suas vitam innocenti mihi eripere, qua adhuc diuino munere gaudeo, pietatem erga deum violant. Deinde necem mihi per summum nefas machinantes, iura humana conturbant, et ipsi fiunt homicidae mei. Impia denique cohortatione, qua vos ad decernendam mihi necem instigant, vestram quoque religionem iugulant. Quae ob nefaria consilia deus eos merita mercede

cede mactet! Vos autem decet, in id, quod vestri muneris est, irretortis oculis intuentes, me absoluere potius, quam condemnare velle. Tutius enim vobis illud est, atque consultius, quam hoc. Fac enim me, cum nocens sim, tamen a vobis absolui, et sic peremti Manes inultos et implacatos manere, vestra ea culpa non est, neque vobis poenae Manium erunt infestae, sed mihi, si vos oratione commenticia decepero, veritatemque rei gestae vobis per verborum praestigias eripuero. In eiusmodi loco non peccat, neque tenetur is, qui recte rem edoctus non fuerit, sed ille, qui recte docere noluerit. Contra vero a vobis iniuria damnatus ego relinquam vltrices mei sanguinis Poenas furiales, quae, hoc accusatore meo omisso, qui alias iis obnoxius foret, in vos infestae incurrent. Quare agite, horum memores, impietatem hanc his impiis hominibus, accusatoribus meis, relinquite, et conseruate potius ipsimet manus vestras a cruore puras, me absoluendo. quod cum facietis, conuenienter diuinoque et humano iuri facietis. Et sic uniuersae quoque ciuitatis sanctimonia salua erit.

ORATIO DVODECIMA.

quae est tertiae tetralogiae tertia, seu posterior caedis aggressori oblatae accusatio.

Hunc nil miror impiis factis similes orationes adiungere, et vobis ignosco, quod, studio totam rem penitus cognoscendi, eiusmodi sermones patienter auditis, quos explodi par erat. Hic enim, tametsi fatetur verbera homini illa ingessisse, vnde exspirauit, tamen negat se homicidam eius esse. Sed et reliquorum argumentorum stultitiam huic parem esse demonstrabo. Primum itaque asseuerauit hoc, etiamsi e plagis exspirasset vir, a se tamen ideo non esse sublatum.

Rixae enim principem a lege condemnari ideo, quod penes eum cauſſa euentorum eſſet. Sed peremtum rixam exorſum eſſe. Iam ſcire vos velim, iudices, probabilius eſſe, vt iuuenes rixam ordiantur, quam vt ſeniores. Iuuenes enim aut ſuperbia generis nobilitate fidens, aut vegetae corporis vires, aut temeritas a vino excalefacta, cuius pernicioſos effectus nondum vſu ſuo ſatis noſcitarunt, impellit ad indulgendum iracundiae ſaeuienti. Seniores autem ſapere et ſe continere admonet conſcientia luctuoſarum iniuriarum temulentiam comitantium, tum ſenii imbecillitas, denique vis et nerui iuuenum ipſis terribiles. Porro reum non iisdem armis, ſed prorſus contrariis, peremtum oppugnaſſe, res ipſa docet. Hic enim forti adhuc et vegeto lacertorum robore contundens ſenem necauit. Senex autem fortiorem debiliter et languide repellens, exſpirauit, ne relicto quidem vllo defenſionis veſtigio in corpore fortioris. Manibus ſi caedem peregit, non ferro, hoc magis homicida habendus eſt, quo manus ipſi magis erant inſtrumentum domeſticum et cognatum, ideoque ad rotandum et infligendum habilius. Audet porro affirmare, principem rixae, tametſi aduerſarium non peremerit, nihilominus homicidam eſſe, et magis etiam, quam eum, a cuius ictibus inferior concidit. Nam aggreſſorem, hunc eſſe βουλευτὴν θανάτου, *mortis* violentae *praemeditatorem*. Ego vero alia omnia cenſeo. Nam ſi manus ſuae noſtrum cuique famulantur hactenus, vt a mente eius imperata exſequantur, conſequitur hoc, vt qui plagam inflixerit haud letalem, is praemeditator mortis dici non debeat, ſed ſolummodo plagae; qui autem ad necem vsque ecciderit, is recte necis praemeditator appelletur. Nam quae ille ſuae deſtinationi conuenienter patrauit, ex his huic mortis venit neceſſitas. Infelicitas penes caedentem eſt, malum autem penes eum, cui id euenit.

Hic

Hic enim illius a factis interemtus, non sua culpa, sed caedentis, periit. Verberator autem, in caedendo vltra, quam voluerat, euectus. infelicitate sua sustulit hominem, quam tollere non decreuerat. Culpam mortis in medicum cum transfert, miror profecto, qui non eadem opera peremtum a nobis aiat, qui ipsi auctores fuimus, vt caput suum huius medici fidei committeret. nam si medico eum committere insuper habuissemus, dicturus esset hic reus, illum defectu medicationis perisse. At fac tamen per medici inscitiam ita eum perisse, vt profecto non periit, nihilo tamen ideo magis homicida eius foret medicus. nam lex eum hoc crimine absoluit. verbera autem ab hoc illi ingesta cum nos coegerint medicum arcessere, qui fiat, vt alius aliquis homicida sit, quam is, qui nos coegit opera medici vti? Quamquam itaque tam perspicue genere omni argumentorum coarguitur, nostrum peremisse, eo tamen audaciae atque impudentiae procedit, vt non satis habeat suam impietatem purgare, verum etiam nos, piaculum eius insectantes, aiat illegitima et impia agere. Sed hunc quidem, talium facinorum reum, tales voces, et adhuc etiam atrociores iactare decet. Nos autem, qui necem sine controuersia factam doceamus, et plagam letalem fuisse, et legem proferamus verberatori homicidium imputantem, subimus vicem defuncti, eiusque loco atque nomine vobis demandamus, vt huius homicidae sanguine iracundiam deorum inferorum poenalium placetis, totamque sic ciuitatem a piaculo repurgetis.

ORATIO DECIMA TERTIA.

ſeu tertiae tetralogiae quarta, quae eſt poſterior huius homicidii purgatio, qua reum, non ipſe ſeſe, ſed amici eius abſentem defendunt.

Vrbe reus exceſſit, non quo cauſae ſuae diffideret, fuoque ſemet ipſe praeiudicio condemnaret, ſed accuſatorum contentionem reformidans. Nobis autem, qui eius amici ſumus, ad pietatem tuendam ſatius eſt, ſuperſtiti adhuc, quam ſublato, ſuccurrere. Optime quidem ipſe ſuam dixit cauſam. verumtamen quia poſterioris defenſionis periculum nos ſubire tutius erat, quam ipſum, age partes eius agamus nos, quibus deſiderium eius ingentem luctum ſit allaturum. Videtur itaque mihi quidem iniuria penes principem verberum reſidere. Quem aduerſarius aiens, non peremtum, ſed amicum noſtrum eſſe, qui ſponte ſua procellae ceſſit, vtitur argumentis parum conſentaneis. Nam ſi, quemadmodum oculis a natura datum eſt, vt cernant, et auribus vt audiant, ita quoque pari modo iuuentuti cognata eſſet inſolentia, et ſenio pudor, nil egeremus veſtra diſceptatione, iudices. Ipſa enim aetas iuuenem condemnaret. Iam vero contra eſt, id quod vſus docet. Multi iuuenum ſunt pudentes, multi ſenum laſciui. Quapropter hic quidem locus communis eſt, non accuſatori magis, quam defenſori patens. At hoc argumentum nobis eſt ſine controuerſia proprium, eiusque firmitate praeſtamus aduerſariis. Teſtes aiunt peremtum verberandi feciſſe initium. Quod ſi eſt, quaecunque tandem alia amico noſtro vitio vertantur, hoc, quod certaminis non princeps, ſed defenſor fuit, eum omni culpa abſoluit. Nam ſi, ſecundum veſtrum arguendi modum, reuerberator ideo pro homicida habendus eſt, quod verberum ab eo inflictorum atrocitas vos coegit medico ſalutem

ſalutem ſauciati committere; altero tanto magis erit homicida habendus is, qui primis verberibus vltorem prouocauit ad reuerberandum, quam ille, cuius verbera conſecuta mors eſt prouocantis. Princeps enim pugnae, primum, par ſuum adegit ad reuerberandum, in vltionem plagarum oblatarum, deinde neceſſitatem ipſe ſibi impoſuit, medicum arceſſendi. Impiam vtique et infandam accepturus ſit reus iniuriam, ſi, cum non occidiſſet, tamen homicida audiat, is non audiat, qui vere fuerit ſui homicida, et cum non orſus eſſet rixam, tamen homicida habeatur, non habeatur is, qui reapſe orſus eſſet. Accuſator porro ſi vitae peremti inſidiatus non fuit, non magis reus fuit. Nam ſi, qui verberandi fecit initium, ſolummodo verberare, non autem occidere intendiſſet, verberatus autem non reuerberare, ſed occidere; tum vtique dici poſſet hic illius vitae inſidiatus eſſe. Iam vero defenſor oblatae iniuriae, ſolummodo reuerberare, non autem occidere cogitabat. Sin autem hoſtem vltra, quam vellet, et in locis corporis, quae ferire nollet, pepulit, non conſilio, ſed fatali quodam infortunio lapſus eſt. Verberis itaque dici is quidem βελευτὴς deſignator queat; at necis deſignator, quo quaeſo pacto appelletur is, qui inuitus reuerberauit? Inceptori magis eſt domeſticus error, hoc eſt, ei propius aſſidet, quam vltori. Nam hic verbera in ſe intorta retorquens, quicquid peccauit, ab altero coactus peccauit. Iſte vero intemperantiae petulantiaeque ſnae debet, quicquid aut dedit malorum, aut accepit; et ſic altero tanto dignior eſt, qui homicida appelletur, ex errore geminato, cum ſuo proprio, tum alieno. Reum autem non modo non acrius, neque valentius, ſed etiam remiſſius atque mollius vltum eſſe accepta verbera, iam docebo. Alter enim, catulliens et laſciuiens, vim inferebat, non repellebat. Alter autem contendens iniuriam,

non

non pati, ſed repellere, quicquid tandem intulit verberum hoc ſtudio ſuo mala oblata deuitandi, quantumcunque eſt, ſemper tamen eſt infra modum vltionis eum, qui magnitudini oblatae iniuriae reſponderet. Dici ergo nequit dediſſe malum, ſed ſolummodo defendiſſe. Quod ſi autem regeſtorum verberum duritiem exceſſit ingeſtorum vehementiam, vt a lacertis fortioribus profecta, neque mirum id eſt, neque meretur ideo reus a vobis condemnari. Nam inceptoribus rixarum leges vbique locorum fixae grauiſſimas et acerbiſſimas poenas denunciant; repellenti autem vim, nuſquam locorum poenae quicquam praeſcriptum eſt. Ad illam cauſationem a lege repetitam, vetante quemquam quocunque titulo, ſiue iure, ſine iniuria, occidi, ſatis iam reſponſum eſt. Non enim verbera hominem, ſed imperitia medici iugulauit, de quo teſtes confirmarunt. Inceptoris quoque Fortuna, non defenſoris, incuſanda eſt. Nam hic, qui et accepit, et reddidit omnia verbera inuitus, aliena fortuna, non ſua, eſt vſus. alter autem, ſponte ſua euectus ad omnia, quaecunque egit, factis ſibi ſuis ſuam arceſſiuit fortunam, eoque non aliena fortuna, ſed ſua, lapſus eſt. Iam planum factum eſt, reum homicidii prorſus obnoxium non eſſe. Quod ſi tamen, vt communem ambobus actionem, [verberationem] ita infortunium quoque commune exiſtimans quis eſſe, colligat e diſputatis, neutrum altero, ſiue abſolutione, ſiue condemnatione, digniorem eſſe, vos tamen vel ſic quoque magis deceat reum abſoluere, quam condemnare. Nam ſi aequum eſt, accuſatorem ideo condemnare, qui perſpicue non docuerit iniuriam a reo ſibi factam eſſe, ita impium fuerit reum condemnare, qui non perſpicue fuerit incuſatorum coargutus. Modis itaque omnibus hunc virum ab hoc crimine abſoluentibus, nos vobis demandamus, multo nos quidem fanctius

ctius atque religiosius, quam aduersarii vobis modo mandabant, amici nostri ex persona, vt, studentes homicidam punire, insontem tollere ne properetis. Nam si reus hic, hoc praetextu, quod senem sustulisse dicatur, in vltionem eius per nefas occidatur, Manes eius illis, a quibus morti datus fuerit, haud minus infesti erunt, atque Manes senis ante interemti. Et sic geminum foret piaculum, iniuste sublatus, peremtoribus suis contracturus. Haec vos reformidantes, existimate vestrum esse, vt insontem crimine absoluatis; impurum vero tempori permittentes aliquando patefaciendum, relinquite proximis peremti necessariis ad vltionem. Sic enim agentes, modis agatis iuri et humano et diuino conuenientissimis.

ORATIO DECIMA QVARTA.

de nece Herodis agens.

Vellem, viri, facundiamque rerumque vsum mihi esse, magnitudini malorum meorum parem. Iam vero experientia, sed ea misera et infructuosa, non carens, plus enim malorum expertus sum, quam oportebat, facundia careo plus, quam nunc expediebat. Nam in carcere vsus rerum nil mihi profuit, vbi corpore meo tolerandae mihi fuerunt molestiae, ob crimen, cuius nihil ad me pertinet. vbi autem salus mea versatur in enarratione rei gestae cum veritate consentanea, ibi me laedit infacundia. Quod fieri solet. Multi iam, causis iustissimis fidentes, eo, quod vera, quae dicenda pro se haberent, non possent diserte proloqui, fidem non inuenientes, non obstante causae summa aequitate, tamen perierunt, quod eam verbis declarare nescirent. Multi contra facundia pollentes, quamuis mendaciorum praestigiis iudices luderent, tamen eo ipso, quod mentirentur,

tur, ſed ſpecioſe et callide, ſalui diſceſſerunt. Neceſſe igitur eſt homini indiſerto, et ab vſu eloquentiae forenſis deſtituto, vt fortuna eius cauſaeque exitus magis in arbitrio accuſatorum criminationibus vrgentium, quam penes rerum geſtarum veritatem ſit. Quare vos rogo, iudices, non id quidem, quod plerique reorum rogare vos ſolent, vt audire ſe velitis; rogantes hi quidem ideo, quod cauſae ſuae diffidunt, et iniquitatis praeiudicio ipſi ſeſe feriunt; (nam profecto conſentaneum erat reos, coram viris honeſtis et bonis dicentes, etiam ſine audientiae deprecatione id idem conſequi, quod accuſatores vltro ab iisdem iudicibus adipiſcuntur, tametſi nunquam eorum audiendi beneuolentiam precibus ambiunt:) ſed hoc vos rogabo, vt, ſi quid linguae labor errore, mihi ignoſcatis, exiſtimantes, me, quod vſu dicendi caream, potius, quam quod ſceleratus ſim, peccaſſe; et rurſus, ſi quid recte dixero, velim vos id rei geſtae veritati potius, quam ſubtilitati neſcio cui meae, imputare. Nam vt iuſtum et aequum non eſt, eum ob verba ſaluum diſcedere, qui facinoribus mortem ſit meritus, ita rurſus aequum non eſt ob verba eum condemnari, cuius facta proba et honeſta ſint. Verbum enim inconſentaneum linguae error eſt, facinus autem improbum eſt error mentis. Praeterea neceſſe eſt hominem capitis ſui cauſam agentem interdum labi. Oportet enim eius menti obuerſari non ſolum dicenda, ſed etiam euentus orationem ſuam conſecuturos. de quibus nemini conſtare poteſt, neque ſunt in arbitrio dicentis cuiusque ſuo. Nam obſcura et ancipitia fortuna magis rotantur, quam conſilio gubernantur. Magnam haec ſollicitudinem atque perturbationem iniicere menti cuiusque pro ſe dicentis conſentaneum eſt. Eos ipſos, qui alias vſu forenſis eloquentiae quam maxime callent, cum in diſcrimine quodam

dam suo proprio versantur, multo ieiunius atque indisertius pro se disputare, quam alias aliorum in causis soleant, et quam ab eorum nota facultate exspectetur. Sin autem aliqua versentur in causa, vbi priuatum suum discrimen nullum interueniat, tum rem multo gerunt felicius. Postulatio itaque mea haec est, legibus et sanctimoniae consentiens, et non meam magis, quam vestram, personam decens. Capita vero accusationis sigillatim persecuturus, primum hoc vos docebo, summa cum legum violatione, summaque cum violentia et immanitate, me in hoc certamen fuisse coniectum. Quod eo non dico, quo me vestri poeniteat, vestrique iudicii auctoritatem ego aut defugiam, aut exhorrescam; nam ita vestra fido aequitate, certusque sum vos iniquam mihi et iniustam esse sententiam hac in causa non esse laturos, sed aequa et sancta omnia pronunciaturos, vt, si nullius alius rei habenda sit ratio, quam huius meae de vestra aequitate fiduciae, per eam certe ego promte libenterque vobis sim causam capitis mei disceptandam permissurus, etiamsi, non vt nunc fit, ex formula iuris, et iurati, sed extra ordinem, et iniurati, dicturi sitis sententiam. Sed ideo locum hunc primum tractabo, quo intelligatis, qua immanitate, et quo legum contemtu hi me in carcerem duxerunt, et huic causae innexuerunt, eam probabile facere, caetera quoque ab iis in me ausa per summum nefas esse. Aio itaque eos in me eo modo agere, qui cum more ciuili in iure agendi pugnet. Actionem ἐνδείξεως in me, velut in maleficum, institutam non persequuntur, sed alio me nunc titulo, homicidii commissi puta, infectantur. Quo ipsi auctores atque testes facti sunt me maleficum non esse, neque lege in maleficos lata teneri; quae lex cum solos notet fures et manticularios, cum hoc genere hominum autem mihi commune quicquam esse hi accusatores

neque

neque docuerint, neque potuerint docere, effecerunt, vt vobis liceat ſententia aequiſſima et iuri ciuili conuenientiſſima a crimine me abſoluere, cuius criminis obtentu, hi me curarunt in carcerem abducendum. Verumtamen cauillatione quadam ſophiſtica legem ſecius interpretatum, ſuamque violentiam coloratum eunt; aientes, legem eam, cuius ex auctoritate ego pro malefico fuiſſem in carcerem a ſe raptus, decernere de maleficis. Iam homicidium magnum eſſe maleficium. me autem occidiſſe. ergo maleficum quoque me eſſe; ergo etiam lege illa teneri. Fateor enimuero homicidium, non modo magnum eſſe, ſed vel maximum, maleficium. Verum ſacrilegium quoque, et proditio patriae, non minus hanc appellationem merentur. Et nihilominus tamen legislator haud exiſtimauit ea ad hunc maleficiorum titulum referenda eſſe, ſed peculiariter de illorum ſcelerum vnoquoque praecepit. Deinde, caedis me accuſantes, non eo modo in me agunt, quo in homicidas agi vult ius ciuile. Qui alios caedis accuſatione infectantur, hi debent iis denuntiare, vt locis illis omnibus ſe abſtineant, quibus interdictum eſt homicidis ritu vetuſto. Igitur etiam foro. Verum hi in foro me infectantur. Poſt, vltores ſanguinis nunquam ab homicida mercedem pecuniariam, ſed talionem depoſcunt. Hi vero litem mihi aere aeſtimarunt, tametſi lex edicat, vt homicida ſanguine ſuo luat. Atque id non eo fecerunt, quo id ex mea re eſſet, verum, quod e ſua. Quo prodiderunt, ſi cupiditati ſuae ſatisfieret, contentos ſe fore, vt homicidium minore etiam poena luatur, quam lex praeſcribit. Ergo minoris fecerunt iura peremto debita, quam cupiditatem ſuam. Lucellum ſuum eius placationi Manium praetulerunt. Quare autem id fecerint, oratione procedente id intelligetis. Tum, non modo in loco iudicii, ſed etiam in modo deliquerunt. No-

ſtis

ſtis vos omnes iudicum conuentus, quibus cauſae homicidiorum diſceptandae committantur, haberi ſolere ſub dio, nulla alia de cauſa, quam, quo neque iudices eodem loco cum iis conueniant, quibus humano cruore pollutae ſint manus, neque accuſator cum homicida eodem tecto contineatur. Tu vero, mi aduerſari, me de homicidio accuſans, ſub eodem mecum tecto verſaris, in eoque morem vulgarem migras; ſed etiam religionem iurisiurandi intermiſiſti. Oportebat te iusiurandum dicere grauiſſimum atque ſacerrimum, quo obſtringeres te non alia dicturum in actione tua, quam ad ipſum homicidium pertinentia, vnde planum teſtatumque fieret, me homicidam eſſe; ſin autem ſecus feceris, ipſe tute tibimet tuisque liberis poſterisque, vniuerſaeque genti tuae perniciem extremam horrendis diris imprecareris. Quo futurum erat facto, vt siue multa alia ſcelera patraſſem, ob nullum tamen eorum omnium condemnarer, quam ob ſolum homicidium; et rurſus, etiamſi innumeris aliis laudibus eſſem commendabilis, ob earum tamen nullam abſoluerer, ſed homicidii poenas darem. Verum tu hanc quoque cautionem inſuper habuiſti. Ipſe tute tibi ius arbitrarium commentus es, quo vtaris. Iure illo iurando non dicto, tamen me homicidii accuſas. Accuſant pariter teſtes tui, nulla magis, quam tu, iuramenti religione obſtricti, quamquam eos oportebat dicta eadem iurisiurandi formula, tenentes in manibus exta, ſic aduerſus me teſtari. Et nihilominus tamen flagitas, vt iudices, teſtibus fidem temere habentes non iuratis, me homicidii condemnent; tametſi tute ipſe tuis teſtibus omnem fidem eo derogaris, quod a legibus in hac republica vſitatis diſceſſiſti, atque auctor ipſis factus es, tuum iuris ciuilis contemtum ab eoque defectionem debere auctoritate legum omnium potiorem eſſe. At tu tamen, quo facinus tuum iuri

ciuili repugnans excuſes, iniuriamque carceris mihi praeter ius et fas iniunctam colores, hac te iactas cauillatione, ſi penes me relictum eſſet libere, qua vellem, ire, me certo certius vrbe fuiſſe exceſſurum. Quaſi, non ſponte mea, huc veniſſem, ſed a te obtorto collo huc pertractus. Atqui cara mihi eſt hic loci commoratio. Mea ſi nihil referret communione huius ciuitatis gaudere, probabile erat, me ne arceſſitum quidem fuiſſe venturum, ſed commiſſurum abſentia mea, vt contumaciae reus declararer. Nil igitur opus erat ante litis conteſtationem me in carcerem duci. Sed et praeterea nefas erat mihi, iam accuſato, beneficium fugae eripere, quod ius et fas et ritus vetuſtus cuique homicidii reo dat. Nam poſt dictam priorem meam defenſionem liceret mihi, niſi vinctus eſſem, vt nunc ſum, vrbe excedere. Priuilegium hoc nulli non homicidae patet, et nusquam non locorum vſurpatur. tu vero, mi homo, iure me ſolum eo, quod graecis omnino omnibus commune eſt, priuatum is, ſponte tua, auctoritate vltro per arrogantiam contra fas ſumta, et iure, quod tute tibi priuatim commentus es; tametſi leges de homicidiis in hac republica obtinentes tam ſapienter atque tam religioſe ſunt conſtitutae, vt negem quemquam eſſe veſtrum omnium, qui eas eſſe dubitet legum omnium cum aequitate atque ſanctitate conuenientiſſimas. Leges enim hae cum ſint antiquiſſimae, ſunt eaedem adhuc hodie, quae fuerunt primitus, tametſi aliis in rebus diuturnitas temporis et vſus rerum longinquior homines praua dedocere, et rectiora docere ſolet. Quare non ex aduerſarii diſputatione diſcendum vobis eſt, quid de legibus exiſtimare par ſit, rectene an ſecus habeant, ſed potius inuerſe, e legibus debetis cognoſcere, vtrum aequae ſint accuſatoris poſtulationes, necne. Quamquam ergo leges de homicidiis latae

tam

tam sunt perfectae et tam perspicuae aequitatis, vt nemo vnquam sit ausus eas temerare, tu tamen solus ausus es legislatorem te gerere, et princeps fieri institutorum pessimorum, vetustisque legibus inuitis me de medio tollere laboras. Atqui illa ipsa tua contentio iura temerandi, et vetustum ius libidine et insolentia tuorum nouorum praeceptorum peruertendi, voce clarissima aduersus te testatur, te causae tuae diffidere. Probe nempe noras, neminem, qui se iureiurando adigi passus fuisset, operam tibi fuisse testimonii praestiturum, quo ego opprimerer. Deinde non, vt fidens causa tua, certamen hoc de negotio solummodo vnum instituisti, quo finito tota lis irrefragabiliter esset in perpetuum decisa, sed controuersiae atque subterfugiis locum reliquisti vacuum, quo iam nunc prodis, te, cum res ad posteriorem actionem deuenerit, eorum quoque, qui tum sedebunt, iudicum auctoritatem esse detrectaturum, eique exceptionum et cauillationum nescio quid oppositurum. quo fit, vt siue damner a vobis, siue absoluar, perinde sim iniquo loco futurus. Nam si nunc absoluar, dicet, me crimine maleficii quidem, at non item homicidii esse absolutum. Sin autem condemnatus fuero, postulabit, vt occidar, velut homicidii reus peractus. Atqui quae possint aliae machinae malignitatis tetriores et horribiliores esse, quam si nos quidem, semel absolutos, stadio discriminis veluti decurso, rursus idem discrimen remetiendum maneat, huius autem liceat petulantiae modis vexationis et contumeliae omnibus in nos debacchari. Praeterea in eo quoque, iudices, grauissima mihi facta est iniuria, et ab aequitate iuris ciuilis abhorrentissima, quod custodiae mandatus sum, tametsi tres sistere vades paratus essem; id quod facere per leges cuique licet. Hi vero suis malitiosis artibus effecerunt, vt

illa ſponſio mea repudiaretur. Atqui peregrinus nullus vnquam hac in vrbe cuſtodiae mandatus eſt, qui tres vades praeſtitiſſet. Ipſi adeo maleficorum inſpectores hoc more vtuntur. Mihi vero is ſoli nil profuit. in me deſiit validus et ſalutaris eſſe. Eccur tandem? His nempe expediebat, primum quidem, me occupari quam imparatiſſimum, antequam negotia mea conficere potuiſſem. deinde corpus mihi a carceris moleſtiis contabeſcere, tum amicos meos a meis partibus abalienatos, et in partes ipſorum traductos, promtiores reddi ad falſa contra me teſtandum, quam ad vera pro me, videntes corpus morbis, moerore et ſqualore carceris enectum citum mihi finem minari, neque ſibi ſic verendum eſſe, ne libertati et proſperae valetudini redditus ipſorum mendacia detegam et vlciſcar. Denique ſperabant inimici mei futurum, vt mihique ipſi meisque neceſſariis dedecus adſpergerent per omnem noſtram reliquam vitam nobis inhaeſurum. Factum eſt hoc modo, vt ego, quem legum veſtrarum bene mnltae abſoluiſſent et periculo eripuiſſent, ſi ſecundum legum praeſcriptum in hac cauſa proceſſum eſſet, tamen in hoc diſcrimen coniicerer. Verumtamen vel ex his quoque ipſis ſalebris me euoluere conabor, meamque innocentiam declaratam dare. quamquam difficile eſt, mendacia e longinquo conſuta callidisque diuturnae meditationis commentis comparata ſubito euertere. Nam quae tu minus exſpectaueris, ea praecauere negatum eſt. Dabo tamen operam, vt fideli et ſimplici rei geſtae enarratione vos in rem veluti praeſentem ducam, nudumque latus mendacii aperiam. Euehebar Mitylena, iudices, eodem in nauigio, quo Herodes quoque vehebatur, idem ille, quem hi aiunt a me interemtum eſſe. Tendebamus ad Aenum, ego quidem ad patrem, tum ibi agentem, Herodes autem Thracibus quibusdam mancipia

cipia venditurus. Thraces illi ipſi quoque mancipia iſta emturi, vna cum ipſis mancipiis venalibus, eodem nauigio vehebantur. Producam teſtes haec confirmaturos. *Teſtes.* Erat ergo haec, quam audiſtis, noſtrum cuique nauigationis cauſa. Iter per mare agentes procella nos opprimens cogebat ad locum quendam agri Methymnaei appellere, vbi nauis illa ad ancoram ſtabat, in quam transgreſſum Herodem aiunt exſpiraſſe. Hic vos reputare velim, atque meminiſſe, non de conſilio iſtaec, ſed caſu fortuito eueniſſe. Nusquam enim coarguor me auctorem Herodi factum eſſe, vt conſors nauigationis mihi fieret, ſed conſtat ipſum ſponte ſua, priuatorum ſuorum negotiorum gratia, eam ingreſſum eſſe. Paret itaque neque me ſine idonea cauſa iter hoc ad Aenum ſuſcepiſſe, neque fraudulenta quadam machinatione ſic comparaſſe, vt ad illum locum agri Methymnaei appelleremus nauem, ſed a neceſſitate tempeſtatis aduerſae nos illuc adactos eſſe. neque, in portum inuecti, transſcendebamus in aliud nauigium callida quadam mea cum aliis ſubornatis comparatione, neque vllo dolo malo, ſed hoc quoque neceſſario fiebat. Nauigium enim illud, quo huc peruecti fueramus, tecto carebat, iſtud alterum autem, in quod transſcendebamus, tectum erat deſuper. Tectum autem vt aperto praeferremus, imber imperabat. Etiam huius rei teſtes ad vos producam. *Teſtes.* Transſcenſu ſic in alterum nauigium facto, potabamus. ſic potus Herodes naui, quae res certa eſt, exiit, ſed non rediit. Ego vero illa nocte prorſus non exii e naui. Altero die, homo nusquam copiam ſui ſpectandi faciens, quaeri coepit, non a reliquis vectoribus magis, quam a me. Alii ſi cuipiam eorum graue viſum fuit, Herodem deſiderari, graue id non minus mihi quoque viſum fuit, et mittendi hac de re ad Mitylenam nuncii ego auctor

eram, et de consilio meo mittebatur, et cum alius nemo illuc ambulare vellet, (nam et illi vectores, ad quos accesseramus in nouam nauim transscendentes, et vetusti nostri sodales, qui Herodem a Mitylena inde illuc comitati fuerant, hoc officium detrectabant;) ego meum famulum nuncio perferendo offerebam. Atqui, Herodem si ego peremissem, non profecto data opera illuc indicem misissem eum, qui me proderet, certus, et praeuidens, fore vt ille facinus meum amicis Herodis indicaret. Verum neque apud Mitylenam, neque vsquam locorum alias, in conspectum prodibat Herodes, licet sedulo requisitus. Interim coelum serenius renidens nauigationem rursus aperiebat, et reliqua quoque nauigia omnia ex eodem portu in altum euehebantur. Quapropter ego quoque coeptum cursum prosequebar. Etiam hac de re testes vos certiores reddent. *Testes.* Haec sunt facta, e quibus vos velim cogitando ea, quae par est, elicere. Primum, antequam vela ventis daremus Aenum versus, Herode e conspectu sublato, nemo mortalium me huius rei incusabat, quamquam hi [aduersarii mei] iam tum de hoc euento certiores essent facti. Nam si quisquam id mihi imputasset, ego e portu non excessissem. Verum, tum statim quidem veritas potior erat mendacio, et res gesta opprimebat ipsorum commenticiam mei incusationem; me praesertim adhuc praesente et in locis illis versante, vbi scelus commissum iactatur esse. Vt autem ego insula excesseram, cum hi per otium inter sese fraudum suarum commenta ad pestem meam comparassent, tum demum coeperunt me criminari; aientes, me saxum in caput Herodis impegisse, atque sic exanimasse, atque id in terra continente factum esse; cum probe nossent, me pedem e nauigio in terram continentem non extulisse. Haec aientes, tamen modum indicare non habent, quo ego corpus, a me, si illis

si illis creditur, exanimatum, oculis hominum subduxissem. Nam id quidem dubio vtique vacat, caedem, si facta est, prope portum factam esse. Exscenderat nempe e naui non modo temulentus, sed etiam noctu. Non potuisset itaque ipse sese rectum in pedibus tenere stantem, vtpote quem crapula praegrauaret, nedum vt longam viam ambularet; et si vel potuisset etiam mentemque pedesque regere, tamen ecquo praetextu probabili quisquam eum potuisset ad iter longinquum illicere? Nihilominus tamen, non solum prope portum, sed etiam procul ab eo, circa quaesitus est vir, toto biduo, neque inuentus. Non modo inuentus nemo est, qui se diceret eum oculis vidisse, sed ne sanguinis quidem effusi vestigium vllum, aliudue quodpiam indicium caedis vsquam apparuit. Et nihilominus tamen hic aduersarius meus postulat me mendacio eius concedere, qui testes produxerim confirmantes, illa tote nocte me naue non exscendisse. Nullus profecto modus excogitari potest, quo ita abscondi potuisset cadauer, vt omnes fugeret, nisi si homo perquam procul a litore maris in terram continentem processerit. [Atqui facere hoc temulentus, et noctu non potuit.] Ergo contumulatus humo non fuit. At undis tamen mersus? Hoc illi quidem vtique dictitant. At cuiusnam nauigii ministerio. [exanimatum in litore cadauer peruectum in altum et sic ponto deiectum fuit?] Necesse profecto est illud nauigium vnum fuisse tum in portu stantium. Qui ergo factum est, vt nauigium hoc non inueniretur? [licet sedulo ab inimicis meis quaesitum.] Praeterea, qua in naue homo iugulatus, et e qua in vndas praecipatatum cadauer eius esset, in ea consentaneum erat notas quasdam tantae violentiae cernendas prostare. Atqui, qua in naue potauit Herodes, et e qua exscendit, in ea eum perisse negantes hi, tamen iidem eadem in naue se aiunt factae caedis indicia reperisse,

qua autem naue perductum cadauer in altum fuit, et illinc vndis mersum, eam nauem neque inuenerunt ipsam, neque indicium vllum ad eam deferens. Etiam harum rerum testes vobis exhibebo. *Testes.* Vt autem Lesbo versus Aenum solueram, et illa nauis, in qua ego vna cum Herode Mitylena euectus fueram, illuc redierat, primum inscedebant in eam nauem, atque perueſtigabant, et inuenientes cruoris reliquias, statim aiebant, Herodem ibi iugulatum esse. Verum hoc commento ipsis haud procedente, constabat enim ouillum illum cruorem esse, omissa praedicatione tam absurda, comprehendebant homines, eorumque alterum tum statim tormentis subiiciebant. Tortus ille nihil mali de me edebat. Quem autem multis diebus post absumserunt, postquam toto illo interiecto tempore eum penes se habuissent, hic horum cohortatione permotus tandem sub tormentis me homicidam edidit, in quo mentitus fuit. Praestabo huius quoque rei testes. *Testes.* Confirmarunt hi testes vobis, testem hunc tanto tempore post, [re vetustate iam obliterata] tormentis subiectum esse. Verum modo quoque torturae animum attendite. Seruum falsa testatum esse nil mirum est, quem facile potuit seu spes promissae libertatis, seu quod sciret arbitrium tormentorum penes hos esse, qui, prout ea ederet aut premeret, quae hi edita vellent, ipsum aut saeuius diutiusque, aut lenius atque breuius essent cruciaturi, seu denique ambo ista vna, spesque metusque, aut, si mauis, spes gemina, altera libertatis adipiscendae, altera cruciatuum compendifaciendorum, illicere ad mentiendum. Vos omnes mihi videmini nosse, penes quos arbitrium et dispensatio tormentorum pro parte potissima sit, iis fauentes torquendos grata auditu omnia praedicare. Ab his enim emolumentum istis speratur; praesertim si torturae non interfint hi, quos serui falso suo testi-

monio

monio laedant. Nam ſi ego praeſens illum ſeruum torqueri iuſſiſſem, vt falſa edentem, forte eum terror mei vultus et metus cruciatuum ab imperio meo tolerandorum abſterruiſſet, quominus mendaci praedicatione me grauaret. Iam vero hi ipſi erant tortores, iidemque torquendo imperabant ea dicere, quae ipſorum e re eſſet dici. Donec itaque ſeruum blanda ſpes lactaret, fore vt mendacis aduerſus me denuntiationis fraus ſibi prodeſſet, perſeuerabat in iſta praedicatione. Intelligens autem certam ſibi necem parari, tum demum coepit veritatem vſurpare, faſſusque eſt, ſe ab his impulſum mendaci indicio me infamaſſe. Ita neque conatus mentiendi, neque candor veracitatis homini profuit; ſed tormentorum acerbitate enecarunt ipſi ſuum indicem, quo fidentes me inſectantur, qua in re contra faciunt, atque alii omnes homines. Nam alii quidem indicem ſibi ſecundum, ſi conditionis ingenuae eſt, largitionibus cumulant; ſin autem ſeruus eſt, manu emittunt. Hi vero indicem ſuum praemio necis ornarunt, nequicquam obteſtantibus et interdicentibus amicis meis ne facerent priusquam ego aduenirem. Quo conſtat eos corpore indicis nil indiguiſſe, ſed ſolummodo indicio. Metuebant nempe, ne, ſi veniens ego eundem ſeruum rurſus tormentis ſubiicerem, ipſorum inſidias in caput meum comparatas proderet: ſublato autem illo de medio, vna cum ipſo corpore perierat quoque veritatis exploratio; mendacemque indicinam tantum ſperabant valituram, vt pro vera habita me perderet. Horum tu mihi teſtes cita. *Teſtes.* Oportebat nimirum, ni multum fallor, eos huc adducere indicem ipſum, non ſolummodo indicinam eius referre, et ore hominis ipſius me coarguere, ipſoque eo argumento me oppugnare, quod indicem eorum exhibeant, eiusque torquendi veniam mihi faciant; nequaquam autem occidere. Nam

hoc facto fidem ipsi sibi derogabant, armis ipsi se spoliabant. Vtra enim tandem serui praedicatione suam in rem vtentur? Num priore, an posteriore? et vtra earum vera est, num ea, qua me facinus patrasse affirmauit, an, qua negauit? Vtique, si ex probabili quaestio haec expedienda est, prior praedicatio falsa fuit, posterior vera. Semper solent deprehendi posteriores asseuerationes prioribus veriores esse. Mentiebatur itaque seruus initio, emolumenti sui ergo; postmodum vero cernens, tametsi mentiri conatus fuisset, tamen nihilominus sibi pereundum esse, sperare incipiebat de salute per veritatis declarationem adipiscenda. In quo eum opinio fefellit. Dicto enim vero, poenas veracitatis extremo dedit supplicio, nullo reperto vindice, qui testimonii veritatem euinceret, testemque tueretur et a periculo liberaret. Ego enim non aderam, pro quo veritas posterioris praedicationis militabat. priorem autem debilitatum et obliteratum ierant hi. Quo factum est, vt e praedicationibus serui res haec nunquam ad liquidum perduci possit. Reliqui quidem omnes, si qui testimonio cuiusdam infamati fuerint, testem sibi aduersum suffurantur, et tum ex hominum conspectu submouent. Hi autem, qui quaestionem de caede Herodis instituerunt tam acerbam, vt in custodiam ideo me ducendum curarent, tamen indicem sibi secundum, mihi aduersum, ipsi de medio sustulerunt. Hem incredibilis et inexputabilis inconstantiae! Ego si de medio hominem submouissem, aut nollem ad tormenta tradere, aut aliam quampiam explorandi veri rationem defugerem, hac mea cunctatione, aut fraude, illi proculdubio sint ad causam suam confirmandam, et ad meam euertendam, vsuri, ceu adminiculo inprimis valido atque potente. Et profecto non possent me vllo alio vrgere grauiore argumento. Iam vero cum ipsi vias has veri eruen-

eruendi inire noluerint, quamuis amici mei eos hortarentur ad vestigia haec persequendum, par est me illam eorum recusationem pro me interpretari, et illinc arguere, quam illi pro vera venditant, eam falsam et ementitam esse accusationem. Verum etiam hoc illi iactant, hominem inter tormenta fassum esse, se mihi socium operae adfuisse, Herodem occidenti. Ego vero cum eum id dixisse nego, tum ita aio praedicasse, meque Herodemque a se e naue eductos esse, post, Herodem a me peremtum, a se in nauem impositum, ex eaque tandem in mare deiectum esse. Verum recogitate quaeso primum hoc, hominem hunc, et toto illo tempore, antequam in rotam inscendit, et postquam de rota rursus descendit, vsque ad extremum vitae momentum, veritate praedicationis vsum, a crimine me absoluisse; porro, mentitum quidem esse in rota iacentem, verum necessitati seruientem, atque volentem quam primum a cruciatu liberari. denique, vt remota rursus tormenta fuerunt, eum rursus negasse me scelus patrasse, et contra potius, ad extremum, iurato affirmasse, meque, seque ipsum pariter, iniusta criminatione perditum iri. quae ille dixit, non gratia mei, (ecqui enim mei, quem mendacio laesisset?) sed a veritate ista eius ori extorta est confessio, qua prioris suae praedicationis veritatem confirmauit. Deinde alter homo, iisdem tormentis admotus, quibus iste fuit, quamuis eodem nobiscum nauigio vectus, rei gestae a principio ad finem interfuisset, tamen alterius hominis primaeque atque postremae praedicationi, ceu verae, dixit consentanea, non varians, neque vacillans oratione, sed me constanter absoluens, ab illa autem alterius media praedicatione, in rota edita, a necessitate, non a veritate, expressa, dissentanea. Nam alter quidem praedicauit, me e naui egressum interemisse Herodem, et tum se in tollendo cadauere mihi esse

esse opitulatum. Alter vero prorsus me negauit e naue egressum esse, in quo, non solum vera, sed etiam verosimilia dixit. Non enim profecto tam irato numine natus, neque tam furiosus sum, vt sedulo quidem cauissem, vt necem solus ego, sine conscio et adiutore quoquam, patrarem, tametsi mihi summe periculosam, vt cui soli cum solo repugnaturo pugnandum esset; hoc autem facinoris penso elaborato, quod pensum erat omnium effectu laboriosissimum et periculosissimum, tum ego ad reliqua exsequenda, vbi adiutoribus nil indigebam, testes et conscios et consiliarios adsciuissem. Porro Herodes, vt hi aiunt, aduersarii mei, cum prope mare, haud procul nauibus, numero compluribus, in quibus homines erant, qui succurrere periclitanti potuissent, tamen, cum ab vno homine necaretur, neque vociferatus est, neque vllo alio quopiam indicio prodidit vitam suam in discrimen adductam esse, aut se vim inferenti repugnasse. Sensum sui prorsus nullum dedit, neque in continente versantibus, neque in nauibus. Porro vt erretur noctu, multo et fit crebrius, et est factu facilius, quam de die: vt in litore, quam in vrbe. Adde, quod e naui exscendisse aiunt Herodem hominibus adhuc vigilantibus; et nihilominus tamen hominis, qui in terra continente iugularetur, eoque facto in nauem inferretur, neque in terra, neque in nauigio cruor sparsus, aliudue indicium repugnantis, aut exspirantis, deprehensum fuit. Videturne vobis homo, alium necans, et nauigio imponens exanimatum, idque noctu, in tanta contentione, potuisse tam sedate atque tam circumspecte agere, vt indicia sceleris omnia curiose tolleret, ex humo sica abraderet, e nauigio spongia abstergeret? quae ne die quidem tu, etiamsi non trepidans, sed sedata mente, a nulloque metu exsternata, possis omnia obliterare? Haec ecqui sint quaeso verisimilia? vos ante-

anteſtor, iudices. Quod autem imprimis oportet vos vobis ad mentem reuocare (et nolim profecto vos mihi ſuccenſere iterum atque iterum eadem inculcanti, magno verſor in diſcrimine, cuius exitus in veſtrae ſententiae fortuna libratur. Recta enim et aequa ſi vos cenſueritis, ſaluus ſum, a vero autem aberrantibus vobis, perii.) Mentibus itaque hoc elabi, aut a quoquam eripi ne, quaeſo, ſinite, indicem ab his de medio ſublatum eſſe, quibus vna ea eſſet contentio, vt impedirent, quominus et ille index in conſpectum veſtrum produceretur. et ego copia potirer illum ad vos adducendi, eique tormenta admouendi, quamuis praedicatio eius illorum cauſam ſubleuaret, meam premeret. Iam vero corpus hoc ſeruile, cum a domino eius aere ſuo emiſſent, quo in poteſtate ipſorum eſſet, adactum a ſe eo, vt contra me teſtaretur, priuatim, ſponte ſua, ſuſtulerunt, quamquam neque ciuitas ei necem publice decreuiſſet, neque ipſe Herodem necaſſet. Hunc hominem oportebat vtique in cuſtodia ipſorum aſſeruari, aut amicis meis in fidem atque cuſtodiam tradi, et iudicium de eo legitimum haberi. Iam vero vos, aduerſarii mei, ſponte veſtra, inſciis omnibus aliis, tacite et clam, iudicio veſtro priuato morti addictum, necaſtis, priuati qui eſſetis, haud recogitantes, ne ciuitati quidem vlli graecae vniuerſe licere quemquam, neſciis Athenienſibus, et re ad eorum cognitionem non relata, veniaque ab ipſis nulla impetrata, morti dare. Praedicationum quidem ab hoc ſeruo editarum voluiſtis hos eſſe iudices, idque aequum eſſe cenſuiſtis. in facinora autem eius vt, non hi animaduerterent, ſed vt vos animaduerteretis, vobis ipſi arrogaſtis. Atqui ne illi quidem ſerui, qui heros peremerint, et in flagrante delicto deprehenſi fuerint, ne ſic quidem a iugulatorum neceſſariis occiduntur, ſed traduntur legitimo magi-

magiſtratui, quo ſecundum leges noſtras patrias puniantur. Tantum deferimus ſeruis, vt ſinamus eos aduerſus ingenuos teſtari. Hero ſi cui ſeruus interemtus ab ingenuo fuerit, licet illi hero hunc ingenuum de illo homicidio in ius vocare, ſi facere velit, et tum ſententia iudicum pari ſeueritate in homicidam ſerui, atque in homicidam ingenui, animaduertit. Quocirca par fuerat etiam hoc de ſeruo iudices cognoſcere, non autem vos, cauſa indicta inauditaque, morte eum mulctare. Multo maiori ergo iure ego vos homicidii reos agam, quam vos me reum agitis. Sed ex ipſis quoque amborum tormentis ſubiectorum praedicationibus velim vos, iudices, aequa aeſtimatione iuſtum et conſentaneum colligere. Alter eorum, ſeruus puta, duas edidit praedicationes inter ſe repugnantes, modo aiens me facinus patraſſe, modo negans. Ingenuus autem, eidem tormento ſubiectus, nihil me laedens edidit. Quid ita? primum, non poterant hunc, perinde atque ſeruum, proponenda ſpe libertatis illicere. tum animus ei erat, quam ſeruo, erectior, vt veritatem tueri etiam cum capitis ſui diſcrimine haud recuſaret, etiamſi neceſſe ſibi eſſet eo in diſcrimine occumbere. Nam e re ſua quid magis eſſet, vtique hic quoque non minus, quam ſeruus, intelligebat, futurum ſcilicet, vt hi a torquendo ſe deſiſterent, ſi ea praedicaret, quae illis auditu grata et accepta eſſent. Vtri iam horum par eſt vos fidem habere? illine, qui conſtanter vsque ad extremum eadem in praedicatione perſeuerauit, an huic, qui alternis affirmauit idem atque infitiatus eſt? Atqui ſi quis, nulla vi tormentorum cogente, ſed vltro, eadem de cauſa conſtanter eadem praedicet, iſtius praedicatio multo maiorem inuenire ſolet fidem, quam alterius vacillantis, alternisque a ſe dicta deſtruentis. At eſto tamen vtriusque auctoritatis par pondus. Sumus ergo nos pares

ego

ego cum aduerſariis, ratione teſtimoniorum. Seruus modo pro me praedicauit, modo idem contra me. Rurſus ex ambobus tortis alter affirmauit me facinus patraſſe, alter conſtanter infitiatus eſt. Vinco tamen vel ſic quoque in iſta ponderum aequalitate. Momenta enimte ſtimoniorum vbi ſunt vtramque in partem aequalia, reum obtinet ſemper vincere, cadere cauſa accuſatorem. Paritate quoque calculorum iudices magis reum, quam accuſatorem, adiuuant. Expoſui vobis, iudices, torturae rationes, qua fidentes hi aiunt, probe ſe noſſe, certosque eſſe, Herodem a me ſublatum eſſe. Ego vero ſi quid tale vnquam patraſſem, eiusque mihi conſcius fuiſſem, ſtuduiſſem hoc par hominum de medio tollere, ſiue mecum ad Aenum abducendo, ſiue in Epirum traiiciendo, non autem metuendos mihi reliquiſſem indices, homines facinoris mei conſcios. Sed aiunt a ſe repertum in nauigio neſcio quod epiſtolium, quod ego mittendum deſtinaſſem ad Lycinum, quo perſcripſiſſem, Herodem a me occiſum eſſe. Atqui quid opus erat per epiſtolium ſignificare id, quod perlator eius, cum probe noſſet, tum verbis ſignificare poſſet? Qui facinus ipſe feciſſet, multo poterat de eo et copioſius et certius exponere, quam epiſtola. Neque eiusmodi erat epiſtolae argumentum, quod perlatorem celari oporteret. Alias ea literis mandare ſolemus, quae non poſſumus cum perlatoribus communicare. Hic autem perlator totam rem iam tenebat. Item ſi copioſius aliqua de re docendum ſit, ſolemus eam perſcribere, verentes ne memoria perlatoris ipſa parum ſufficiat amplectandae atque referendae narrationi. Hic autem nihil aliud erat renunciandum quam hoc breue, Herodem eſſe peremtum. Tam breue argumentum tanti non erat, vt in literas referretur. Praeterea meminiſſe vos, iudices, velim, praedicationem hominis ab argumento commenticiae huius

ius epiſtolae diſcrepaſſe. Tortus enim faſſus eſt, ſe eaedem patraſſe; epiſtolium autem reſignatum me homicidam eſſe prodidit. Vtri iam oportet vos fidem habere? Porro, initio quidem, quaerentes, non inueniebant epiſtolium in nauigio, poſtmodum autem inueniebant. Quid ita? Tunc nimirum, cum nauigium prima vice perueſtigarent, nondum ipſis tota fraus in caput meum erat excogitata atque comparata. poſtquam autem homo primo loco tortus nihil indicarat mihi infeſtum, ipſi ſchedam a ſe exaratam iniiciebant in nauigium, quo haberent ſpecioſam cauſam criminis in me conferendi. Referebatur ad eos epiſtolium, velut ex inſperato in naue repertum. torquebatur tum ſeruus poſterior. verum hic epiſtolio edebat parum conſentientia. Iam libenter occultaſſent epiſtolium et hominum notitiae eripuiſſent. verum negatum hoc erat. Nam ſemel publice recitatum fuerat. Quodſi futurum ſperaſſent, vt ſeruum ſtatim a principio auctoritate ſua permouerent ad falſum teſtimonium contra me perhibendum, vtique machinam illam epiſtolarem commenti non fuiſſent. Cita tu mihi horum teſtes. *Teſtes.* Sed eccuius tandem rei cauſa ego virum occidiſſem? Num ſimultatis? atqui nulla mihi cum eo intercedebat. Sed alienam in gratiam aiunt me illi ſpiritum eripuiſſe. Atqui ecquis tandem hoc facinus vnquam eo fecerit, quo alteri gratificaretur? Ego equidem opinor neminem vnquam tam dementem fuiſſe; ſed magnas inter caeſum et occidentem interceſſiſſe ſimultates neceſſe eſt, et e multis conſtitiſſe indiciis alterius vitae ab altero inſidias comparari. Mihi vero, vt dixi, cum Herode diſcidii nihil vnquam fuit. Verumtamen cupiditate illectus eum peremi, ſperans apud eum numos inuenire? Atqui carebat numis. At metu tamen, ne, niſi ego praeuenirem, ille me repente opprimeret? Haud equidem infitier fieri poſſe, vt eiusmodi metus alium quempiam ad huiusmo-

iusmodi facinus impellat. At enimuero ita de Herode meritus non eram, vt illi neceſſe eſſet inſidias occupare. Multo enimuero maiori iure conſenſuque veritatis ego in te criminationem hanc retorquere poſſim, te hoc agere, vt e nece mea diteſcas, quam tu me criminaris e nece Herodis diteſcere voluiſſe. Tu ſi me per hoc iudicium tollas, multo potiori iure a neceſſariis meis caedis iniuſtae et flagitioſae reus peragaris, quam ego abs te et reliquis Herodis neceſſariis caedis in eo commiſſae reus agor. ego enim perſpicuam cauſam edo atque approbo, vnde conſtet, te capiti meo inſidias comparare. tu vero cauſationibus et ſuſpicionibus obſcuris, quarum rationem nullam liquidam et certam approbare vales, me perditum is. Haec hactenus ad vos diſputaui, iudices, quo certiores vos redderem, me mihimet conſcium non eſſe caedis, quam aut praemeditatus aut exſecutus in hoc homine Herode eſſem. Sed et Lycinus mihi defendendus eſſe videtur, docendumque, non illum magis, quam me, in probabilem huius criminis ſuſpicionem venire poſſe. Lycino igitur aio eadem eſſe de Herode merita, atque mihi ſunt, easdemque rationes, atque meae ſunt cum Herode. nam neque opes Herodi erant, quarum appetitus accendere Lycinum ad facinus potuiſſet, neque diſcrimen vllum ab Herode parabatur, quod Lycinus non potuiſſet, niſi per huius necem, effugere. Praeterea ne voluit quidem Lycinus eum perdere. Nam ſi voluiſſet, poterat Lycinus Herodem in certamen aliquod forenſe coniicere, cuius hic fuiſſet exitus, vt Herodes ex praeſcripto legum veſtrarum morte mulctaretur. Si debebatur Herodi a Lycino malum, poterat hoc modo Lycinus ſub latebra reipublicae priuatas ſuas iniurias vlciſci, vnaque eo facto vos promereri, docendo, maieſtatem reipublicae ab eo laeſam fuiſſe. Quamquam multo hoc ei fuiſſet hone-

ſtius certamen, quam nex ex inſidiis per fraudem et ſcelus oblata, tamen Lycinus id facere indignum ſua perſona duxit; id quod ex his teſtibus cognoſcetis. *Teſtes.* Verumenimuero, probabile nimirum eſt, qui Lycinus eiusmodi oportunitatem inimicum ſine ſuoque meoque periculo vlciſcendi, ſciens et volens transmiſiſſet, eundem tutae et honeſtae vltioni praetuliſſe vltionem ex inſidiis et cum ignominia, et cum periculo ſuoque meoque coniunctam, vbi deprehenſus non me ſolum patria expelleret, ſed vna ſemetipſum quoque ſacrisque et ciuilibus iuribus, et reliquis omnibus fortunis, rebusque priuaret, quae homini cuique cariſſimae ſunt, ſummique fiunt. Sed age concedamus tantisper aduerſariorum praetenſioni. Verum eſto vel maxime Lycinum Herodem ſublatum voluiſſe. Ideone ego mihi perſuaderi paſſus ſum, pro illo facinus facere, quod ille ipſe ſuis manibus patrare non auderet? Cur tandem? num, quod, vt ego corpore valerem, eoque par eſſem periculis obeundis, ita ipſe copiis numariis valens, meam operam redimere poſſet? Non vtique. Alia omnia. Multo citius ego Lycinum ad partes has agendum permouiſſem, quam ille me, ſecundum id ſi iudicetur, quod in eiusmodi re conſentaneum eſt. Locuples enim ego ſum, ille pauper. Minutum quidem aes, ſeptem ſolummodo minarum, die euoluta perſoluere non poterat. quare amici neceſſe habebant eum ſtipe collaticia a cuſtodia liberare. Praeterea non magnus nobis vſus mutuus erat; non certe tantus, vt imperiis eius quibuscunque famularer. De quo vt vobis conſtet, afferam luculentiſſimum documentum. Si tam carus mihi homo fuiſſet, vt eius in gratiam, eoque iubente, tollendo homine vitam ipſe meam in diſcrimen darem, multo magis ſeptem illas minas pro eo luiſſem, neque commiſiſſem, vt a vinculorum moleſtiis corpus ei corrumpe-

rumperetur. Ego vero minuto hoc in officio cum ei defuerim, multo minus cenſendus ſum in re tanta et tam capitali, manus meae operam ipſi accommodauiſſe. Planum iam feci, quoad potui, neque a me, neque a Lycino caedem hanc eſſe peractam. Sed hoc videntur argumento aduerſarii quam maxime nixuri, idque acerrime agitaturi, quod Herodes tamen nusquam locorum in conſpectum prodeat. Et vos ipſi, iudices, mihi videmini percupere audire, quidnam ego illi argumento habeam opponere. Opponam nempe iſtaec. Si aliud nihil poſtulant, quam vt probabilem aliquam coniecturam edam, de ratione, qua potuerit Herodes conſpectui hominum eripi, non magis eſt cur id a me exigant, quam a vobis. Nam ad me non magis hoc pertinet, quam ad vos. Nam ego non magis hoc facinus patraui, quam vos patraſtis. Sin autem veram rei geſtae rationem noſſe volunt, eorum aliquem interroganto, qui facinus patrarunt. Nam ab illo omnium optime atque certiſſime rem intelligant. Ego, qui non patraui, ſi velim hac de re, aut debeam, quam copioſiſſime diſſerere, nihil habeam plus, quod dicam, quam haec duo breuiſſima vocabula, *non feci.* Qui autem fecit, ei quoque perfacile eſt docere, qui res facta ſit, aut ſi docere quoque noluerit, facile tamen ei eſt ſolerter et belle coniectare, ſeu ſpecioſum praetextum allegare. Nam ſcelerati, ſceleribus ſuis ſpecioſos quoque praetextus comminiſcuntur, et callida ſubterfugia praeparant. Qui autem non fecerit, ei difficile eſt occulta probabili coniectura aperire. Veſtrummet ipſorum adeo mihi videtur vnusquisque de re haud comperta interrogatus nihilo plus eſſe reſponſurus, quam hoc breue, ſe non noſſe. Et ſi tum interrogans inſtet, et vlterius quid exprimere laboret, vos alſuri mihi atque ſudaturi videmini, et quid reſpondeatis vlterius, non inuenturi. Nolite ergo tam iniqui eſſe, vt neceſſitatem aenigma-

tis enodandi mihi imponatis, in quo extricando ipsi vos sitis haesitaturi, neque absolutionis hanc mihi ferte conditionem, si feliciter coniectauero, sed satis habete, a me planum vobis esse factum, me hoc crimine prorsus vacare. Nam insons sum, non hactenus, quatenus rationem edo probabilem, qua homo videri possit aut e medio sublatus, aut peremtus, sed hactenus, quatenus eius caedes ad me nil pertinet. Factum noui haud raro, a fama doctus, vt siue peremti, siue homicidae nusquam locorum reperirentur. Nae pulchre tum ageretur cum iis, qui aut cum illis, aut cum his vna fuissent, si culpam euentorum ferre deberent. Inconsulta et pestifera est in huiusmodi causa iudicii praecipitatio, per quam persaepe iam factum est, vt aliorum quoque criminum, non caedium modo, rei facti, cum insontes essent, prius extremis tollerentur suppliciis, quam verae rerum rationes aperirentur, vereque fontes detegerentur. Ne longe abeam, Ephialten, ciuem vestrum, qui occiderunt, adhucdum hodie nondum inuenti sunt. Quod si ergo quis postulet, vt, qui tum cum Ephialte fuerunt, cum occumberet, hi aut homicidas idoneo atque probabili indicio declarent, aut ipsi crimen caedis subeant, nae conditio eorum minime sit optabilis futura. quamquam qui Ephialten sustulerunt, nil curarunt cadauer hominum conspectui subducere, quo se in periculum dedissent, facinus ipsi suum prodendi. In quo sapiebant. Me vero hi tam stultum fingunt; vt, cuius caedem ipse solus peregissem, exclusis consortibus et adiutoribus omnibus, ad eum humo tollendum atque baiulandum alios aduocarem. Quam intutum sit probabilibus solummodo argumentis fidere, ex hoc facto intelligatis. Haud ita pridem puer nondum annum aetatis duodecimum emensus, heri iugulo sicam imprimebat. Hero vociferante territus puer auffugiebat,

bat, relicta in iugulo sica. Qui si ausus esset manere, periisset tota familia. Nam quis sanus de puero tantillo tantam audaciam vel suspicatus esset? Iam vero comprehensus puer et e fuga retractus, ipse se suo indicio condemnauit. Aliud accipite. Hellenotamiae vestri aliquando in suspicionem furti adducti fuerant, iniustam quidem illam atque immeritam, prorsus vt haec caedis est de me suspicio. Peribant, praecipitatione saeuientis irae potius, quam sapientia consilii, praeter vnum, quem Sosiam aiunt appellatum fuisse Supplicio extremo etiam is iam condemnatus, nondum id corpore tolerauerat. Interea temporis aperiebatur, quo pacto pecuniae interuersae fuisse. Ibi Sosias, iam vndecimuiris traditus, a populo e carcere domum cum gratulatione reducebatur. Reliquis autem quis vitam redderet, immerito supplicio exstinctis? Seniores vestrum, ni fallor, hunc casum adhuc recordantur, iuniores autem, aequales mihi, fando procul dubio de eo inaudiuerunt, quemadmodum ego. Tam salutare est, tantique refert, ad examen rerum etiam lentorem temporis in consilium adhibere. Forte fiat, vt hoc consultore vtentes vos olim aliquando certiores fiatis, quonam pacto Herodes quoque perierit. Cauete itaque quaeso fedulo, ne vobis quoque idem vsu veniat, vt me, quamuis insonte, vestra sententia oppresso, tum demum veram huius necis rationem cognoscatis, re non amplius salua; sed prius bene consulite, diligenterque causam explorate, non perciti iracundia, non calumniis exagitati. Consultores hi sunt tam mali, vt facile non sit peiores reperire. Nihil enim est, quod homo iracundia perturbatus recte cernat, recteue constituat. Ira enim illud ipsum, per quod homo deliberat, mentem eius puta, corrumpit. Vt autem aliquid non hodie, sed cras fiat, [vel differentia vnius diei, aut etiam succession

dierum inter se] multum valet ad mentem hominis mutandam, et ad perueniendum ad sedes veri. Certos vos esse velim, multo magis me vestram commiserationem meritum esse, quam vt poenas dem. Poenas enim dant criminosi, misericordiam autem merentes insontes in discrimen adducti. Et vestra potestas saluo iure aequo me seruandi, semper debet potior esse horum inimicorum contentione me per nefas opprimendi. Ampliate paululum. Nam in sustinendo iudicio inest potestas, quandocunque visum fuerit, ea seueritatis exempla statuendi, ad quae vos hi suae orationis acerbitate accendunt. Praecipitanti autem consilia prorsus ne capere quidem licet recta consilia, nedum vt exsequatur. Sed et patris me causam dicere oportet; tametsi multo magis erat consentaneum, pro me eum dicere, qui pater esset. Illum enim res meas omnes tenere credibilius est, qui aetate me multum antecedat, quam me res eius tenere, qui multo sim iunior. Illi si causa in foro dicenda sit, eoque tum si de eo tester ea, quae non certa scientia fretus, ex oculorum meorum fide, sed solum ex auctoritate famae affirmem, questurus sit aduersarius, atrocem sibi a me factam esse iniuriam. Iam vero me eo adigens, vt necesse habeam facta oratione purgare ea, quae mea aetate multo sunt antiquiora, tametsi ea non nisi ex fama teneo, non putat iniuriam a se mihi fieri haud minorem. Verumtamen quoad notitia aut conscientia mea pertinet, patrem non prodam, malis calumniis coram vobis, iudices, lacessitum. Et quamquam vereor, ne qua labar, eique noceam, ab eo recte facta secius interpretans, atque verbis corrumpens, iacta tamen esto alea. Patrem bene vobis velle, vestraeque reipublicae studere, rebus ipsis ipse declarauit illo tempore, quod Mitylenaeorum defectionem antecessit. Vt autem tota ciuitas malo vsa consilio a vobis defecit,

defecit, veſtraque beneuolentia excidit, non potuit facere, quominus errore toti ciuitati communi implicaretur. Animo quidem erga vos tum erat nil mutato, in illis ipſis turbidis temporibus, at rebus item ſuam erga vos priſtinam demonſtrare voluntatem haud licebat. Manſit quidem in obſeſſa ciuitate; at quid faceret? excedere illinc, parum fuiſſet honeſtum. et praeterea ne opus quidem erat. Satis enim multa penes vos habebatis pignora caritatis, liberos eius atque facultates, vt, ſi vel voluiſſet quoque a vobis deficere, ne potuiſſet quidem. Hanc itaque ſuam erga vos mentem iactare, donec Mitylenis manebat, negatum ei erat. Vt autem vos, punitis defectionis auctoribus, in quibus patrem non fuiſſe inter omnes conſtat, reliquis Mitylenaeis copiam feciſtis, in patrio ſolo manendi, in eoque excolendo perſeuerandi, nihil prorſus eſt poſtmodum a patre meo erratum, nulla eſt pars officii, in qua exſequenda fidem nauitatemque ſuam paſſus eſſet deſiderari, nulli defuit muneri, ſiue Athenis, ſiue Mitylenae edendo, ſed et choregatibus defunctus eſt, et tributa dependit. Quod autem apud Aenum amat aetatem degere, vrbis caritate captus, facit hoc, non quo defugiat partem vllam officiorum a ſe reip. debitorum; neque quo ciuitatis alius ciuis malit, quam veſter appellari et haberi, (quamquam alios bene multos video ciuium veſtrorum, relicta vrbe, non modo in Continente [Aſia] conſidentes, ſed ad ipſos adeo quoque veſtros hoſtes transmigrantes, ſedesque fortunarum ſuarum inter eos figentes, actionibusque mercatilibus ciues veſtros vexantes;) neque quod eum veſtri regiminis popularis poenitcat atque taedeat, ſed odio delatorum, quos ipſimet vos pariter odiſtis. Quae ergo pater vna cum tota [Mitylenaeorum] ciuitate, coactus magis, quam voluntate ſua, deliquit, eorum poenas ipſum priuatim dare, aequum non eſt.

Sat magnas iam dedit eorum poenas vna cum tota ciuitate Nunquam Mitylenaeis e memoria excidet error ipsorum, et ex illo contracta clades, qui ingentem pristinam amplitudinem suam beatamque conditionem cum extrema atque miserrima infelicitate commutarint, patriamque viderint desolatam. Quae autem aduersarii patri meo priuatim vitio dant, nolite quaeso, iudices, ea vera esse aientibus credere. Numis enim quo emungeremur, ab improbo sodalitio tota haec machina in meque in eumque comparata est. et multa hic concurrunt cupiditatem bonis alienis inhiantium secundantia. Senex ille cum sit, praesto mihi nequit esse. ego vero iunior sum rudiorque, quam vt ipse me defendere measque iniurias vlciscí queam. Quare vos mihi succurrite, neque docete sycophantas, ipsos plus posse, quam vosmet. Id quod certo eueniat, si secus hac in causa iudicetis. Nam si ad vos ingressos eos sinatis agere quaecunque velint omnia, planum faciatis, horum gratiam reos omni studio omnique arte debere sibi obstringere, vestrae plebis auctoritatem vero impune posse contemnere. Sin autem ingressis ad vos sycophantis significetis, eos vobis videri homines audaces atque conscelcratos esse, consiliaque eorum et machinationes cludatis, vt nil efficere contentionibus suis possint, tum vos ab omnibus honorabimini, magnique fietis, et summa rerum potestas penes vos erit. Quemadmodum etiam par et aequum est esse. Vindicate itaque meque vnaque aequum ius. Audistis adhuc quaecunque argumenta a me proferri potuerunt ab humanis siue testimoniis siue aliis indiciis repetita. Sed diuina quoque non minus oportet ostenta proferre, quo ex his quoque vos bonitatem causae meae docti secundum me pronuntietis. Et sunt vtique indicia diuinae voluntatis summi momenti. His credentes vos remp. tutam et saluam geritis,

ritis, vtraque in fortuna, tam in aduerſa, quam in ſecunda. foriſque domique. Sed et in priuatis cuique ſuis rebus ſumma debet eſſe diuinorum oſtentorum auctoritas fidesque. Quae res in vulgum nota eſt. Ipſos vos, ni fallor, haud fugit, ſaepe iam vſu veniſſe, cum homines aut cruore, aut alio quopiam inceſto polluti in naues inſcendiſſent, vt non ipſi ſolum vndis hauſti perirent, ſed vna ſecum caeteros quoque vectores, quamuis caſtos ſanctosque, in perniciem traherent. item alios, conſortio impurorum vſos, tametſi non perirent, ad diſcrimina tamen extrema adductos fuiſſe, nec non multos, adſtantes ſacris, eo quod perlitari non poſſet, ſuomet ipſos tacito indicio prodidiſſe, religiones deorum ab ipſis violatas eſſe, et penes ipſos ſtare, quominus ſacra ſolennia rite peragantur. Iam horum omnium nihil in me vnquam euenit. quibuscunque vnquam nauigationum conſors fui, hi ſecundiſſimis vſi ſunt curſibus. vbicunque ſacris interfui, ibi nunquam non pulcherrime, atque proſperrime fuit perlitatum. Quae indicia, iure meo aequiſſimo poſtulo, vt vos ita interpretemini, vt inde falſitatem criminis in me collati colligatis. Vera autem eſſe, quae de me praedicaui, vt vobis conſtet, hos teſtes cito. *Teſtes.* Certus ſum, iudices, hi teſtes ſi aduerſus me teſtarentur, atque confirmarent, in templo quopiam, nauigioue, in quo ego eſſem, indicium aliquod viſum eſſe numinis ob ſacra polluta irati, aduerſarios meos hoc teſtimonio, tanquam acerrimo quodam telo, vſuros eſſe ad me confodiendum, atque clamaturos, haec oſtenta deorum fidem mei ſceleris facere tam perſpicuam, atque luculentam, vt alia nulla fides poſſit eſſe euidentior. Iam vero et diuina oſtenta criminationibus inimicorum meorum repugnant, et teſtium praedicationes cum cauſam meam ſubleuant, tum iſtorum cauſam premunt et euertunt, atque mendacii co-

arguunt. Et nihilo tamen hi minus poſtulant, vt quam vos fidem meis teſtibus denegetis, eam ipſorum mendaciis contribuatis. Alii quidem homines per ipſa facta vanitatem praetenſionum demonſtrant, atque refellunt; hi vero verborum praeſtigiis veritatem rerum geſtarum labefactare conantur. Refutaui, iudices, ſingula quaeque crimina mihi obiecta, quantum memoria colligere potui. Iam nullus dubito fore, vt a vobis abſoluar. Id quod, vt mihi ſalutare erit, ita cum veſtro quoque ſtudio ius ſancte et legibus conuenienter dicendi, conſentiet, iurisque iurandi a vobis dicti religionem tuebitur. Nam ſecundum leges vos ius eſſe dicturos, iurantes condixiſtis. Iam legibus iis, quarum ex auctoritate praetenſa in carcerem ductus ſum, nil teneor. quibus autem teneri dicor, (quamquam falſa ea eſt criminatio,) quatenus iis tenear, nec ne, docebit certamen illud, quod mihi decertandum in poſterum tempus reſeruatum manet. Geminum autem certamen, quod exſtiterit e ſimplici, eius rei culpa penes me nulla eſt. ſed in culpa ſunt accuſatores. Vos autem, qui iuris aequi eſtis arbitri, hominum mihi inimiciſſimorum malignitatem atque iniquitatem haud videmini imitaturi. Hi neceſſitatem mihi admouerunt, bis capitis mei cauſam dicendi Vos itaque me in hoc iam iudicio praeiudicio veſtro caedis non condemnabitis. Nolite, viri, tam iniqui eſſe. Date potius aliquid etiam tempori. quo cum conſiliario, atque viae duce veritatem rerum geſtarum inuenire ſolent, quibuscunque curae eſt eam quaerere. Vellem vtique, iudices, huiusmodi in cauſis formulam iuris ciuilis in iure dicundo obſeruari, [h. e. ſemel tantummodo de cauſa quaque quaeri et pronunciari.] quamquam ipſo de iure, ſimpliciter et extra forum ſpectato, idem ego aequum cenſeo, vt in rei geſtae veritatem quam creberrime inquiratur. Quo ſaepius enim

enim id fiat, hoc melius rei veritas aperiatur. Crebritas disputationum, quibus indagatio veri proposita est, vt secunda est atque propitia veritati, ita rursus est mendacio infestissima; et vt illam superiorem in certamine facit, ita hoc debellat. In nulla vero causa, quam in causa homicidii, magis refert, de veritate rei gestae certo constare. Nam sententia iniqua in hac causa dicta cogit et ius aequum et veritatem cedere, atque succumbere, Nam me, e. c., si vos condemnaueritis, tametsi insontem, oportebit tamen vestrae sententiae seruire, et legis seueritati parere, edicentis, vt reus sententiam in se a iudicibus pronuntiatam corpore suo toleret exsequendam. Nemoque facile sit, qui sententiae de se dictae refragari audeat, tametsi certo sciat se crimine vacare, aut qui ideo recuset in potestate legis esse, quod conscius sibi sit, se tantum facinus haud commisisse. Sic necesse est, vt aequitas iniquitati concedat, veritate nequicquam reclamante, et vt ipsa veritas a mendacio victa obruatur, praesertim absente vindice, causam earum asserturo. Propter hanc lubricitatem in huiusmodi causis caedium, errorisque procliuitatem imperatae sunt tot cautiones, tantique fiunt tanta cum mole appararus, quanti aliis nullis in causis. Primum leges et diligenter subtiliterque, et seuere, de causis homicidiorum quibusque praecipiunt, et ambae partes iure iurando mutuo obstringuntur, exta proficiuntur; necesse est, vt accusatores reis caedium denuntient, ne audeant ad loca vetita adire. tacebo reliqua, quae mos et ritus est in causis homicidiorum obseruari multum diuersa ab iis iuribus, atque ritibus, qui aliis in causis aliisque in dicasteriis obseruantur. Quid ita? Res nimirum, de quibus hic certatur, multo plurimum refert, recta et vera sentenria definiri. Nam si ex recto et vero definiantur, satisfit Manibus iniusta caedi laesi. Insontem vero

vero ſi homicidii damnet iniqua iudicum improborum ſententia, delictum hoc eſt, non humana modo, ſed diuiua quoque iura violans. Nam perinde ad offenſionem eſt, accuſatorem non recte accuſare, atque vos, qui iudices ſitis, non recte decernere. Nam accuſatio vim effectus in ſe nullam habet, veſtrae autem ſententiae ea eſt auctoritas, vt eius dictata exſecutioni dari neceſſe ſit. Accuſator erroris in iudicando commiſſi culpam in vos transferre poſſit, quoniam a veſtra auctoritate derelicta ipſius accuſatio effectu fuiſſet caritura. Vos autem in pronuntiando lapſi, quonam erroris culpam referetis? quonam praetextu eum excuſabitis? Ecqui ergo recte et legitime hac in cauſa mea iudicabitis? Sic nimirum, ſi hos non prius, quam vbi iusiurandum ritu vetuſto ſancitum dixerint, ad accuſandum admittatis, copiamque mihi faciatis ipſum crimen purgandi. Ecqui autem eam mihi copiam facietis? Si nempe me hoc temporis articulo abſoluatis. Nam, etiamſi hoc feceritis, non ideo tamen veſtrae ſententiae laqueos effugi. Nam, qui nunc ſedetis iudices, vos iidem tum quoque ſedebitis, cum crimen homicidii mihi ex profeſſo diluendum erit, et me condemnare ſi tum voletis, licebit vobis. Abſolutum me nunc, habebitis tum tamen nihilominus in poteſtate veſtra. Sin autem me nunc condemnaueritis, non licebit vobis poſtmodum denuo de me in deliberationem ire. Et ſi vel maxime ego vere ſim homicidii reus, et vos me, vtique ſontem, tamen abſolueritis, ſemper tamen erit ſanctius atque cum religione deorum conuenientius, ſontem adeo per nefas abſoluere, quam inſontem per nefas condamnare. Alterum enim illud aliud nihil eſt, quam errore labi. alterum vero, praeterquam quod error eſt, etiam violatio eſt diuinorum iurium. Verſamini ergo in loco perquam lubrico, in quo acerrima cautione opus eſt ne labamini, rem aggredi-

gredientes, vt semel effectui data fuerit, postmodum irreparabilem. In eiusmodi quidem causa, vbi admissus error denuo tamen reprehendi et corrigi queat, minus peccetis, etiamsi siue ab iracundia euehamini, siue a calumniis capiamini atque obstringamini. Nam ibi locus est, et poenitentiae, et consiliorum restaurationi. In causis autem irreuocabilibus, vbi ad errorem, agnitio erroris, eamque consequens poenitentia accesserit, geminum id damnum est. Haud raro iam factum est, vt cum vos praecipitantia iudicii insontes pessumdedissetis, postmodum ipsi vestrum errorem agnoscentes, poenitentia eius, sed illa irrita, excruciaremini. Nunquam autem vos poenituit fontes absoluisse, si qui facundiae suae praestigiis vobis deceptis innocentiam suam approbassent, tametsi eos oportuisset vel maxime pessumdari, si non alia de causa, saltim ea, quod mendaciis vos circumueniissent Praeterea cum errores inuoluntarii veniam inueniunt, tum voluntarii venia carent. Error enim inuoluntarius, o iudices, forti fortunae in acceptis refertur, voluntarius autem destinationi consilii et propositi imputatur. Ecqui autem aliud quicquam voluntarii nomen mereatur, quam si quis, ob quae deliberatum consederit, ea ante deliberationem protinus exsequatur? Velim insuper hoc quoque vos vobiscum reputare, siue manu tu quemquam per nefas occideris, siue sententia tua, ad exitum facti, et ad aestimationem iuris, perinde id esse. Quod si huiusmodi facinoris cuiusquam ego mihi conscius fuissem, profecto nunquam pedem in hanc vrbem intulissem, de quo vos certos esse velim. Iam vero veni huc, bonitate causae meae fretus. Et viro bono honestoque adiumentum aliud nullum debet carius esse, neque aliud maioris fieri, quam conscientia, nihil a se commissum esse, quo maiestas deorum violaretur, iisque debita pietas corrumperetur. Haec opti-

optima et fidiſſima certaminis capitalis ſecundatrix eſt. Nam eiusmodi reo tametſi corpus magnitudine atque diuturnitate moleſtiarum fractum et fatigatum concidere atque occumbere minetur, erigitur tamen et ad ſalutem conſeruatur ab animi fortitudine, conſcientia innocentiae ſuae erecti, ideoque aduerſus moleſtias aduenticias contendere parati et perdurare nitentis. Criminis autem ſi cui officiat conſcientia, non alius ei hoſtis aduerſatur magis reformidandus, quam conſcientia mala. Prima haec in eum conſurgit, et cum armis infeſtiſſimis. Corpus enim, etiamſi adhuc validum, animus tamen ante tempus, viribus illius nondum exinanitis, deſtituit, exiſtimans imminentem poenam ſibi meritam venire ſceleribus abs ſe commiſſis. Veni ergo ad vos, et poteſtatem mei vobis feci, vtpote nullius ſceleris mihi conſcius. Inimicos autem meos me criminibus commenticiis ad vos infamatum et vos a me abalienatum atque deceptum ire, id vero mirandum non eſt. Sed veſtrum eſt calumniis fidem denegare. Mihi enim ſi obſecundetis, nihil aliud vobis verendum eſt, quam hoc, vt veſtrae vos facilitatis poſtmodum poeniteat. Atqui poenitentiae huius remedium, idque in veſtra poteſtate poſitum, eſt, vt me poſtmodum puniatis. Horum autem in auctoritate ſi fueritis, non licebit vobis poſtmodum, horum imperia exſecutis, peſtem ſemel admiſſam rurſus ſanare. Neque magnum erit temporis intertrimentum, ſi poenam meam tantisper differatis. Paulo poſt enim veniet tempus, quo, ſi aequum cenſebitis, iuſte atque legitime in me decernatis id, quodut nunc iniquo tempore decernatis, hi vobis auctores ſunt. Non eſt feſtinantium res proſpere et praeclare gerere, ſed recte et ſuſpenſa atque lenta mente deliberantium. Nunc ſolummodo cognitores cauſae eſtis, tunc autem teſtium eritis arbitri. Nunc eſtis opinatores verorum, tunc autem decretores eorundem. Num tenetis quanti momenti res ſit contra hominem homicidii reum factum

ctum falsa testari? Nam si testes huiusmodi falsi iudicibus persuaserint, vt protinus sine cunctatione reum occidant, non solum corpus periit, sed vna quoque vltio ipsi debita periit. Nam amici quidem eius non iam volent hominem vindicare iam exstinctum. Et si vel velint quoque, ecquid inde commodi redibit ad iniuste peremtum? num ideo melior eius erit conditio? Quare nunc quidem me absoluite, iudices; in altera autem causae dictione, qua peculiariter in caedem inquiretur, vbi hi accusatores iusiurandum ex formula iuris et ritu vetusto prius dixerint, tum me accusanto, vos autem causa in vtramque partem agitata et discussa, secundum leges in hac ciuitate fixas vsuque frequentatas pronunciabitis. Quo facto, mihi, si quid etiam aduersi patiar, nulla tamen erit excusatio de iniuria facta. Haec ea sunt, quae vos rogo, ita vestrae memor pietatis, vt vna me ipsum quoque iuris mei nulla parte defraudem. In iureiurando a vobis dicto, mea quoque salus vnà continetur. Momentorum horum quocunque denique voletis, impulsi me absoluite.

ORATIO DECIMA QVINTA.

quae est super, vel pro Choreuta.

Iucundissimum quidem est homini, iudices, si nunquam in capitis discrimen coniiciatur, et ad deos vota faciens sibi quisque inter alia optabilia etiam hoc optet contingere. Quodsi tamen certamen deuitare nullo modo queat, tum id quidem multo est iucundissimum, si praesto sit, quod ego equidem in eiusmodi causa habeo palmarium, vt nullius sibi delicti sit conscius, sed si vel maxime accipiendum sit infortunium, id malitia et dedecore careat, magisque fortunae siniſtrae, quam improbitati mentis referatur. Leges quidem hoc de genere criminum latas nemo facile

cile ſit omnium, qui non fateatur legibus aliis ſapientia atque ſanctitate anteire. Legum aliarum omnium in hoc attico ſolo obtinentium ſunt antiquiſſimae. Deinde mutationem nullam paſſae ſunt, ſed vt crimina adhuc ſunt eadem atque olim, quorum de poenis vt praeciperent, tum primitus latae ſunt, ita ipſae quoque formulae ſunt adhuc eaedem, atque primitus fuerunt. Id quod vel praecipuum eſt documentum legum iuſte ſapienterque inſtitutarum. Temporis enim diuturnitas et vſus rerum vitia aperiunt inſtitutis humanis adhaerentia. Quapropter vos oportet, non legum probitatem ex accuſatoris praedicatione aeſtimare, ſed contra orationem accuſatoris e legibus arbitrari, num recta legibusque conſentanea vos doceat, necne. Maxime quidem mea nunc agitur cauſa, qui reus agar. verumtamen etiam veſtra non minus intereſſe autumo, vt cauſae homicidiorum ex aequo et vero diſceptentur; praecipue quidem deorum cauſa, quo religio ipſis debita ſalua ſeruetur, tum tamen etiam veſtri cauſa. Nam praeter famam veſtram, etiam conſcientiae veſtrae pax agitur. Haec enim cauſa non plus quam ſemel agitur. in qua diiudicanda commiſſus error aequo et vero praeualet. Quem enim vos homicidii condemnaueritis, tametſi non ſit, neceſſe tamen eſt eum homicidam eſſe. tametſi manus ei ſint a cruore intactae, facere tamen non poſſit, vt imperia ſententiae in ſe dictae legisque detrectet, ſed abſtinebit ſe neceſſario a ſolo patrio, a fanis deorum ſacrisque et ſacrificiis, a foro, a ludis; quae omnia hominibus ſolent eſſe cariſſima atque antiquiſſima. Tanta legis eſt et ſeueritas, et reuerentia, vt tametſi tu mancipem tuum occideris, cui nullus ſit ſanguinis vltor, tu tamen ritusque vetuſti et diuini numinis verecundia, luſtralibus ſacris te expiandum cures, iisque locis abſtineas, quorum frequentatione tibi lex interdicit.

dicit. Felicitatis humanae pars potiſſima in ſpe ſuſpenſa eſt. Sed hanc ipſam ſpem, vnicam paene vitae humanae anchoram, ipſe ſibi amputat is, qui religiones deorum temerat. Neque eſt vnus omnium, qui eo, quod ſibi ſceleris huius commiſſi non ſit conſcius, repugnare audeat ſententiae iudicum de ſe latae, qua homicidii condemnatus ſit; ſed neceſſe eſt illi ſeruire ſententiae, quamuis vero repugnet, et ipſum verum, neceſſe eſt, vt obmuteſcat, falſique ſe incuſari patiatur; praeſertim ſi deſit, qui ius vindicet, reumque aſſerat. Qua de cauſa et legum capitalium diligentiſſimae cautiones, et reliquae coerimoniae, in huiusmodi cauſis ſancitae, vt e. c. ſacramenta vtrinque dicenda, et extorum proſectiones, et denuntiationes de locis vetitis, et reliqua, peculiari quadam et inſigni nota exſplendeſcunt, qua ab actionibus aliarum cauſarum dignoſcantur. Res nempe ipſas, de quibus hic agitur, recto iudicio diſceptari, quam plurimum refert. Id enim ſi fiat, vltione ſatisfit Manibus per nefas peremti. Sin autem iniqua ſententia homo inſons percellatur, non is error modo eſt, ſed etiam numinis diuini legumque humanarum violatio. Neque perinde eſt accuſatorem perperam accuſare, atque vos iudices perperam iudicare. Accuſatio enim illius in ſe vim exitus nullam habet; at in veſtra ſententia illa ineſt efficacia. Quicquid vos ſecius decreueritis, id quo referatis, nil habetis, quo culpam purgetis. Ego vero, viri, de defenſione non idem ſentio, quod accuſatores de accuſatione ſentiunt. Nam hi cum ſe accuſare aiant pietatis et aequitatis ergo, totam tamen accuſationem eo compararunt, quo me calumniis exoſum vobis reddant, et vos circumueniant; quae fraus eſt, fraudum omnium, quas humana mens comminiſcatur, teterrima. Non hoc agunt, vt planum faciant me ſcelus admiſiſſe, eoque

facto, vt poenas dem meritas; sed istud, vt, tametsi insons, ipsorum obrutus calumniis, fortunis exutus omnibus, in exsilium agar. Ego vero aequum censeo causam hanc sic agitari, vt ante omnia rem gestam ex ordine exponam, et criminis ipsius, cuius insimulor, rationem reddam. deinde, si vos audire iuuerit, etiam reliquas horum criminationes diluam. Hunc enim agendi modum autumo cum mihi decus atque salutem, tum inimicis, quorum petulantia et immanitas vexatione mei delectatur, ignominiam atque ruborem esse allaturum. Et profecto indigna atque infanda mihi ab his oblata est iniuria. Quibus, honestate salua, licebat, si quid ego, aut in edendo munere, aut alio quopiam loco, in rempublicam deliquissem, id indicare atque coarguere; quod facientes vna hominemque sibi infestum essent vlti, et de republica bene meriti; hi ab hac via mei insectandi sese cauti abstinuerunt, cernentes sibi negatum, vt vllam a me factam reipublicae iniuriam, siue magnam, siue paruam, demonstrarent; hic autem actione homicidii me inceſſunt; quo in negotio perquam et illiberaliter et a more iuris ciuilis abhorrenter versantur. Lege edicente, vt accusator aliud nihil, quam ipsum crimen, de quo agitur, arguat, hi accusationi suae commentitias nescio quas et friuolas immiscent praetensiones, quibus meas in republica administranda partes infamatum eunt. Quo rei publicae quidem, querendi locum relinquentes, vltionis copiam eripiunt, ipsi autem iniuriarum, quas reip. oblatas aiunt, poenas repetentes, diteſcunt. Atqui neque fide, neque gratiarum actione dignae sunt eiusmodi accusationes. Nam vbi fructus ex vltione iniuriarum reip. oblatarum, ad ipsam remp. esset peruenturus, ibi tacent; quo loco si loquerentur, reip. gratiam vtique mererentur; aut, transmisso argumento praecipuo, quod titulus mentitur, in res a professione suae accusationis alieniſſimas euage-

euagantur. Atqui in eiusmodi cauſa, qui alia accuſaturum profeſſus, alia reapſe accuſet, dignior is eſt, cui fides denegetur, quam cui habeatur. Ego vero ſi animos veſtros ſatis noui, videmini mihi in dicendo iure nihil aliud, quam naturam ipſius cauſae, ſecuturi, et prout illa iuſſerit, aut abſoluturi, aut condemnaturi. Conſtitutus choregus inſtantibus Thargeliis, praeter meam tribum, quae eſt Erechtheis, etiam Cecropidem, vna cum magiſtro, Pantacle, ſortito accipiebam. Faciebam ſumtus, fungebar munere, quam poteram optime atque religioſiſſime. Quae pars mearum aedium ei rei videbatur accommodatiſſima, eam conſecrabam exercitationibus ſaltandi, et, vt ibi iuuentus doceri poſſet, tridinium apparabam, idem illud, in quo erudiendam iuuentutem iam antea quoque curaueram, choregatu in Dionyſiis fungens. Deinde chorum colligebam quanta poteram maxima ciuilitate, neminem pecuniaria mulcta afficiens, a nemine pignora per vim aufferens, cum nemine ſimultates ſuſcipiens, ſed ita agebantur omnia, prout vtrique parti et acceptiſſimum, et factu eſſet expeditiſſimum. Citanti mihi atque praeſcribenti, parentes liberos mittebant; volentes atque lubentes. Sed intereſſe diſciplinae puerorum per negotia mihi non licebat, intento actioni aduerſus Ariſtonem atque Philinum occoeptae. Quos homines quoniam publice receperam peculatus reos faciendos, permagni mea referebat, eorum furta ſenatui totique populo Athenienſium a me ordine et qua par eſt veritate atque aequitate demonſtrari. Huic itaque negotio animum habens intentum, mandabam Phanoſtrato, vt choro ſuppeditaret, ſi quid ei opus eſſet. Municipalis accuſatorum eſt Phanoſtratus, idemque meus gener. Huic mandabam, vt choro de neceſſitatibus omnibus, quam poſſet diligentiſſime atque liberaliſſime, proſpiceret. Addebam ei adhuc duos a-

lios, alterum Amyniam, de tribu Erechtheide, cui, fama integritatis florenti, solebant tribules decreto publico partes identidem demandare, choros colligendi, rebusque necessariis instruendi; alterum de tribu Cecropide, qui, quoties vsu veniret, item colligere chorum istius tribus soleret. Quartum denique addebam, Philippum, cum mandato, quaecunque imperaturus esset magister, aut alius quispiam modo nominatorum, emendi, et sumtus tantisper erogandi; quo scilicet pueri publice producendi quam optime docerentur, neque, negotiis me meis ad alia auocantibus, vlla re necessaria fraudarentur. Defunctus ad hunc modum choregatu fui; atque si quid in hac expositione mentitus sum, mei excusandi et obnubilandi veri ergo, licebit accusatori in posteriore accusatione id coarguere; licebit, quicquid volet, contra disputare. Nam res vtique ita habet, vt exposui. Et profecto furiosus sim, si in re tam publice nota, et ad coarguendum tam facili, mentiri coner. Circumstant hoc tribunal tot numero homines, totam rem, vt gesta est, penitus callentes, et audientes me, cum scribam sacramento adigentem sequerer, seduloque ad singulas quasque meas responsiones attendentes, quibus hanc de me creare peruelim opinionem, vt existiment, non solum religiosum me hominem esse, et iurisiurandi a me dicti memorem, eiusque seruandi studiosum, sed etiam hoc agere, vt simplici veraque rei gestae expositione vobis absolutionem mei extorqueam. Planum itaque vobis ante omnia faciam, me neque imperasse puero, vt potionem biberet, neque eum ad bibendum adegisse, neque praebuisse. quid? quod ne interfuisse quidem, cum biberet. Quod eo non dico, ista cum contentione, quo culpam a meis ceruicibus in alienas transferam. Non profecto. neminem enim incuso, praeterquam fortem fortunam, quae aliis quoque multis

tis hominibus necem conſciſcit, quam fataliter cuique decretam, neque ego poſſum, neque alius quisquam, auertere, quominus legi fatorum pareatur. *Teſtes.* Confirmata ore teſtium audiſtis ea, quae vobis hac de re confirmanda receperam. Iam licebit vobis ex ipſa formula iurisiurandi, a noſtrum vnoquoque dicti, colligere, vtri veriora et cum religione ſacramenti conuenientiora praeſe ferant, egone, an illi. Iurati enim hi aſſeuerarunt Diodotum a me necatum eſſe, eamque necem me ipſi praemeditatam intuliſſe. Ego vero iuratus negaui me illi caedem intuliſſe, neque manu ſublata, neque telo, aut fuſte incuſſo, neque potione venenata, neque me necem illi fraude praemeditata comparaſſe. Contendunt autem hi criminationem ſuam approbare, praedicando, hunc [Phanoſtratum, generum meum] puero imperaſſe, vt potionem biberet, aut eum ad bibendum coëgiſſe, aut poculum ei obtuliſſe. Ego vero ex illis ipſis horum praedicationibus efficio, me nulla culpa teneri. Neque enim imperaui, neque coegi, neque praebui. Addam, me plane abfuiſſe tum, quum puer biberet. Quod ſi ergo aient ſcelus penes eum eſſe, qui coegerit, ego crimine vaco. nam non coegi. Aut ſi aient reum eſſe eum, qui poculum praebuerit, rurſus crimine vaco. nam non praebui. Facile quidem factu et cuiusque eſt, incuſare, et mendaciis alium obruere. Habet enim id quisque in poteſtate ſua. Verum efficere, vt, quae facta non ſint, tamen facta ſint, et vt inſons reddatur ſons, id, ni fallor, non eſt in horum praetenſionibus, ſed natura harum rerum ſequitur iuſtum et verum. [hoc eſt, vere ſons, et pro ſonte merito habendus, eſt ſons, manetque, quicquid contra contendatur.] Et cauſa haec breuiſſimis expediri poteſt, vtpote dubitationi nulli obnoxia, ex ipſis aduerſariorum teſtiumque praedicationibus. Si qua res in occulto geſta eſt, ſi qua nox clam comparata, procul teſtibus, ibi neceſſe eſt iudices accuſa-

toremque reumque diligenter percontari, et ex amborum praedicationibus, subtili coniectura verum venari, minutissima quaeque vestigia suspicionum persequi, et sic pronunciare, magis secundum probabilem coniecturam, quam ex certa scientia. Vbi autem constat, vt in hac causa mea ipsi accusatores confitentur, necem hanc puero obtigisse, non ex praemeditato, neque ex comparatione multorum inter se ad fraudem dandam conspiratorum, deinde, vbi constat, quaecunque acta sunt, ea omnia palam acta esse, in oculis multorum testium, tam virorum, quam puerorum, tam ingenuorum, quam seruorum, e quorum conscientia et indicio, etiamsi quis sceleris quicquam commisisset, illud scelus liquidissime coargui, et rursus, si quis insontem per nefas accusatum isset, is facillime refutari posset, quid ibi opus est dubitatione, quid suspicionibus? Cur non potius ex certa scientia sine cunctatione lis decidatur? Praeterea consilium quoque aduersariorum vobis spectandum est, iudices, et qua mente actionem hanc exorsi sint. Mores enim nostri mutui a principio inde prorsus inter se dissenserunt. Philocrates enim hic cum in Heliaeam Thesmothetarum ascendisset, ea die, quo puer elatus est, affirmauit, fratrem suum a me interemtum esse, eo, quod ipsum in choro coegissem pharmacum bibere. Ego, certior factus Philocratem ista coram magistratibus dixisse, pariter ascendi, et in idem dicasterium ingressus, coram iisdem iudicibus negaui Philocratem ex aequo et recto facere, falsis criminibus me infamare studentem ad iudices, eo ipso temporis articulo, quo agendae mihi causae essent, aduersus Aristionem cras, et aduersus Philinum perendie. Horum nempe in gratiam, vt eos a periculo condemnationis liberaret, accusationem hanc suscepisse Philocratem, aliaque nulla de causa idonea. Nam criminationes et mendacia

eius

eius facillimo negotio coargui et diffiari poſſe. Conſcios enim rei geſtae plus quam quinquaginta eſſe homines ingenuosque cum ſeruis, ſenesque cum iunioribus, quos nihil omnium neque dictorum, neque factorum in illo luctuoſo negotio, fugeret. Neque ſolum hac oratione ad iudices vtebar, ſed etiam ſponſionem ei deferebam, et tum ſtatim, et proximo die poſt, coram iisdem iudicibus, hortans, vt aſſumtis teſtibus, quotcunque numero vellet, mecum iret ad eos, quos ego aiebam actui interfuiſſe. Nomina enim eorum ipſi ſigillatim edebam; atque vt eos interrogaret ſeueriusque percontaretur, vt cuiusque ferret conditio. Liberos enim homines ſponte ſua rem, vt vere geſta eſſet, fideliter eſſe expoſituros, cum quod aequum et rectum in ſe eſſet homineque ingenuo dignum, veritati verborum ſtudere; tum quod ipſorum intereſſet, verum dicendo ſuam ipſos exiſtimationem bonamque famam tueri, malaque cauere, quae veri diſſimulatio ipſis creare poſſet. In ſeruos autem modis procederet ipſorum fortuna dignis. qui ſi interroganti ipſi vera edere viderentur, nil opus eſſe tormentis. ſin minus, auctor ei eram, paratos ſtare dominos, eorum cuiusque ſuum, ad tradendum ſeruilia corpora ad quaeſitionem per tormenta, quamvis vellet acerbam. Haec dictitante me coram iudicibus, atque ſponſionem hanc deferente ipſi, coram iudicibus illis non modo, ſed etiam permultis aliis priuatis, tum circumſtantibus, tamen neque tum ſtatim, neque toto illo tempore, quod ab illa die ad hanc effluxit, neque Philocrates ipſe, neque vnus eorum omnium, qui ei cauſae huius conſortes ſunt, impetrare a ſe potuerunt, vt ad hanc aequiſſimam ſponſionem deſcenderent; bene ſcilicet gnari, rationem hanc veri explorandi, non ſibi, ſed mihi ſecundam eſſe, ex eaque conſtiturum, nihil ſani criminationibus ipſorum ineſſe. Noſtis ipſi

vos, iudices, neceſſitatum, quibus impelli adigique homines poſſint, hoc genus eſſe omnium acerrimum atque efficaciſſimum, et ex hoc repetitas demonſtrationes omnium euidentiſſimas eſſe atque certiſſimas, vbi nempe multitudo ſit teſtium, ingenuorum vna atque ſeruilium corporum, qui omnes rem controuerſam teneant; quorum ingenuos vincire liceat, atque veluti torquere, religionibus iurisiurandi, et aſſeuerationibus, quarum fides bonae cuiusque famae tuendae praemio, aut, ſi mentitus deprehendatur, infamiae contrahendae periculo oppigneratur; quae res bene natis hominibus cariſſimae ſunt, ſummique fiunt: a ſeruis autem veri confeſſionem extorquere modis liceat aliis, equuleo et fidiculis, a quarum acerbitate coacti verum edere, tametſi poſtmodum, cruciatibus confecti, exſpirent, tanti id non habetur. Cruciatus enim quemque in praeſentia vrens tantum valet, vt diſcrimen poſtfuturum obliuiſcatur. Conſtat itaque hos a me ad nullam non aequiſſimam conditionem inuitatos, et nullum non genus inquiſitionis his delatum eſſe, vnde datum eſt hominibus verum et aequum indagare. Nulla relinquebatur excuſationis latebra. Ego criminatione impetitus, qui dediſſe dicerer iniuriam, paratus eram ipſis copiam dare aequiſſimae inquiſitionis aduerſus memet ipſum. Hi autem, tametſi me criminarentur, et a me quererentur iniuriam accepiſſe, nolebant tamen illam a me oblatam adminiculorum amplecti copiam, per quae criminationes ſuas approbarent. Quodſi ego, ſponſionem illis deferentibus, recuſaſſem aut nomina ſeruorum edere, qui actui interfuerunt, aut ſeruos ipſos illis tradere depoſcentibus, aut aliam quampiam poſtulationem aequam defugiſſem, nae illi hanc meam tergiuerſationem interpretaturi eſſent pro luculentiſſimo argumento, ſuam cauſam bonam eſſe, me meae diffidere. Iam contra eſt. Quam ego ipſis detuli

tuli vltro inquisitionem, hi eam defugerunt. Quidni ergo par sit, me argumentum inuertere, et in ipsos telum hoc retorquere, ex eoque conficere, falsi et commenticii me criminis ab ipsis insimulari. Porro, iudices, testes hi, qui nunc pro me testantur, si contra me testati essent, certissimus sum, tum fuisse futurum, vt hi testimoniis illis me velut telis quibusdam acerrimis impugnarent, aientes, testimonio mihi aduerso non posse vllum aliud excogitari documentum fidei liquidius atque validius. Iam vero videte mihi quaeso incredibilem eorum iniquitatem atque impudentiam. Testibus his iisdem aientibus orationem meam aequam et veram esse, istorum mendacem, docere vos contendunt, testimonio mihi secundo fidem omnem esse derogandam, in praetensionibus autem a se confictis vos certa fide securaque debere acquiescere; quas ego praetensiones si iactarem nulla testium auctoritate communitas, nae illi vt falsas et temere a me confictas essent aspernaturi. Atqui res grauis vtique atque indigna sit, si testes iidem, vbi ipsis faueant, tum fidem mereantur, vbi autem me secundent, tum nullam. Quodsi, casui tam misero cum testes prorsus nulli adfuissent, ego tamen aliquos producerem, aiens eos interfuisse, aut, si, cum interfuissent omnino testes, ego non eos, qui vere interfuissent, sed alios, exhiberem, recte vtique vos maiorem fidem illorum praedicationi, quam meis testibus, adhiberetis. Atqui fatentur ipsi testes negotio interfuisse, et ego testes eosdem exhibeo, qui vere interfuerunt, et constat, meque et meos testes omnes constanter eadem, et illa prima statim die prae nobis tulisse, et adhucdum hodie prae nobis ferre. Ecquae iam alia ratio, iudices, quaeso vos, possit excogitari, vnde aut veris fides adstruatur, aut falsis detrahatur, si haec, quae attuli, documenta nil valent ad rem comprobandam? Nam

Nam oratione quidem si quis rem doceat, testes autem idem nullos exhibeat, eiusmodi orationem aias testium auctoritate carere. Sin autem testes exhibeat quidem, verumtamen non item indicia edat auctoritati testium consentanea, possis tu pari modo fidem indiciorum desiderare. Ego vero et orationis ea probabilitate rem gestam enarraui, vt vero simillimum sit eam ita gestam esse, et testes produxi illi meae orationi consentientes, et facta denique demonstraui testium auctoritati consonantia, et argumenta inde collegi prono alueo illinc emanantia, et praeterea duo quaedam, hac in causa vel palmaria, demonstraui, hos quidem puta et a me, et a semet ipsis conuictos et condemnatos, me autem, non a me solummodo, sed ab illis ipsis adeo absolutum. Me enim vltro descendente ad subeundum inquisitionis periculum de criminibus mihi obiectis, hi nolentes eam conditionem amplecti, iniuriam vtique mihique sibique ipsi dederunt, eodemque veluti calculo cum me absoluerunt, tum semet ipsi condemnarunt, suamque accusationem ceu mendacem dispunxerunt. Atqui si, praeter testes meos, ipsos adeo aduersarios causae meae subscriptores praesto, ecquo alio quaeso oportebit ire, ad arcessendum argumenta absolutionis? Tametsi igitur autumo, iudices, tam multa et tam grauia, atque tam perspicua me disputasse, vt eorum momentis victi vos me merito ducatis absoluendum esse, et ab hoc crimine me prorsus vacare nemini vestrum sit dubium: quo tamen adhuc subtilius atque certius rem cognoscatis, procedam adhuc vlterius, et planum faciam, hos accusatores meos esse hominum, quotquot sunt, omnium maxime periuros pietatisque erga deos aspernantissimos, odioque inprimis dignos, non meo solum, neque vestro, iudices, sed omnium adeo ciuium, ob morum improbitatem in hac causa demonstratam. Nam primo quidem die

die, quo puer exſpirauerat, item altero, quo cadauer eius patebat ſpectaculo expoſitum, aequum hi non cenſebant me vllius incuſare hac in re commiſſi erroris, aut facinoris, ſed mecum congrediebantur, et ſermones conferebant. Interim congreſſi cum inimicis meis, ſinebant ſibi ab his perſuaderi, vt ad actionem aduerſus me comparandam accingerentur, tertio demum die, hoc eſt eo, quo puer efferebatur, mihi denuntiabant, vt meminiſſem, velut homicida, loca a lege vetita deuitare. Quinam autem hi ſunt inimici, quorum hortatu moti tanta me mole accuſationis ad orti ſunt? et quaenam ea cauſa eſt, quae illos meos inimicos impulit, vt hos ad tantam audaciam accenderent? Nam haec quoque, non committendum mihi eſt vt vos, iudices, ignoretis. Stabam nempe in procinctu Ariſtionem et Philinum et Ampelinum, et commentarienſem Nomothetarum, quo conſcio, et conſorte furtorum, iſti furabantur, accuſandi, iis de criminibus, quae ſenatui indicaueram, recipiens eos a me reos eorum faciendos. Tam enormia erant eorum furta et flagitia, et iniuriae reip. ab ipſis oblatae, vt nulla ſpes ipſis ſupereſſet euadendi. Quid ergo deſignant in tanto diſcrimine? Perſuadent his [Philocrati cum conſortibus] vt nomen meum ad magiſtratus, velut homicidae, deferrent, publicisque in tabulis hoc titulo annotandum curarent, mihique denuntiarent, vt locis vetitis me abſtinerem. Hanc vnam ſperabant ſibi patere ſalutis viam, hanc vnam fugae ex vniuerſo iſto tanto diſcrimine. Lex enim ſic edicit. Vbi nomen alicuius in tabulis proſcriptum fuerit, velut homicidae, vt is ex eo inde temporis momento loca vetita deuitet. Excluſus ad hunc modum ego locis vetitis, in quibus vel praecipuum forum eſt, non poteram, vt illi quidem opinabantur, coeptam in ſe actionem proſequi. Quodſi ergo mihi neceſſitas impoſita fuiſ-

fuiſſet illam actionem omittendi, qui ſolus et tenerem eorum furta, et ſenatui indicaſſem, facile ipſis factu videbatur, vt defenſionisque periculum, poenarumque dandarum acerbitatem effugerent. Non in me primo Philinus caeterique fraudem hanc machinati ſunt, ſed iam dudum ante in Lyſiſtrato fuerant; qua de re vosmet ipſi inaudiuiſtis. Promti paratique Philocrates cum conſortibus huic inſtigationi obſecundare, ſtatim altero die poſt funus pueri, prius adeo, quam domus luſtrata, et iuſta facta eſſent, meum nomen, vt homicidae, deferunt ad magiſtratum, publicisque in tabulis curant proſcribendum, aſtute diligenterque obſeruata illa ipſa die, qua actio aduerſus principem furum, Philinum, a quo iudicii principium erat faciendum, a me agenda eſſet; quo ne vnus quidem ſcelerati illius collegii a me poſtulari poſſet, et ex inuolucris improbitatis euolui. Verum multo ſecius euenit, atque iſti ſperauerant. Rationes ipſis ſuae omnes egregie fuerunt conturbatae. Rex enim ſacrorum e iure ſacrorum ipſos docebat, recitanda legis formula, quodnam temporis ſpatium ſuſtinere ſe adhuc deberent, antequam nomen meum deferrent, et quotnam citationes, nomine meo iam delato, praecedere deberent ipſam actionem, et quanta temporum interualla inter quamque citationem fas eſſet intercedere. Sic factum eſt vt ego, non excluſus copia fures illos ad iudicium pertrahendi, omnes condemnarem; quibus mulcta fuit ſcripta tanta, quantam ipſi vos probe noſtis iis ſcriptam eſſe. his autem [Philocrati cum conſortibus] negatum fuit illos periculo eripere, quo vt eos eriperent, mercede illorum conducti fuerant. Quid ergo tum inſtituunt? Congreſſi mecum et cum amicis meis, rogabant, vt vellemus cum ipſis in gratiam redire, offerebantque poenas offenſionum a ſe mihi dandas. Ego, perſuaſus ab amicis, reconciliabar ipſis in arce,

apud

apud aedem Mineruae, coram teſtibus iis, qui conciliatores gratiae erant. Poſtmodum congrediebantur mecum, et colloquia miſcebant in templis, in foro, domi meaeque ipſorumque, et vbicunque locorum conueniremus. Poſtremo, o Iupiter diique omnes! hic ipſe Philocrates in curia coram ſenatu, ſtans mecum in ſuggeſtu, manu cum mea conferta, nominatim me appellans, ſermones caedebat mecum, qui pariter eum quoque nominatim compellabam. Quo factum, vt ſenatus idem poſtmodum audiens mihi denuntiatum eſſe, vt loca vetita vitarem, miraretur, indigneque ferret id factum ab iis, quos vidiſſet tam familiariter mecum conuerſantes. Conſiderate modo, viri, et recordamini, cum illorum impudentiam, tum meam aequitatem et innocentiam. Non enim e teſtimoniis ſolummodo confirmabo, quae dico, ſed etiam ex ipſis horum, aduerſariorum, factis facile intelligetis me vera praedicare. De rege ſacrorum, vt primo loco dicam, quem aiunt ſtudio mei nomen meum ab ipſis delatum accipere noluiſſe, apertum id eſt et manifeſtum mendacium, quo tota ipſorum cauſa debilitatur. Regem ſacrorum, admiſſa mei nominis delatione, oportuiſſet tres διαδικασίας totidem menſibus diſtinctas inſtituere, et tum demum quarto menſe poſt delatum nomen partes litigantes ad iudicum conſeſſum inducere, quemadmodum nunc factum eſt. Atqui duo tantum menſes de magiſtratu ipſi adhuc ſupererant, Thargelion et Scirrhophorion. Quapropter neque ſe adhuc honorem gerente inducere cauſam poterat in iudicium, neque inchoatam ſucceſſori tradere. Nam homicidii cauſam inchoatam ſucceſſori tradere peragendam, fas non eſt, neque vllus vnquam Rex ſacrorum his in terris tradidit. Quam itaque accuſationem neque in forum ſuum inducere Regi ſacrorum, qui tum erat, licebat, neque ſucceſſori tradere, eam

ne admittendam quidem sibi esse recte existimabat; nam alias leges vestras violasset. Regem sacrorum ea in re Philocrati nullam feciſſe iniuriam, ipse Philocrates testatus est. Alios enim, magistratibus defunctos, gestorum honorum rationes debentes, vt calumniarum terriculamentis mirifice concussit atque exagitauit, ita in hunc vnum Regem sacrorum dentem non destrinxit, sed intactum praeteriit, a quo se atrociſſimas accepisse iniurias queruntur. Hunc vnum laniatum Athenas non venit. Ecquod ego iam aliud maius documentum protulero, quo constet Philocratem neque a me, neque ab illo Rege sacrorum, malo laesum esse? Nam vt illi, magistratu defuncto, qui nunc est, Rex sacrorum succeſſit, licebat his per totos triginta dies mensis Hecatombaeonis, qui mensis nouo Regi primus erat, quocunque mensis illius die libuisset, nomen meum deferre; at hi tamen nullo detulerunt. Rursus proximo mense Metagitnione licebat illis idem facere, quocunque illius mensis die visum fuisset. at hi ne tum quidem sustinuerunt facere; sed huius quoque mensis viginti dies praetermittebant; quo factum, vt honorem gerente hoc, qui nunc gerit, Rege sacrorum, plus quinquaginta dies exierint, quibus nomen meum deferre, cum potuissent, insuper habuerunt. Et alii quidem omnes, si quibus temporis anguſtiae non permittunt huiusmodi lites priore Rege magistratu decedente ordiri, festinant cum ipsis noui Regis auspiciis accusationes suas ad eum deferre. Hi vero, quibus grauissimae item festinandi causae essent, tamen id facere ita cunctati sunt, vt mirandum sit. Leges tenebant omnes, et processum iuris callebant. Me videbant senatorio honore fungentem, et in curiam ingredientem. vbi Iouisque Bulaei, Mineruaeque Bulaeae ara et sacellum est, in quo vt senatores omnes, ita ego quoque vota faciebam. Quae fana sena-

senatus adiret, eadem ego quoque vna cum senatu adibam, thura spargebam, vota concipiebam pro salute reip. Adde, quod toto illo tempore, quo tribus mea, primum mensem sortita, prytaneatu functa est, ego partes Prytanis omnes gessi, (excepto solummodo biduo) sacra feci, pro reip. salute vota feci, in suffragia misi, sententias dixi, de rebus grauissimis, et quibus salus reip. contineretur. Haec egi in conspectu omnium. Hi ipsi cernebant. nam in vrbe erant, et in foro versabantur. Licebat ipsis nomen meum vt homicidae deferre, et locis sacris me excludere. et debebant adeo. Cur ergo facere omiserunt? Reuera si accepissent iniuriam, sufficere poterat vel sola admonitio, et iniectio metus a religionibus deorum laesis; eamque commemorationem et sibi ipsis debebant, et reip. Cur ergo nomen meum non citius detulerunt? cur interea temporis mecum congrediebantur, atque agebant? Vtrumque nimirum, quia non videbar ipsis homicida esse, sed a nece pueri liber. Quo vtroque declarabant, necem hanc ad me nil quicquam pertinere. Qui iam possunt alii esse hominum omnium improbiores, atque iuris aequi magis immemores, quam hi, qui quod ipsi non credunt, id vobis persuadere contendunt, atque postulant ea a vobis condemnari, quae ipsi factis absoluerunt. Alii homines verborum vanitates e factis denudant atque refellunt, hi autem veritatem rerum gestarum vanitate suarum praedicationum conuulsum eunt! Quamquam, etiamsi aliud nullum argumentum protulissem, testium, qui rei interfuere, nulla nomina edidissem, testes ipsos nullos produxissem, sed vnum hoc vos docuissem, hos venales habere criminationes atque denuntiationes, quicunque eos contra me mercede conducat; deficiente autem munerario, mecum familiarissime conuersari: poterat hoc

vel

vel solum vos inducere ad me absoluendum, eamque de his opinionem vestris animis iniicere, vt eos omnium hominum periuriis contaminatissimos haberetis. Ecquam tandem litem, quamuis iniusta et triuiali de causa, hi non capessant? Ecquod hi iudicium decipere reformident? ecquae iuramenta a se dicta hi violare sibi religioni ducant? qui nunc quoque pro vilissima mercede triginta minarum, quam a Poristis [prouisoribus] et a Poletis [sectoribus] et ab exactoribus, ab eorumque scribis acceperant, quo me e senatu expellerent, tam horrendis sacramentis sese obstrinxerunt. Ecquid ita? quia nempe, audiens in prytaneatu meo, eos infanda et pudenda agitare, senatum ea de re certiorem feci, docuique modum, quo in rem inquirendum et ad latibula furtorum perueniendum esset. Vestigia a me demonstrata persecutus senatus inuenit praedam, furtorum poenas a praedonibus repetiit, ipsisque, et praedibus ipsorum, ab iisque denique, penes quos numi furto interuersi depositi erant. Flagitium in lucem protractum fuit tam claram, vt, ne si velint quidem, ipsi infitiari queant. Tam enormiter et crasse, atque furiose adeo, furati fuerant. Horum satellites atque protectores se gesserunt hi aduersarii mei; qui ecquod tandem in dicasterium veniant sine proposito, illud dicasterium circumueniendi? ecquod iusiurandum, quamuis sacerrimis diris horrens, violare cunctentur? Non, cum vos nossent Graecorum omnium sanctissimos, atque iustissimos iudices esse, tamen ad vos prodierunt cum proposito, si possint; sub larua tantorum iuramentorum vos decipiendi?

ACCES-

ACCESSIONES
AD
ANDOCIDEM, DINARCHVM
ET
LYCVRGVM
QVARTO COLLECTIONIS NOSTRAE VOLVMINE
CONCLVSOS.

PRAEFATIVNCVLA.

Iam alio in loco (Voluminis quarti in calce p. 135) significaui, partem illius voluminis posteriorem, domo absente me excusam, aliquanto, quam decebat, incultiorem atque deformiorem prodisse. Iuuat nunc, profligatis reliquis minoribus oratoribus, tum omissa repetere atque supplere, partim corrigere, iam anno superiori (1772) quidem parata; verum citius illa proferendi deerat oportunitas.

ANDOCIDIS ORATIO

de mysteriis, seu sacris Eleusiniis profanatis.

Inimicorum copias ardoremque quocunque modo mihi per fasque nefasque nocendi, quo me, a principio inde, vt primum hanc in vrbem redii, exagitarunt, vos paene omnes, viri, arbitror intelligere, vt necesse non sit hac de re plura verba facere. Ego vos potius, viri, rogabo rem, et aequam, et quam mihi indulgere facile vobis sit, et qua me potiri mea inprimis refert; primum nempe hoc, vt vobiscum reputetis, me nunc huc sponte mea venisse, nulla coa-

ctum neceſſitate inter vos verſandi: (neque enim vades conſtitueram, neque vinculis conſtringebar) ſed fiducia, praecipue quidem veri et aequi, tum vero veſtri quoque, qui mihi videremini de me iuſta et aequa pronuntiaturi, neque paſſuri ab inimicis me meis opprimi; ſed potius, prout fas eſt, in viuis me ſaluisque conſeruaturi, veſtrisque legibus conuenienter, et iuriiurando, cuius a vobis dicti auctoritate ſententiam feretis. Merito enim, viri, de his, qui vltro ſeſe in diſcrimina demittunt, vos quoque idem cenſeatis, quod ipſi de ſemet cenſent. Quicunque enim in vrbe manere, veſtrique ſortem iudicii exſpectare atque ſuſtinere ideo noluerunt, quia ipſi ſeſe ſua ſententia criminis admiſſi condemnaſſent, recte vos de his eadem ſciſcatis, quae ipſi de ſeſe ſciuerunt. Contra vero, quicunque manſerunt, fiducia ſuae conſcientiae, quod nullius ſibi ſint ſceleris conſcii, decet vos de his eadem ſtatuere, quae ipſi de ſeſe ſtatuunt, neque eos condemnare, quos ſua non condemnat conſcientia. Exemplo, quae modo diſputaui, confirmabo, et, ne longe abeam, meo. Multi mihi retulerunt, inimicos meos haec inter ſe iactare, me non videri in vrbe manſurum, ſed fuga ſalutem quaeſiturum. Ecquid enim Andocides quoque ſpectans (ita aiunt) certamen adire tantum audeat, cui liceat hinc digreſſo vitae praeſidia commoditatesque omnes habere? cui in Cypro ſit, illuc ſi iuuet per mare contendere, vnde modo venit, ager et ſpatioſus, et fertilis, et gratuito datus. Caput ille profecto periculo nolet obiicere. Ecquid enim ſpectet? quo fidat? annon ciuitatem videt, quo ſit animo? Ego vero, viri, multum ab his diſſentio. Ciuitas enim haec etiamſi ſic ſe haberet, atque hi aiunt, oblatam tamen ego equidem amplecti nolim conditionem, alibi in rerum omnium affluentia viuendi, ſed ſic, vt patria carendum mihi ſit. multo enim-

enimuero ciuis ego patriae malim esse, quam aliarum ciuitatum, etiamsi hac aetate nonnullae rebus florere secundis videantur. Hac ego mente armatus permisi vobis corpus meum, de quo iudicetis, rogans vos, vt mihi pro me dicenti benigniorem, quam accusatoribus, praebere velitis audientiam; cum sciatis, etiamsi pari diligentia ambas partes audiatis, defendentem tamen loco semper esse iniquiore. Alteri enim accusationem edunt, dudum ante ex insidiis praemeditatam et compositam, ex tuto, versantes ipsi extra periculum. Ego vero metu constrictus, et periculo septus, atque infamia obrutus maxima, ad mei purgationem accedo. Quocirca vos decet, erga me animis magis, quam erga accusatores, propendere; praesertim si reputetis, id quod vos reputare velim, saepe factum esse, vt accusatores, qui reos criminibus plurimisque et atrociſſimis oneraſſent, ſtatim et incontinenti tam aperte et liquido mendaciorum conuincerentur, vt vos multo libentius accusatores condemnaueritis, quam accusatos. non raro item vsu venire, vt falsi testes, cum testimoniis venalibus et ementitis homines insontes per nefas perdidissent, falsi testimonii coram vobis dicti coarguantur, at tum demum, quum id iam nil prodesse possit iis, qui malum accepissent. Errores igitur huiusmodi cum quotidie innumeri eueniant, consentaneum est, vos, nondum audita defensione, accusatorum criminationibus non protinus coecam fidem adhibere. Nihil enim aliud ex accusatoris oratione licet colligere, quam hoc, atrociane sint, an minus, quorum me accusator reum insimulauit; verane autem illa sint, nec ne, id vero negatum vobis est prius intelligere, quam ex me audiueritis, quae pro me dixero. Iam delibero mecum, vnde ordiri defensionem debeam. vtrum a nouissime factis, hoc est, vtrum vos docere debeam, accusatorem contra

formulam iuris in foro noſtro vſitati actionem ἐνδείξεως aduerſus me inſtituiſſe; an Iſotimidae decretum dudum abrogatum eſſe; an, quae leges et quae pacta iureiurando ſancita accuſationi huic obſtent; an denique a principio inde repetens totam rem, vt geſta fuit, ordine exſequar. Dicam vobis, hanc dubitationem quid praecipue mihi iniecerit. Non eſt vobis omnibus par et aequalis ad omnia accuſationis capita ſeueritas, ſed alii veſtrum hoc crimen, alii aliud, ante omnia a me dilui cupiunt. Atqui omnibus ſimul occurrere negatum eſt. Quapropter conſultiſſimum duco, me a principio inde orſum, quae geſta ſunt, omnia enarrare, atque vos docere, nihil omittentem. Recte enim ſi rem edocti totam teneatis, facile vobis erit immanitatem mendaciorum noſcitare, quibus me accuſatores oppreſſum ierunt. Confiſus itaque vos aequa et vera eſſe pronunciaturos, et ad iudicandum acceſſiſſe cum animo parato argumenta admittere atque probare ea, quorum firmitate fretus ego manſi in vrbe, et huius iudicii diſcrimen obii; cernens item vos, et publicis, et priuatis in cauſis hoc vnum ſummi facere, eique vni operam inprimis dare, vt in pronuntiando religionem pactorum iureiurando ſancitorum tueamini, quae vna res ſola ciuitatem continet, inuitis iis, qui id ita eſſe nolint; rogo vos, vt beneuoli me audiatis cauſam meam dicentem, neque depoſita iudicum, quam geritis, prouincia, perſonam accuſatorum ſuſcipiatis, neque veritatem a me dicendorum ſuſpectam habeatis, neque vocabula aucupemini; ſed a principio inde ad finem attenti et propitii defenſionem meam audiatis, atque, poſtquam peroraueró, tum demum id pronuntietis, quod vobis et veriſſimum atque rectiſſimum et cum iureiurando a vobis dicto conuenientiſſimum videbitur eſſe. Tenebo autem, id quod recepi facturum, defenſionis

hunc

hunc ordinem, vt eundo per singula a capite ad calcem, primum ipso de delicto, vnde actio haec ἐνδείξεως seu indicationis coaluit, quae mihi necessitatem huius defensionis circumposuit, et hoc in discrimen me coniecit, de sacris puta Eleusiniis profanatis, ita agam, vt planum faciam, neque impietatem vllam a me commissam esse, neque consortem impietatis quemquam indicatum, neque mea memet confessione, super hoc quidem crimine, grauatum esse, neque mihi constare, verane sint, an falsa, quae indices de profanatoribus sacrorum Eleusiniorum retulerunt. Haec sunt ea, quae iam nunc vos docebo. Habebatur ea concio, qua mandata essent danda creatis paulo ante imperatoribus classis in Siciliam mittendae, Niciae puta, et Lamacho, et Alcibiadi. Iam triremis illa, quae imperatorem Lamachum illuc erat peruectura, extra portum stabat in anchora. Ibi Pythonicus, cum assurrexisset, ita cum populo egit. Vos quidem, inquit, exercitum ablegatis tantum, tanto cum apparatu, et tantum adire parati estis periculum. Ego vero planum vobis faciam, imperatorem vestrum Alcibiadem sacra Eleusinia in domo quadam vna cum aliis quibusdam factitare; et vos id si feceritis, cuius ego vobis auctor sum, vt scisatis impune ei fore, quem ego huius sceleris indicem produxero, producam ad vos seruum alicuius viri clari, hac in concione coram assidentis, qui seruus, initiatus cum non sit, tamen arcanorum sacrorum coerimonias omnes vobis enarrabit. Quod si seruus ille minus fecerit, eoque ego mendacii dicti conuincar, do vobis corporis mei potestatem, vt de me, quodcunque voletis, statuatis. Haec Pythonicus. Cui cum diu multumque oblocutus esset Alcibiades, factum pertinaciter infitians, visum fuit prytanibus, discessum e concione non initiatis imperare; ipsi autem ad puerum ibant, ad quem Pythonicus eos

ablegabat. Reuerſi in concionem ſecum adducebant ſeruum Polemarchi; cui ſeruo nomen erat Andromacho. Is, promiſſa decreto impunitate, ſi indicaret, confirmauit, ſacra Eleuſinia per mimum domi Polytionis agi. Alcibiadem et Niciadem et Melitum agere partes ſacerdotum ſacra facientium; ſed alios quoque adeſſe, ſpectatores eorum, quae fierent. quid? quod ſeruos adeo intereſſe, vt ſe, fratremque, et Hiceſiam tibicinem, et Meliti ſeruum. Primus igitur hic Andromachus haec indicauit, et horum edidit nomina, a commentarienſi publicis in tabulis conſignanda; quorum non niſi vnus Polyſtratus comprehenſus et morti datus fuit. Reliqui enim fuga euaſerunt, et extremum deuitarunt ſupplicium, quod vos ipſis decreto veſtro irrogaueratis. Cape tu iſtoc, et recita. *Nomina e tabulis publicis.* „Andromachus hoſce indicauit, Alcibiadem, Niciadem, Melitum, Archebiadem, Archippum, Diogenem, Polyſtratum, Ariſtomenem, Hippiam, Panaetium.„ Prima fuit haec, o viri, ab Andromacho facta indicatio contra hos, quos dixi. Et tu cita mihi Diognetum. „Dic, Diognete, fuiſtine inquiſitor, cum Pythonicus in concione populi Alcibiadem deferret? Fui. Noſti ergo Andromachum indicaſſe ea, quae domi Polytionis fierent? Noui. Nomina virorum, quos ille detulit, ſuntne haec? Sunt.„ Secunda priorem illam excepit denuntiatio haec. Teucer erat quidam, qui cum aliquamdiu rem inter nos pro inquilino habuiſſet familiarem, hinc migrauit, periculum deuitans, et Megaram ſe transtulit. Vnde ſenatui [Athenienſi] recipiebat, ſi impunitatem adipiſceretur, quaecunque de ſacris profanatis noſſet, omnia bona fide indicaturum; quippe qui ſceleris conſors et adminiſter fuiſſet, et reliquos nominatim proditurum, qui ſecum ſcelus participaſſent, nec non de Hermis mutilatis, quae noſſet, omnia in lucem

cem prolaturum. Decreto ſenatus, cui plenam poteſtatem pro arbitrio ſuo hac in re agendi plebs dederat, miſſi ſunt Megaram, qui Teucrum illinc arceſſerent. Is, impetrata impunitate, huc reuerſus, nomina edebat eorum, quos ſui ſecum ſceleris aiebat eſſe conſortes. Etiam hi ſecundum Teucri indicium fuga ſalutem quaerebant. Cape tu mihi haec ipſorum nomina atque recita. *Nomina*, „Teucer hos indicauit. Phaedrum, Gniphonidem, Iſonomum, Hephaeſtodorum, Cephiſodorum, ſe ipſum, Diognetum, Smindyridem, Philocratem, Antiphontem, Tiſarchum, Pantaclem.„ Meminiſtis vtique, viri, etiam haec omnia coram vobis confeſſionibus eſſe confirmata. Tertia tum facta eſt iſtaec indicatio. Mulier quaedam, Agariſta nomine, quae penes Alcmaeonidem nunc eſt in matrimonio, olim penes Damonem fuit, haec igitur indicauit, in domo Charmidae, quae prope fanum Iouis Olympii eſt, Alcibiadem ſacra arcana factitare, nec non Axiochum et Adimantum. Ab hac indicatione etiam hi auffugerunt.

Vna adhuc ſuper eſt indicatio a me commemoranda. Lydus erat, ſeruus Phereclis, Themakienſis. Hic indicauit, in domo Phereclis, heri ſui, in Themaco, ſacra clandeſtina fieri, aliaque inter nomina ab ipſo edita, mei quoque patris nomen edidit, quem dixit interfuiſſe quidem, verumtamen eorum, quae agerentur, nil vidiſſe, quippe qui pallio inuolutus dormiuiſſet. Speuſippus, tum ſenator, hos a Lydo indicatos, iudicio tradebat. Verum pater, datis vadibus, actionem in Speuſippum ordiebatur ex titulo proceſſus contra formulam iuris forenſis. Quod certamen in conſeſſu ciuium ſexies mille decertatum eſt; quo e tanto numero Speuſippus ne ducenta quidem tulit ſuffragia. Vt autem pater in vrbe maneret, huiusque iudicii diſcrimen ſubiret, ego inprimis auctorita-

te mea precibusque ab eo impetraui; accedentibus eo aliorum quoque cognatorum cohortationibus. Cita tu mihi Calliam et Stephanum, et Philippum, et Alexippum Sunt enim hi Acumeni et Autocratoris cognati, qui [Acumenus et Autocrator] secundum Lydi indicium fugerunt. Alterius enim [Calliae] e fratre [vel sorore] nepos est Autocrator, alterius autem [Stephani] auunculus est [vel patruus] Acumenus. Quos [Calliam, Stephanum, Philippum et Alexippum] par est, vt odisse eum, qui cognatos suos hinc expulit, ita optime quoque eum nosse, per quem illis ex vrbe auffugiendi necessitas admota fuit. Intuemini vos [Callia, Stephane, caeterique] in horum [iudicum] vultus, et testamini, num vera loquar. *Testes.* Facta audistis, viri, ex me et e testium confirmationibus. Accusatores autem quae dixerint, recordamini. Ita enim par est defendentem se gerere, vt nempe, cum criminationes accusatorum iudicibus in memoriam reuocauerit, tum demum eas refutet. Affirmarunt nimirum, de sacris arcanis me indicasse, et in nominibus consciorum exhibuisse patris quoque mei nomen, vt eius, qui interfuisset. Sic factum me esse indicem patris. Quae profecto est atrocissima omnium atque sceleristissima oratio. Nam qui nomen eius detulit, is Lydus fuit, Phereclis seruus. fugere autem volentem patrem ego retinui atque ad manendum sum cohortatus multis et infimis precibus, ad genua eius supplex aduolutus. Atqui si ego ipse patrem indicassem, cur eum postmodum precibus a fuga retrahebam? quid mihi volens? quid designans? Aut ecquid spectans pater, precibus meis victus, in eiusmodi certamen descendit, in quo facere non poterat, quo minus in duorum malorum alterum incurreret. Aut enim a manibus paene meis moriendum ipsi fuisset necessario, si ego patrem ipse detulissem, atque visus tum fuissem vere detu-

detuliſſe; aut, abſolutus ille ſi fuiſſet, abſolutio eius certam mihi necem atque ineuitabilem attuliſſet. Lex enim ſic edicit: indici ratam et validam eſſe impunitatem, ſi veritas eius indicio conſtiterit. Sin autem falſa indicarit, moriendum ipſi eſſe. Iam certi eſtis vos omnes, meque patremque ſaluos abiſſe. Id quod fieri nullo modo potuiſſet, ſi ego patrem detuliſſem. Eo enim facto, neceſſe vtique fuiſſet, aut eum, aut me extremum pati ſupplicium. Fac tandem tamen, patrem manere voluiſſe, iudiciique ſortem ancipitem opperiri. Exiſtimatisne, paſſuros fuiſſe amicos eum manere, aut ipſos voluiſſe fideiuſſores eius fieri, et non potius ab eiusmodi propoſito eum dehortaturos fuiſſe atque rogaturos, vt eo ſe reciperet, vbi et ipſe ſaluus eſſet futurus, et me in exitium non eſſet coniecturus. Imo vero cum pater Speuſippum actione occoepti contra ius forenſe proceſſus perſequeretur, haec ipſe pro ſe dicebat: in Themacum, ad Phereclem, ſe nunquam veniſſe. mancipia ipſe ſua ad tormenta offerebat, eaque vt iis ſubiiceretis, vos hortabatur, negans aequum eſſe, ſi quis ipſe ſponte ſua ſeruos torquendos offerat, vos tum conditionem repudiare; contra qui tradere recuſet, eum ad tradendum cogere. Ab hac vos pater exercendi iudicii iniquitate tum dehortabatur. Haec patri tum pro ſe diſputanti, quae eum diſputaſſe vos omnes probe noſtis, quid erat Speuſippo reliquum, quod opponeret, aliud quam hac vti oratione [ſi verum fuiſſet id, quod accuſatores iactant?] Quid tu mihi multa, homo, de mancipiis blateras? Non filius te tuus indicauit? Non is te ait in Themaco adfuiſſe? et tum ad me conuerſus dixiſſet. Argue tu, Andocide, patrem, aut nulla tibi iam amplius ſupereſt impunitas. Hac oratione tum fuiſſet vſurus Speuſippus; aut num minus vobis videtur? Vſurus vtique fuit, mea quidem ſententia. Quod-

si ergo aut vnquam ego hac quidem de re in iudicium vocatus sum, aut in hac causa sacrorum profanatorum nomen meum vel semel modo a quoquam est commemoratum, aut indicatio quaedam supereſt nomen meum praeferens, aut indiculus proſtat in tabulis publicis nominum delatorum, non dicam a me in fraudem hominis alius cuiuspiam, sed solummodo ab alio quopiam in fraudem meam: ascendito hunc in suggestum, quicunque vult, et me coarguito. Verum enim vero non noui, qui magis impia dixerit, et a veritate atque a probabilitate magis abhorrentia, quam hi dixerunt, qui, quod agerent, sibi datum existimarunt nihil aliud, quam vt auderent solummodo accusare; quid autem se futurum esset, si mendacii conuincerentur, id in mentem sibi venire nunquam passi sunt. Quemadmodum igitur, vera si fuissent crimina, quorum me insimulant, vos in me fuissetis saeuituri, dignumque vestra duxissetis persona, poenam mihi quam grauissimam infligere, sic contra ego vos nunc rogo, atque iure meo postulo, vt hos, quos mendaces deprehenderitis, homines impios habeatis, et hinc colligatis, facili negotio me posse multo magis reliquis quoque in rebus, quae momenti sunt multo leuioris, hos mendacii conuincere, qui commiserint, vt in momentis accusationis longe grauissimis atque teterrimis tam perspicui mendacii arguerentur. Hoc igitur modo quatuor factae sunt de sacris profanatis indicationes hae, quas dixi. Secundum quarum vnamquamque qui in exsilium ierunt, eorum vobis recitaui nomina, et testes testati sunt. Ego vero, quo fidem vobis creem tanto certiorem, praeter ista hoc adhuc faciam. Eorum, qui per causam horum sacrorum profanatorum in exsilium ierunt, alii decesserunt exsules, alii vero domum redierunt, et in vrbe versantur, et a me inuitati, hoc in iudicio praesto mihi sunt.

Horum

Horum igitur vnicuique potestatem facio, currente aqua mea, mendacii vt me coarguant, docendo, aut ipsorum aliquem propter me in exsilium migrasse, propterea quod a me suum nomen fuisset indicatum, aut non per illas, quas modo dixi, indicationes factum esse, vt eorum quique in exsilium irent. His in rebus si qui me mendacii coarguent, statuite de me quicquid vobis allubebit, et conticesco, et hoc decedo de suggestu, quicunque huc ascendere volet.

Age, videamus iam, viri, post istaec quid euenerit. Secundum indicationes videlicet orta est de praemiis earum contentio. Nam e Cleonymi decreto mille drachmae solummodo, e Pisandri autem decies mille constitutae erant in praemium. Super hoc itaque praemio inter se contendebant ipsique iudices, et Pythonicus, ideo sibi praemium arrogans, quod primus rem ad concionem retulisset eique aperuisset, et tandem Androcles, qui praemium hoc senatui deberi contendebat. Placuit itaque populo, vt senatorum illi, qui sacris Eleusiniis essent initiati, in dicasterio Thesmothetarum indices examinarent super ipsorum indicationibus, quemque super sua, eoque facto causam praemiorum dandorum ipsi arbitrio suo discepta-rent. Sic hi senatores primum et praecipuum praemium Andromacho, secundum autem Teucro adiudicarunt, et ille quidem decies mille drachmas tulit, hic autem mille solummodo. Cita tu mihi horum testes. *Testes.* Iam de crimine sacrorum profanatorum, cuius criminis ergo actio haec, in iure forensi ἔνδειξις dicta, in me intenta est, et de quo vos, qui estis initiati, cognitum atque disceptatum huc conueniistis, planum vobis testatumque feci, me neque ipsum deos impietate violasse, neque alios de commissa erga deos impietate vltro accusasse, neque interrogatum esse fassum de me, aut de quoquam alio, impietatis

tatis reo, denique penes me culpam esse nullam ad sacra dearum pertinentem, neque maiorem, neque minorem. Atque hoc a me vobis persuaderi summi facio. Exsultabat quidem hoc in loco accusatorum oratio, nescio quae formidanda atque tremenda oculis praemonstrans, ad quorum recordationem mens arrecta cohorresceret. Repetebant enim ex aetatum superiorum exemplis, si qui alii circa deas hasce, [Cererem puta atque Proserpinam] impium quid ausi fuissent, quam saeuas illius impietatis poenas eorum quisque dedisset. Harum autem narrationum ecquid ad me pertinet? ecquod horum facinorum? Multo enim aequius ego illos accusem, et propter hoc ipsum aio, illos quidem oportere supplicio dari, quod impii sint, [impietas enim est, si quis innocentem impietatis insimulatum perfurndet] me autem seruari, quod nihil deliquerim. Foret vtique graue et acerbum, si vos in me saeuiretis ob aliena delicta, et infamiam e falsa criminatione mihi contractam plus valere veritate duceretis oportere, tametsi sciretis illam criminationem ab inimicis meis profectam et in me per nefas esse intortam. Liquet enim, iis, qui talia crimina [cuiusmodi ea sunt, quorum ego reus agor] reuera perpetrarunt, [non solummodo criminatione tenus] in infitiatione nullum esse perfugium nullamque excusationem. Manet enim eos scrutinium seuerum et formidabile ab iis, qui religiones vsu suo tenent. Mihi vero scrutinium in eiusmodi causa est iucundissimum, vbi ad salutem impetrandam nil opus habeo vos rogare, atque, vt in tali causa, deprecari; sed satis est ad periculi depulsionem, argumenta accusatorum a me refutari, atque facta vobis in memoriam reuocari, qui sacramentum dixeritis sanctissimum, cuius ob auctoritatem de me sitis suffragia laturi, et qui diris vosmet ipsi ore vestro dictis grauissimis obstrinxeritis, vosque

que ipsos et necessarios vestros, nisi in iure de me dicundo aequum et iustum sequamini, praetereaque initiati sitis, et deorum sacris ipsi spectatores interfueritis. Vobis itaque facta solummodo ad memoriam reuocanda sunt, quo cum impios puniatis, tum insontes absoluatis, atque soluos praestetis. Existimate itaque flagitium nihilo leuius esse, si homines insontes, impietatis rei facti, a vobis condemnentur, quam si reuera contaminatos impietate nil curetis castigare. Quare vobis ego multo etiam magis, quam accusatores faciunt, demando atque delego, et per deos vos adiuro, tam sacrorum ipsorum causa, quae spectastis, quam Graecorum, qui festi huius ergo huc conueniunt, vt, si quid impium me commisisse, aut aliena conuictione, aut meamet ipsius confessione constiterit, aut si quem ego alium de impietate indicauero, aut alius me, vt vos me tum occidatis. Nil intercedo, nil deprecor. Sin autem nihil huiusmodi peccaui, et vos huius rei ita feci certos, vt dubium nullum supersit, tum rogo vos, vt ad Graecos omnes testatum faciatis, me per nefas in hoc certamen coniectum esse. Facietis autem id hoc modo testatum, si Cephisium damnetis. Cephisius enim, qui actionem indicationis hanc in me intendit, si quintam suffragiorum partem haud tulerit, infamia notabitur, eoque facto non licebit ipsi in templum Dearum ingredi, aut, si fecerit, morte mulctabitur. Quod si iam vobis videbor hoc de crimine id, quod satis sit, dixisse, significate id mihi nutu, quo de reliquis quoque me hoc lubentius atque confidentius purgem. Sed significatis nimirum, vobis a me hoc de capite satisfactum esse. Quapropter de simulacrorum amputatione, et de indicatione ad hanc amputationem pertinente, vt recepi vobis facturum, ita nunc faciam, vt rem a principio inde totam enarrando vobis proponam. Teucer vt, impunita-

tem

tem nactus, a Megara huc rediit, et de sacris profanatis, quae norat, indicauit, [de quo paulo ante memini me dicere] et de iis, a quorum audacia simulacra fuissent mutilata, et scripto consignauit duodeuiginti virorum nomina, hoc scelere implicatorum. Quo facto alii eorum fuga se subduxerunt, alii comprehensi morte luerunt, ex indicina Teucri. Recita tu mihi eorum nomina. *Nomina.* „Teucer super Hermis indicauit Euctemonem, Glaucippum, Eurymachum, Polyeuctum, Platonem, Antidorum, Charippum, Theodorum, Alcisthenem, Menestratum, Eryximachum, Euphiletum, Eurydamantem, Phereclem, Melitum, Timanthen, Archidamum, Telenicum.„ Horum alii, ab exsilio domum reuersi, nunc in vrbe commorantur, aliorum fato suo defunctorum necessarii multi numero supersunt, quorum quicunque volet, oratione mea tenente, ascendito atque me redarguito, demonstrans, horum virorum quemquam propter me aut in exsilium isse, aut mortem toleraſſe. Secundum haec Pisander et Charicles, qui in numero quaesitorum essent super hoc negotio creatorum, atque id temporis studiosissimi plebis haberentur, auctores fiebant, quod facinus istud haud paucorum esset, sed ad iuris ciuilis atque status popularis euersionem pertineret, plures adhuc quaesitores creari, et a quaerendo non prius desisti, quam vlcus hoc funditus esset exstirpatum. Praeterea tota ciuitas trepidabat, vnoquoque de se metuente. Praeco enim quam primum proclamasset, licere iam senatui in curiam redire, signumque detraxisset, protinus a signo detracto, senatus quidem redibat in curiam, plebeiorum autem nemo in foro manebat, sed vnusquisque domum festinabat, metuens ne comprehenderetur. Malis hisce reip. domesticis illectus Dioclides ad cupiditatem turbarum ciendarum, per quas ipse crescceret, et ad spem nouarum

rum

rum rerum erectus, vltro ad senatum intronuntiauit, se nosse, qui Hermas mutilassent, et esse ad trecentos numero, vnaque, qui vidisset, atque negotio, cum gereretur, interuenisset, exposuit. Atque his, ego vos, viri, rogo, vt animum attendatis, a vestraque memoria requiratis, num vera dicam, et vt alii conscii harum rerum alios vestrum adhuc ignaros doceant. Haec enim, quae refero, in collegio vestro dicta et gesta sunt, et vos horum mihi testes estis. Dioclides nimirum sibi seruum aiebat esse super argentifodina sua in Laureo. Ab illo seruo sibi tum fuisse aufferendam ratam portionem mercedis annuae pactae ex illius argentifodinae fructibus. Quo itaque in Laureum iret, illamque mercedis pensionem a seruo suo exigeret, mane se surrexisse, atque in viam se dedisse citius, quam oportunum fuisset, quia in tempore noctis erasset; sed fuisse plenilunium. Vbi ergo ad propylaeum fani Bacchi venisset, vidisse multitudinem hominum ab Odeo descendentium in Orchestram; quorum metu se in fanum ingressum in vmbra consedisse, intra columnam et pilam illam, super qua Strategus stat ille aeneus. Ibi se vidisse hominum ad trecentos, globatim stantes, alias quinosdenos, alias vicenos. Luna in ora ipsorum irradiante, se ex vmbra prospectantem, noscitasse plerosque. Iam mihi cogitate, quaeso, viri, hoc, quam dirae et quam formidandae rei documentum, atque exemplum propositurit, qui pro concesso atque licito sibi sumserit hoc, vt penes se esset, quem ciuem Athenienſem ipsi allibuissent, ei globo coniuratorum interfuisse affirmare, et rursus negare interfuisse, si quem negare placeret. Sed pergo narrare. Dioclides itaque ista cum vidisset, ad Laureum se aiebat ire perrexisse. tum die istam noctem insecuta famam de Hermis mutilitatis accepisse. Ibi statim agnouisse, facinus illorum, quos vidisset, virorum esse. Postmodum

dum in vrbem reuerſum ſe deprehendiſſe quaeſitores deputatos, et praemium indicinae puhlice praeconis voce promulgatum, centum minas. Ibi cum Euphemum vidiſſet, Calliae fratrem, Teleclis filii, in officina fabrili ſeraria ſedentem, abduxiſſe eum in fanum Vulcani, ibique ei eadem dixiſſe, quae ego vobis paulo ante referebam; quod nimirum illa nocte nos vidiſſet. Cauſae ſibi nihil eſſe, cur a rep. mallet pecuniam, quam a nobis, aufferre; praeſertim ſi poſſet eadem opera noſtram quoque inire gratiam. Euphemum ad haec ſubieciſſe: recte facere Dioclidem, quod huius rei ſe certiorem feciſſet, hortatumque fuiſſe, vt iam ſtatim ſecum ad aedes Leogorae adiret; quo ibi poſſis, inquit, (reddo ipſius Euphemi verba) mecum agere cum Andocide et cum reliquis, quorum intereſt. Sed promittebat Dioclides die poſtera venturum. Veniſſe quoque, aiebat, et pultaſſe fores. Ibi patrem meum forte fortuna exeuntem ad ſe, Dioclidem, haec dixiſſe. Iam dudum hi te exſpectant. Tales vtique amicos aſpernari haud conuenit. His cum dictis abiſſe patrem. Hoc modo Dioclides patrem meum peſſumdatum ibat, denuncians pro ſcelcris conſcio. Nos autem aiebat ipſi confirmaſſe, decretum a nobis eſſe, vt, pro centum minis, ab aerario promiſſis, centum et viginti nos daremus minas; cupitisque ſi potiremur, iilum a nobis in collegium noſtrum cooptatum iri. Interim nos in conditionis fidem iusiurandum, et illi dicturos eſſe, et ab illo viciſſim exacturos. Ad haec aiebat Dioclides ſe reſpondiſſe, deliberaturum ſe eſſe; nos autem ipſi mandaſſe, vt in aedes Calliae, filii Teleclis, nobiscum conueniret, quo etiam ille adeſſet. Hoc modo rurſus ſororis quoque meae maritum Calliam peſſumdare ſtudebat. Conueniſſe aiebat Dioclides ad Calliae, et inde praeiſſe nobis viam in arcem, ibique fidem nobis ſuam iureiurando obligaſſe, [de ſcelere

lere non prodendo] et nos viciſſim de mercede pactos eſſe, ſub ingreſſum proximi menſis dependenda. Iam vero promiſſum fefelliſſe, pecuniam conditam haud praeſtantes. Propterea ſe nunc ad ſenatum adire, facta indicatum.

Haec ſunt, o viri, quae Dioclides hac de re in ſenatu verbis prodidit. Sed et praeterea indicem exhibuit literis conſignatum eorum, quos ex illa ingente hominum turba iſta nocte ſe noſcitaſſe aiebat, ad duos et quadraginta; et primos quidem edebat Mantitheum atque Aphepſionem, quamuis ſenatores eſſent, atque in curia ſederent. Ibi Piſander cum aſſurrexiſſet, auctor fiebat ſenatui, vt decretum ſub Archonte Scamandrio latum reſcinderet, eoque facto, quotquot in illo indice Dioclidis nominatim eſſent deſignati, omnes in equuleum imponerentur, quo de ſceleris conſortibus omnibus ante noctis aduentum conſtaret. Succlamabat ſenatus, eum recta ſuadere. Manthitheus autem et Aphepſion, iſtis auditis, ad aram Veſtae confugiebant, in qua ſupplices deſidentes rogabant, vt tormentis ne ſubiicerentur, ſed ſibi liceret, fideiuſſoribus datis, interim diſcedere domum, et iudicio legitime inſtructo ad cauſam dicendam dicta die adeſſe. Aegre impetrabant. Dabantur praedes. Illi vero e laqueo elapſi protinus in equos ſe coniiciebant, fugam capeſſebant, ad hoſtes transfugiebant, deſtitutis vadibus, quos ex legis praeſcripto iisdem oportebat poenis teneri, quibus vadati damnarentur. Senatus interim, ſub ſponſione iurata ſilentii ſeruandi, digreſſus curia, nos comprehendebat, atque compeditos ad cippos alligabat. Strategis autem in curiam arceſſitis demandabat, vt per praeconem promulgarent, quicunque Athenienſis in vrbe habitaret, vt is in forum armatus conueniret; qui autem in longis moeniis, vt in Theſeum; denique Piraeei incolae, vt in Hippodamiam,

forum ibi ſic dictum, coirent; equitibus porro vt ſignum tuba darent ad conueniendum illa ipſa adhuc nocte ad Anaceum [ſeu aedem Caſtoris et Pollucis.] Senatus iubebatur in arcem aſcendere, atque ibi pernoctare, Prytanes autem in Tholo. Quos tantos motus Boeoti quum fama accepiſſent, in armis ad agri noſtri confinia exibant, euentumque praeſtolantes ibi excubabant. Interim Prytanes tantarum turbarum concitorem Dioclidem, veluti ſoſpitatorem quendam ciuitatis in carrhucha vectum in Prytaneum arceſſebant, ibi coronandum; coenabatque cum Prytanibus. Primum quidem haec, o viri, vobis ipſi ad memoriam reuocate, quotquot tum interfuiſtis, caeterosque veſtrum, quotquot harum rerum nihil tenent, docete; deinde tu mihi Prytanas, qui tum illo honore fungebantur, intro voca, Philocratem et reliquos. *Teſtes.* Age iam nomina quoque vobis recitari curabo virorum, quos Dioclides illo in indice annotauit, quo ſciatis, quot ille cognatos mihi perditum ierit, atque neceſſarios; primum quidem patrem, deinde vero ſororis maritum, illum, declarando conſcium, hunc vero eo, quod affirmaret in eius domo [coniuratos] conueniſſe [vel, ſe congreſſum eſſe cum coniuratis.] Reliquorum audietis nomina iam ſtatim. Recita tu ipſis. „*Charmides Ariſtotelis.* Hic conſobrinus meus eſt. Mater enim eius, meusque pater iisdem erant editi parentibus. *Taureas.* Hic eſt patri meo conſobrinus. *Iſaeus*, *filius Taureae.* *Callias Alcmaeonis.* Alius hic eſt patris conſobrinus. *Euphemus*, *frater Calliae*, [non huius, ſed illius alterius,] *qui Teleclis filius eſt*, [penes quem ſoror mea domi eſt in matrimonio.] *Phrynichus Erchienſis.* Hic meus eſt conſobrinus. *Eucrates*, Niciae [imperatoris] frater, penes quem Calliae ſoror eſt. *Critias.* Etiam hic patris eſt conſobrinus. Amborum enim matres erant ſorores. Hos omnes Dio-

Dioclides in illis quadraginta viris nominauit, quorum nomina tenebat index ab eo ſenatui exhibitus. Nos itaque omnes quotquot ſecundum iſtud Dioclidis indicium comprehenſi et carceri mandati fueramus, quum vna eſſemus eodem in carcere, compedibus nexi, et nox eſſet, clauſoque carcere, admiſſae a ianitoribus venirent ad alium mater, ad alium ſoror, ad alium vxor, cum liberis, et carcer comploratu reſonaret atque lamentis eiulantium et mala praeſentia miſerantium, Charmides, conſobrinus et aequalis meus, vnaque mecum a puero inde noſtra in domo educatus, hac me compellauit oratione. Andocide, inquit, vides tu quidem praeſentium malorum magnitudinem; ego vero cur tibi ſuperiori tempore moleſtus monitor atque conſultor fierem, meaeque te ſeueritate reprehenſionis offenderem, cauſae nil admodum mihi videbam eſſe. Iam vero calamitas, qua circumuenti tenemur, me nunc cogit tecum queri, hortaturque, vt agendorum tibi auctor fiam. Quibus tu adhnc familiariter vſus fuiſti, Andocide, procul habitis et ſpretis nobis, qui tibi ſumus neceſſarii, illi propter haec eadem. ob quae nobis pereundum videtur eſſe, partim mortem tolerarunt, partim fuga ſalutem quaeſiuerunt, a conſcientia ſceleris condemnati et in exſilium acti. Quodſi ergo tu huius negotii quicquam tenes, age, prode id, et ſic ſerua, primum quidem temet ipſum. deinde vero patrem tuum, quem a te ita diligi, vt nihil aliud magis, conſentaneum eſt; tum ſororis tuae maritum, quae tibi ſoror eſt vnica; denique reliquos cognatos atque neceſſarios, tot numero qui ſumus; tandem me quoque, qui tota mea vita nulla re te offendi, tuique ſum rerumque tuarum ſtudioſiſſimus, operaeque meae, vbi vſus venerit, quo tibi commodem, nil parco.„ Charmida iſtaec differente, caeterisque vna ſupplicantibus, et vnoquoque ſeorſim ob-

ſecrante, venit, o viri, mihi in mentem ſic cogitare. O hominum omnium ego calamitate vſus duriſſima, vtrum perire per nefas immeritos patiar meos neceſſarios, ipſosque morti dari, et bona eorum proſcribi, praetereaque ipſorum nomina ſtelis inſculpi, quaſi piacularium erga deos factorum, quamquam eorum, quae euenerunt, omnium nihil ab ipſis profectum eſt, neque ipſis imputari poteſt? Adde, trecentos Athenienſes num patiar per nefas immeritos interimi, ciuitatemque malis atrociſſimis mutuisque quorumque erga quosque ſuſpicionibus exagitari? an dicam Athenienſibus, quae ex Euphileto audiui, eo, qui ipſe patrauit ſcelus? Praeterea haec quoque mecum reputabam, o viri, plerosque ſontium, qui ſcelus manibus ſuis patraſſent, a Teucro iam indicatos, et ſic factum eſſe, vt alii eorum, capite ſuo luerent ſupplicio extremo affecti, alii in exſilium abirent, quibus abſentibus dicta fuit mortis ſententia. Non ſupereſſe, niſi quatuor, a Teucro non indicatos, Panaetium, Chaeredemum, Diocritum, et Lyſiſtratum; in quos vnos omnium maxime culpam commiſſi ſceleris a ſuſpicione omnium collatum iri credibile erat, quippe qui familiariter vſi fuiſſent illis, qui iam morti eſſent dati e numero indicatorum a Dioclide. Et illis quidem ne ſic quidem certa erat et perpetua ſalutis ſpes, etiamſi ego eos non proderem; meis autem neceſſariis certum imminebat atque ineuitabile exitium, niſi ſi quis Athenienſibus omnem rei geſtae veritatem aperiret. Quare ſatius mihi viſum fuit, quatuor viros a me patriae communione priuari, ſic meritos, qui nunc ſuperſunt adhuc in viuis, et in patriam ab exſilio redierunt, et bonorum ſuorum vſura gaudent, quam committere, vt neceſſarii mei inſontes ad mortis neceſſitatem adigerentur. Quodſi ergo cuipiam, non veſtrum, iudices, ſed veſtrum, o quotquot reliqui ciues Athenienſes hoc iudi-

iudicium circumſtatis, iſtaec olim de me inſedit opinio, ſodales a me meos eo fuiſſe indicatos, quo perirent ipſi, ego ſeruarer, cuiusmodi rumores inimici mei de me in vulgum ſparſerunt, criminari me atque in inuidiam ignominiamque adducere volentes, rem, quaeſo, ipſis e factis ſpectate. Nunc enim me quidem oportet rerum a me geſtarum rationem coram illis ipſis reddere, qui ob illa facinora exſilium tolerarunt, quorum facinorum ego eos inſimulaui; et qui omnium optime norunt verane dicam, an mentiar, et qui coarguere me mentientem poſſunt, orationem meam interpellantes. nam ego equidem eius rei copiam illis facio. Vos autem, o viri, rerum geſtarum veritatem certo explorare oportet. Nam in hoc mihi huius verſatur cardo certaminis, vt ſaluus et abſolutus ex hoc iudicio ita diſcedam, vt vobis, iudices, viſus fuerim homo non malus, neque ſceleratus eſſe; deinde vt reliqui quoque omnes intelligant, quicquid hoc in negotio a me geſtum et profectum eſt, id omne non per ſcelus eſſe commiſſum, ſed per ſiniſtram quandam atque calamitioſam eueniſſe fortunam, quae reip. quidem inprimis, tum vero nobis quoque priuatim, grauis incubuit; et quae dixi omnia, me dixiſſe ex Euphileto audita, prouidentia partim tuendae priuatae ſalutis neceſſariorum atque amicorum meorum, partim ſecuritatis publicae ciuium omnium, qua fieri poteſt, ſumma cum virtute atque honeſtate, nullo autem cum ſcelere, nulla turpitudine, vt ego equidem mihi perſuadeo.

Quodſi ergo res ſic ſe habet, aequum cenſeo, poſtuloque a vobis abſolui, atque dimitti ſaluo capite, ſaluisque fortunis et fama. Age, (oportet enim humanis de rebus humanis item modis cogitare, ac ſi ipſe quisque infortunio perculſus eſſet;) quid vnusquisque veſtrum, meo loco ſi fuiſſet conſtitutus, fuiſſet

facturus? Nam si eiusmodi fuisset optionis conditio, vt necesse fuisset, aut glorioſe mori, aut turpiter ſeruari, poſſit vtique indicina a me facta pro facinore improbo, degeneris animi nota, haberi. Quamquam vel ſic quoque haud pauci futuri fuiſſent, in ſimili loco, qui turpiter amicos indicare haud dubitaſſent, vitamque ingloriam morti praeclarae praeferre. Verum omnia contra erant. Nam ſi tacerem, turpi mortis genere, et ſumma cum infamia mihi erat moriendum, pro ſacrilego, tametſi ſacrilegium nullum commiſiſſem. tum impedire non potuiſſem, quominus pater periret, et ſororis maritus, et reliqui cognati, et tot numero conſobrini, quos omnes vnus ego peſſumdediſſem ſilentio meo, aliena crimina celante. Quos enim Dioclidis mendacium in carcerem coniecerat, eos inde liberandi atque extrahendi nulla patebat alia via, praeterquam haec, vt Athenienſes totam rem ex ordine, vt vere geſta fuiſſet, ex me intelligerent. Quod ſi ergo, quae hac de re auditu comperta haberem, ea reticuiſſem, factus fuiſſem illorumque homicida, et trecentorum praeterea ciuium Athenienſium, et ciuitas malis merſa fuiſſet ineluctabilibus. Haec euenisſent, ſi tacuiſſem. Exponendo autem rem, vt vere erat geſta, conſequebar iſtaec, vt et ipſe ſaluus abirem, et patri ſalutem redderem, caeterisque neceſſariis, et ciuitatem terroribus malisque teterrimis eriperem. At quatuor tamen viris a meo indicio erat exſulandum? At illi meriti hanc poenam erant criminibus, quae commiſerant. Reliqui a me indicati, a Teucro quoque iam dudum ante fuerant indicati, vt, qui hoc e numero aut morte mulctati ſunt, aut in exſilium ierunt, cenſendi ſint, non magis ob meum, quam ob Teucri indicium, hanc illamue poenam toleraſſe.

Haec itaque penſitans ego, viri, atque inter ſe comparans, malorum praeſentium inueniebam leuiſſimum,

mum, vt quam citiſſime rem, vt geſta eſſet, exponerem, et mendacia Dioclidis coarguerem, eoque inimicum vlciſcerer, qui nos quidem peſſumdatum iret, ciuitatem autem circumuentum, cui ſic illuderet, vt, quam labefactaret, ab ea ſummus Euergeta haberetur, praemiisque cumularetur. Profeſſus itaque in ſenatu ſum me ſcire ſceleris auctores, et expoſui facta, fidemque meae expoſitioni afferendis argumentis addidi. Compotantibus nimirum aliquando nobis Euphiletum auctorem conſilii factum eſſe de Hermis mutilandis, me autem interceſſiſſe. Rem itaque tum quidem omiſſam fuiſſe ob interceſſionem meam. Tempore poſt autem idem ad eandem rem exſequendam abſentia mea abuſus eſt. Erat nempe mihi equuleus. In hunc ego in Cynoſarge inſcendere volens, labebar, et clauiculam confringebam, et contuſionem in capite accipiebam, vt neceſſe eſſet me lecticae impoſitum pedibus alienis domum referri. Euphiletus ibi, ſentiens me ad coetus conſuetos non amplius conuenire, perſuadebat reliquis compotoribus, ad participandum facinus me quoque tandem oratione ſua eſſe permotum, fidemque ſibi deſpondiſſe de opera nauanda; nominatim de illo Herma, qui eſt ad fanum Phorbantis, truncando recepiſſe. quae omnia Euphiletus mentiebatur, de ſuo commentus, quo ipſis imponeret. Quo factum eſt, vt Hermarum, quotquot Athenis ſunt, omnium vnus ille ſolus non mutilaretur, qui, a tribu Aegeide dedicatus, prope domum noſtram paternam auitamque ſtat et ſupereſt adhuc, vt videtis, ſaluus atque incolumis. Confirmauerat nempe Euphiletus ſodalibus, me illo de Herma mutilando recepiſſe. In quo illi ſe falſos videntes, ferebant grauiſſime, ſui ſceleris me conſcium eſſe, qui nihil ad id peragendum contuliſſem. Altero itaque die poſt cum ad me conueniſſent Euphiletus atque Melitus, hac ad me

oratione vtebantur. Facta sunt, aiebant, Andocide, atque a nobis peracta, [quae nosti.] quodsi ergo te quietum continere atque tacere volueris, habebis nos imposterum quoque, vt pridem, amicos atque familiares. Sin autem nos prodes, inimici tibi erimus saeuissimi, multoque tibi nostra plus incommodabit atque nocebit inimicitia, quam aliorum tibi proderit amicitia, per odium nostri tibi comparata. Quibus ego haec respondebam; Euphiletum hoc facinore patrando hanc de se opinionem animo meo iniecisse, vt impurum atque conscleratum hominem eum haberem. verumtamen non meam magis conscientiam, quam ipsius sceleris atrocitatem, ipsis esse reformidandam. Haec vere, vt dico, sic dicta et acta fuisse, quo certius constaret, seruum ad tormenta tradebam, qui sciret, me tum temporis aegrum in lecto decubuisse, atque inde non surrexisse. Ancillas quoque tradebam prytanibus, inquirentibus, vnde moti, et a quo quasi exordio orsi illi impii scelus patrassent. Scrutantes itaque rem cum senatu Quaesitores, cum reperissent omnia ita, vt dixeram, se habere, omniaque vndique cum oratione mea pulchre concinerent, ibi demum citabant Dioclidem; neque multis erat verbis opus, sed statim ille confitebatur mendacium, deprecabatur veniam, orabat spiritus immunitatem, indicabat eos, qui auctores sibi facti fuissent, vt ista diceret, quae olim dixisset. Erant autem hi Alcibiades Phegusius, et Amiantus Aegineta; qui, audito, quae Dioclides de ipsis enuntiasset, metu statim auffugiebant. Vos autem, vt haec e Dioclide acceperatis, eum iudicio tradidistis, a quo morte mulctatus est. Reliqui autem vincti, iam supremum supplicium de se sumendum exspectantes, propter me, compedibus exsoluti et in libertatem rursus emissi sunt. Nam secundum meum indicium meis cognatis vincula detraxistis,

xiſtis, et exſulibus domum redeundi veniam dediſtis, et reuerſos gratanter recepiſtis; ipſique, ſumtis armis, a ſtationibus, in quibus quique veſtrum, per illud turbulentum et ſuſpicioſum reipublicae tempus, excubias adhuc egeratis, ſecuri domum quisque ſuam reuertebamini, vt iam malis multis defuncti, periculisque exſoluti.

Quibus omnibus in rebus qua ego quidem vſus ſum fortuna, eius ergo fortunae vos commiſeratio mei merito capiat; exitus autem ergo merito vir optimus atque fortunatiſſimus habear; quippe qui reſragatus Euphileto ſim, iusiurandum id offerenti, cuius fides penes homines omnium minima et eſt, et eſſe debet, eique probra, quibus dignus eſſet, ingeſſerim; et cum illi, contemtis meis dehortationibus, peccare tamen nihilominus perrexiſſent, peccatum eorum, quoad licuit, ſilentio texerim, neque prius, quam extrema cogeret neceſſitas, prodiderim; cum plerique eorum a Teucro iam indicati, alii morte luiſſent, alii in exſilium abiſſent; nos ipſi denique a Dioclidis perfidia in carcerem coniecti, ab extremo ſupplicio vix pilum diſtaremus. Tunc enim demum, neque prius, detuli quatuor viros, Panaetium, Diocritum, Lyſiſtratum, Chaeredemum. Haud infitiabor hos quatuor propter me in exſilium iſſe. Contra vero ab eodem indicio meo ſunt in viuis et in fortunis ſuis pater, et ſororis maritus, tum tres conſobrini, nec non ſeptem numero cognati alii. Hi, in eo iam cum eſſent, vt immerita morte per alienum nefas afficerentur, ſolis nunc iubar per me vident, ipſique ſe hoc mihi debere beneficium grati confitentur. Cunctam autem ciuitatem, qui conturbauerat, extremaque in diſcrimina coniecerat, is a me coargutus fuit, et vos magnis formidinibus mutuisque ſuſpicionibus liberati. Quae num vera dicam, recordamini, quaeſo, viri, et con-

ſcii veſtrum quotquot ſunt, hi reliquos docento. Tu autem ipſos mihi cita eos, qui propter me vinculis exſoluti ſunt. Optime enim rei geſtae ordinem cum teneant, poſſint item optime eum hisce, [iudicibus,] enarrare. Sed hac conditione hi hunc in ſuggeſtum aſcendent, vt tantisper coram vobis, iudices, diſſerant, donec vobis audientiam praebere diſſerentibus libuerit. Deinde reliqua accuſationis capita diluam. *Teſtes.* De rebus itaque tum geſtis audiuiſtis, viri, omnia, et purgaui ſic, vt mihi quidem videor, vt ſatis eſſe poſſit. Quodſi tamen adhuc aliquid veſtrum quispiam deſideret, aut exiſtimet, nondum ſatis diſputando declaratum quidquam ſupereſſe, aut ſi quid ego imprudens praetermiſero, aſſurgat is atque me commonefaciat, et ſatisfaciam illi quoque. Nunc autem de legibus vos docebo.

Cephiſius nempe hic actionem ἐνδείξεως, vel indicationis, in me quidem inſtituit ex titulo legis adhuc validae rataeque, eaque ſe lege nixum tulit in libello accuſatorio, quem praetori exhibuit, actionem hanc contra me exordiens, in ipſa autem oratione accuſatoria plebiſcitum potiſſimum vrſit, dudum abolitum, auctore Iſotimida factum, cuius nil quicquam ad me pertinet. Ille enim, Iſotimides, auctor fuit, vt a templis deorum arcerentur impietatis rei, tam ab aliis facti, quam qui ipſi faſſi eſſent eo ſe crimine teneri. Ego vero neque commiſi impietatem, neque faſſus vnquam ſum me commiſiſſe. Quod autem hoc ipſum quoque plebiſcitum reſciſſum atque abrogatum ſit, id ego vos docebo; quamquam in eo verſor defenſionis loco, vt, vbi minus vobis perſuaſero, damnum ipſe ſim acceptus, vbi autem perſuaſero, cenſear pro aduerſariis verba feciſſe. Verumtamen dicetur id, quod res eſt. Claſſe enim funditus exciſa, cum vrbs obſideretur, deliberabatis de modo concordiae conſtituendae atque tuen-

tuendae, placuitque τὲς ἀτίμες, honore priuatos, ἐπιτίμες reddere, hoc eſt priſtina gaudentes iuris ciuilis vſura, et honore ſtatus forenſis. Cuius ſententiae factus eſt auctor Patroclides. Honore autem carentes quinam et quotuplices fuerint, et quibus modis quibusue de cauſis honore ſtatus forenſis mulctati, id vos docebo. Standi in foro ius, ſeu honorem, amittebant primum aerarii, ſeu pecunias aerario publico debentes, ſiue quod, honorum a ſe geſtorum acta et rationes approbare cum nequiſſent, ideo mulctae pecuniariae eſſent condemnati, ſiue quod ob aliena bona per vim et nefas occupata atque detenta mulcta ipſis fuiſſet irrogata, quam non luiſſent, ſiue ob actiones maieſtatis vel perduellionis iniuſtas et illegitimas aduerſus inſontes ſuſceptas, ſiue quod mulctis arbitrariis, ſi quas magiſtratus ſine legum auctoritate, et ſine iudiciorum interuentu irrogaſſent, haud ſatisfeciſſent; ſiue quod, quae a rep. vectigalia redemiſſent, eorum pactas mercedes non dependiſſent, ſiue quod pro aliis fideiuſſores aerario facti fuiſſent. His omnibus quo cunque titulo ſeu pecuniam ſeu mulctam aerario debentibus ante nonum anni menſem euolutum erat debitum luendum: ſin minus, duplum debebant, et ipſi honore in foro verſandi priuabantur, et bona ipſorum publice vaenibant. Vnus hic erat modus conditionis inhoneſtae, [ſeu capitis imminutio maior.] Alter modus iſte eſt, cum corpora quidem ipſa delinquentium honore in foro ſtandi et in concionem conueniendi carent, bona autem ipſis, quae poſſident, ſalua manent. Hoc genere ignominiae notabantur, ob furta [in rep. puta] aut ob munerum acceptationes, mulctae damnati. Hos oportebat, et ipſos, et ex ipſis natos, honore carere. item quotquot ordinem in acie deſeruiſſent, aut criminis eſſent conuicti τῆς ἀστρατείας [h. e. quod plane in caſtra non exiſſent, cum

cum reliquis, cum quibus exire ab imperatoribus iussi fuissent] aut τῆς δειλίας [h. e. quod pauidi et imbelles fuissent,] aut τῆς μαλακίας, [h. e. quod vsu immoderato libidinum turpium et muliebrium animumque corpusque eneruassent, vt armis gerendis minus habiles essent.] item quotquot scutum abiecissent, aut ter fuissent in iudicio condemnati falsi dicti testimonii, aut ementitae in ius citationis; nec non qui parentes male et iniurioſe atque inclementer tractassent. Hi omnes, quoad corpora quidem inhonesti erant, seu honore carebant, bona tamen ipsis sua salua manebant. Rursus alii, [qui erat minimus et leuissimus modus imminuti capitis] honore carebant, seu infamia erant notati, κατὰ προστάξεις h. e. secundum praecepta, seu quadam tenus, sub certis conditionibus denuntiatis et imperatis. Hi non funditus erant capite minuti, sed solummodo quoad partem eius aliquam; e. c. milites, si qui sub tyrannide triginta virorum in vrbe atque militiae functione mansissent. Hi, caeteris quidem iuribus, perinde atque reliqui ciues, fruebantur, verum iure in concione standi, aut senatorios honores ambiendi, iisue fungendi, carebant. Hactenus illis erat honos imminutus vel ereptus. Nam haec erat ipsis πρόσταξις, seu conditio imperata et praescripta. Aliis hoc de genere non licebat quemquam maiestatis aut perduellionis accusare; aliis non licebat alios actionibus ἐνδείξεως, seu indicationis, persequi. aliis interdictum erat in Hellespontum proficisci per mare, aliis in Ioniam; aliis aditus fori clausus erat. Decreta igitur omnia, per quae quibusdam vllo modo horum, quos dixi, modorum honos ereptus, vel caput imminutum fuisset, tam ipsa primigenia eorum exempla, quam secundaria ex illis deriuata, si quae vsquam locorum prostarent, eradi atque deleri iussistis decreto ea de re facto, concordiamque iureiurando mutuo

mutuo in arce dicendo vtramque in partem condici atque ſanciri. Recita tu mihi decretum Patroclidis, vi et auctoritate cuius haec fiebant. *Decretum.* „Patroclides rogauit in hanc ſententiam. Quando quidem Athenienſes impunitatem ſuper aerariis decreuerunt, vt nimirum eorum cauſa liceat populum rogare atque in ſuffragia mittere; velit iubeat populus Athenienſis eadem rata eſſe, quae cum olim ſciuiſſet tempeſtate belli Medici, e re id fuit publica *. Illos autem quod attinet, quorum nomina, vt fiſco debentium, in codicillis ſcripta, a magiſtratibus tradita fuerint, ſiue exactoribus fiſci, ſiue quaeſtoribus Mineruae, ſiue quaeſtoribus aliorum quorumque deorum, ſiue regi ſacrorum; ſiue quorum nomina expuncta ex albo aerariorum nondum fuerint ante exceſſum illius ſenatus, [qui nunc breui deceſſurus eſt, et] cuius princeps fuit Callias; hoc eſt, ſi qui honore priuati ideo fuerint, quod aerario debitores facti ſint, nec non quorum rationes geſtorum honorum in Logiſteriis [ſeu tribunalibus cenſoriis vel rationalibus] improbatae atque falſitatis et futilitatis condemnatae fuerint ab Euthyntis [h. e. cenſoribus, ſeu peraequatoribus] et ab eorum Parhedris [ſeu aſſeſſoribus] aut quorum rationes de geſtis honoribus ad iudicium delatae nondum ſint, aut quibus ſub iudice adhuc pendeant lites, in ius nomine populi vocatis ob rationes geſtorum honorum; aut quibus adiudicatae ſint a iudicibus minutae quaedam atque reſtrictae honoris derogationes, aut ſi qui fideiuſſores publice facti, ob iſtas ſuas ſponſiones mulctae condemnati fuerint, ad iſtam vſque, quae modo dicta eſt, diem: item ſi quorum nomina publicis

* Videtur factum deſignare, quo Athenienſes, inſtante bello Perſico cum Xerxe, ſeruos libertate donabant, et infames honori ſuo reſtituebant.

cis in tabulis adhuc ſuperſint, ideo ibi ſcripta, quod in numero quadringentorum fuiſſent; aut ſi quod aliud cuiuspiam crimen ſub iſto paucorum dominatu commiſſum vſpiam locorum annotatum ſit: Vt, inquam, populus Athenienſis velit iubeat, horum omnium nomina, (quorum nominum tamen e numero nominatim hi exemti atque excluſi ſunto; quorum puta nomina in pilis adhuc ſuperſunt exarata, ipſi autem in exſilio degunt, propterea quod cauſa ſiue in Areopago, ſiue coram Ephetis, ſiue in Prytaneo, ſiue in Delphinio, ſiue coram Rege ſacrorum agitata, aut exſilii, aut mortis poena ipſis fuit adiudicata, velut homicidis, aut tyrannidis affectatae reis:) vt igitur, exceptis his, reliquorum omnium nomina mandet populus Athenienſis expungenda fiſcalibus ſenatus, quaecunque in aerarii tabulariis occurrent, aut ſi vſpiam alias locorum eiusmodi documentorum publicorum copiae [ſeu exemplaria ſecundaria] proſtant, vt Theſmothetae reliquique magiſtratus eas copias ſenatui exhibeant abolendas. Sed vt haec intra triduum fiant, ex quo plebs hanc ſciuerit rogationem, ſi ſciuerit. Quaecunque exempla eiusmodi rationum ad aerarium publicum pertinentium vsquam locorum occurrent, ea expungantor, neminique liceto ea priuatim ſecum habere, neque liceto cuiquam aerario facto hanc labem exprobrare, eumue debiti huius commonefacere, aut ſimultatem ideo conceptam vllo modo exſequi. Secus qui fecerit, vt is poenis teneatur iisdem, quibus tenentur, qui ſententia ſenatus Areopagitici perculſi ſolum verterunt. quo populus Athenienſis ipſe ſemet fidat quam tutiſſime, liber a mutuis aliorum de aliis ſuſpicionibus, et pacta hoc plebiſcito ſancita, et in praeſens, et in futurum omne tempus, quam certiſſima atque fidiſſima permaneant. „Per hoc decretum, viri, honorem quidem reddidiſtis eo carentibus, exſulibus

libus autem vt venia daretur domum redeundi, neque Patroclides auctor vobis fuit, neque vos sciuistis. Vt autem, induciis cum Lacedaemoniis contractis, moenia diruebatis, exsules quoque recipiebatis, et triginta tyranni cooriebantur; et Phyle postmodum occupabatur, et aliquanto post Munychia; breuis vt sim, illa infanda euenerunt, quorum vt me meminisse nil iuuat, ita vestram quoque refricari memoriam nil attinet. Vt autem e Piraeeo tandem in vrbem redistis, cum liceret vobis poenas de malorum vestrorum auctoribus sumere, decreuistis, quaecunque turbulenta illa tempestate accidissent, ea omnia obliuioni tradere, plurisque feciſtis reip. salutem, quam priuatarum simultatum vltiones, acceptarumque iniurarum obliuionem lege sanxistis. Quae vt vobis placuit rata esse, creastis vigintiuiros, qui tantisper ciuitati praeessent, et, ne resp. detrimentum caperet, prouiderent, donec leges latae atque fixae essent. Interim placuit, Solonis legibus et Dracontis Thesmis [seu statutis] vti. Vt autem senatu per sortem, legislatoribus autem per delectum creatis, reperiebatis, in vtroque genere legum, tam a Solone, quam a Draconte profectarum, inesse multas, quibus ciuium bene multi ob ea, quae in ista reip. procella euenissent, tenerentur, concione conuocata, proposuistis his de legibus deliberationem, atque sic decreuistis, vt leges omnes examinarentur, eoque in examine probatae in tabulis conscriberentur in Stoa Poecile figendis. Recita tu mihi hoc decretum. *Decretum.* „Placuit populo, Tisamenus auctor fuit sententiae. Athenienses remp. gerere et ciuilem inter se vitam degere secundum ritus patrios, et Solonis vti legibus, et mensuris ponderibueque [a Solone praeceptis] vti quoque thesmorum a Draconte relictorum iis, quibus antehac vsi sumus. quascunque nouas autem leges condi

res et

res et vſus ferat, quinquaginta Nomothetae a ſenatu lecti eas in tabulis perſcribento et coram Eponymis exponento ad contemplandum volenti cuique, et ſenatui hoc ipſo menſe tradento. Traditas autem ſibi leges ſenatus prius explorato, et legislatores quingenti a popularibus per demos delecti, poſtquam prius ſacramento ad rectum et verum tuendum adacti fuerint. Sed et priuato cuique liceto volenti in ſenatum intrare, et bonum atque ſalutare, ſi quid habeat de legibus ſuadere, id edere. Latae autem vbi fuerint leges, ſenatus Areopagiticus earum curam gerito, atque prouideto, vt magiſtratus legibus ratis fixis vtantur. Legum quaecunque ſint perlatae, atque in ratis legitimisque habitae, eas perſcribento in pariete, vbi priores leges perſcriptae olim conſpiciebantur, vt volens quisque ſpectare atque conſiderare poſſit.„ Secundum hoc decretum reuocatae ſunt, o viri, leges ad ſcrutinium, et quae in ratas atque probatas relatae ſunt, eas in literas retulerunt, atque in porticu expoſuerunt; quo facto legem nobis ferri et imponi curauimus, qua vos vtimini omnes, hanc puta; vt nulla de re lege liceat vti non ſcripta. Eſtne iam aliquid huic Cephiſio reliquum, de quo aut referre magiſtratus aliquis, aut in quo veſtrum quisquam, o viri, agere et exſequi quidquam poſſit, praeterquam ſecundum leges ſcriptas? Quando ergo lege non ſcripta vti non licet, quanto minus vti licebit non ſcripto pſephiſmate? Quoniam itaque videbamus, ciuium multis multas magnasque clades impendere, aliis e vetuſtis legibus, aliis e vetuſtis plebiſcitis, ideo leges nouas ferri curauimus, propter illa ipſa, quae nunc fiunt, quominus fierent, et quo minus liceret quadruplatorem agere. Recita tu mihi has leges. *Leges.* Lege literis non conſignata magiſtratus ne vtantor vlla in re. Pſephiſma nullum, ſiue ſenatus ſiue plebis

plebis id erit, validius esto lege. Nullius hominis singularis ergo liceto legem ferre, quae non perinde de reliquis quoque Athenienſibus valeat, niſi ſecus viſum fuerit ſexies mille viris, clam per tabellas ſuffragatis.„ Quid nunc? ſupereſtne adhuc aliquid? Supereſt nimirum haec lex, quam tu mihi recites, velim. *Lex.* „Iudicia et arbitria rata ſunto, quaecunque in vrbe libera fiunt, a legibus gubernata. Legibus vtantor ab Euclide Archonte inde.„ Iudicia et arbitria rata et valida ſanxiſtis eſſe, o viri, quaecunque in ciuitate libera facta ſint, quo nempe neque nouae tabulae fierent, neque iudicia iam pronunciando peremta et transacta reſcinderentur, ſed rata et firma eſſent pacta priuata, et ex eorum formula liceret actori cuique ius ſuum a debente repetere. Quae autem crimina publica ſunt eiusmodi, vt ſuper iis liceat in reos agere, ſiue ex titulo γραφῆς, ſiue titulo φάσεως, ſiue ἐνδείξεως, ſiue ἀπογωγῆς, illorum cauſa decreto ſanxiſtis, vtendum legibus eſſe ab Euclide Archonte inde. Quandoquidem igitur vobis placuit antiquas leges examini ſubmitti, eoque in examine probatas in literarum monumenta referri, magiſtratibus autem omnibus interdici, ne qua lege vtantur literis non conſignata, quacunque tandem in re; item, decretum nullum, ſiue ſenatus ſit, ſiue plebis, lege validius eſſe, neque licere in vnius hominis ſingularis ſiue gratiam, ſiue fraudem ferri legem, quae non item de omnibus omnino ſit Athenienſibus valitura; tandem, vt ius et fas ſit legibus vſu receptis et ratis vti inde ab Archonte Euclide: vllumne poteſt eſſe, aut mente fingi pſephiſma ex eorum numero, quae Archonte Euclide vetuſtiora ſint, ſiue maioris momenti rem, ſiue minoris ſpectet, quod adhuc ratum et validum ſit? Ego equidem haud arbitror. Sed ipſi vos quoque vobiscum velim exiſtimetis. Verum videamus nunc quoque quomodo vobis

veſtrae habeant in iureiurando religiones. Ius quidem illud iurandum, quod vniuerſae ciuitati commune eſt, et quo vos ipſi poſt reconciliatam gratiam vosmet obſtrinxiſtis, ſic habet. *Sacramentum.* „Acceptarum iniuriarum nemini ero memor, neque vltionem earum in quoquam exſequar, praeterquam in triginta tyrannis, et in decemuiris. Quid? quod horum ipſorum non vlciſcar eos, ſi qui rationem reddere parati ſint rerum a ſe geſtarum iis in magiſtratibus, quos geſſere.„ Vos igitur, qui iureiurando confirmaueritis, in ipſis adeo triginta viris, qui mala vobis crearunt atrociſſima, memoriam acceptarum iniuriarum vos haud eſſe renouaturos, ſi rerum a ſe geſtarum rationem vobis reddant; multo minus cenſendi eſtis vnquam voluiſſe memoriam acceptarum iniuriarum in alio quopiam ciuium veſtrorum exercere, aut id dignum vobis cenſuiſſe. Senatus autem hic, quem noſtis omnes, per annuas vices ad reip. clauum ſedentem, publicaeque ſalutis frena gubernantem, quid is iureiurando confirmat ſe facturum? „Neque admittam, ait, actionem forenſem titulo ἐνδείξεως, neque titulo ἀπαγωγῆς, contra aliquem propter antehac facta, praeterquam contra damnatos exſilii.„ Vos denique, Athenienſes, qui lites forenſes iudicii veſtri auctoritate diſceptatis, quid facturos vos iureiurando ſpondetis, antequam ad iudicandum admittimini? „Non exſequar acceptas iniurias ſimultate memori, neque vlli alii inhoneſtae perturbationi aditum ad animum meum dabo, a qua intransuerſum agar: ſed ſententiam pronuntiabo ſecundum leges fixas et in rep. obtinentes.„ Quae cum aio a me pro vobis et pro legibus veſtris diſputari, decet vos arbitrari, num recte aiam. Iam conſiderate, viri, accuſatores quoque, quales ipſi cum ſint, alios tamen accuſare audeant. Cephiſius hic cum vectigal aliquod ab aerario redemiſſet, eiusque titulo non

nonaginta minarum contributionem a colonis hunc atticum agrum exercentibus collegiſſet, mercedem reip. pactam non dependit, ideoque fuga ſalutem quaeſiuit. Nam ſi tum rediſſet [ante nouas leges latas] ſuique corporis feciſſet copiam, datus vtique in carcerem et cippo alligatus fuiſſet compede. Sic enim edicit lex, vt ſenatui quingentorum virorum liceat, quicunque vectigalis a ſe redemti mercedem haud dependerit, eum ad truncum alligare. Hoc tanto facinore commiſſo Cephiſius tamen, quod vos decreto ſanxiſtis, vt magiſtratus veſtri ſecundum leges in ea ſolummodo facinora animaduertant, quae illo anno iuniora ſint, quo Euclides Archontis honore functus eſt, ideo aequum cenſet, vt, quas vobis pecunias extorſit, eas vobis haud reddat, et ex eo, quod legibus vtimini nunc ratis et fixis, pro exſule ciuis, pro minuto capite quadruplator factus eſt. Ad Melitum tranſeo, qui ſub triginta tyrannorum dominatu, Leontem, quem vos omnes noſtis [hominem ſanctiſſimum et veſtri ſtudioſiſſimum] ad vndecimviros [pro fure aut latrone] abduxit. Atqui lex haec et olim fuit in vſu, inprimis ſapiens et praeclara, et nunc adhuc viget, vſuque veſtro frequentatur, vt, qui conſilium ſceleri exſequendo dederit, poenis teneatur iisdem, quibus, qui ſcelus ipſe ſuis manibus perpetrarit. Verumtamen ideo, quod leges vobis ab Archonte Euclide inde validae ſunt, non licet Leontis liberis actionem caedis in hunc Melitum intendere, [quam alias ex illa altera modo laudata lege optimo iure poſſent.] Nam ne ipſe quidem Melitus infitietur Leontem a ſe ad vndecimuiros abductum eſſe. Epichares denique hic non modo eſt, ſed haberi quoque vult mortalium omnium nequiſſimus. Nam ſcelerum ſuorum poenas ipſe a ſemet repetit. Sub triginta tyrannis ſenator fuit. Huiusmodi autem de hominibus quid ſtatuit lex pilae inciſa, co-

ram curia fixae? „Magiſtratum, ait, in vrbe qui geſſerit poſt euerſum ſtatum popularem, impune moritor, eumque qui occiderit, is purus a caedis piaculo eſto, et bona peremti poſſideto.„ Numquid aliud, o Epichare, dici fieriue poteſt, quam, ſi quis te nunc occiderit, [hac fretus admonitione ex me audita] puras ei ſanctasque a reatu caedis manus eſſe? Nil profecto aliud, ſecundum Solonis quidem leges ſi ius arbitrabimur. Recita tu mihi hanc legem e pila. *Lex.* „Placuit populo, cum tribus Aeantis prytaneatu fungeretur, Cleogene ſcribam agente, Boëtho Epiſtatae honorem gerente, factus eſt huius literis conſignatae ſententiae auctor Demophantus.„ Orditur hoc pſephiſma commemoratio temporis, quo latum fuit, ſcilicet eo ſenatu rempubl. gubernante, qui forte ductus ſedit eo anno, quo Cleogenes ſcripturam primus fecit. Verba pſephiſmatis autem ipſa ſic ſe habent: „Statum libertatis popularis ſi quis Athenis euerterit, aut oppreſſa rep. honorem quempiam geſſerit, is hoſtis Athenienſium habetor, atque inulto moritor, et facultates eius publicantor, et decima pars earum Mineruae ſacra eſto. Reum autem horum facinorum, qui aut manu ſua peremerit, aut peremtori caedis auctor et adminiſter factus fuerit, ambo ſancti et pii habentor, licetoque ipſis templa deorum omnia, foraque et loca adire, quo honeſti conueniunt. Et tenentor Athenienſes omnes iureiurando, tributim et curiatim ſuper hoſtiis perfectis dicendo ſeſe obſtringere, vt, qui iſtaec fecerit [h. e. qui aut ipſe tyrannidem exercuerit, aut tyranni ſatellitem ſe geſſerit] eum occidere velint. Iusiurandum autem ſuper hac re dicitor hanc in formulam conceptum. „Populi Athenienſis libertatem atque maieſtatem ſi quis iugularit, aut qui, illa oppreſſa iacente, honorem vllum geſſerit, aut etiam imposterum ſi quis exſiſtat, qui tyrannidem moliatur, aut adiutorem ſe praeſtet tyrannidem affectanti, eum

et ego

et ego ipse occidam, et alius si quis occiderit, hunc sanctum piumque et erga deos et erga Semones habeo, vt eum, qui hostem Athenienſium peremerit; fortunasque peremti cunctas sub hasta cum vendidero, tum partem dimidiam pecuniae inde redactae peremtori reddam, nil defraudans. Hoc ita faciendum esse, et verbis ero auctor, et tabella mea in cadum iniicienda confirmabo. Sin autem quis, tyrannum, tyranniue satellitem adoriens, aut in ipsa caede, aut saltim in conatu caedis, ipse occubuerit, ornabo ipsumque peremtorem, eiusque liberos, perinde atque Harmodium cum Aristogitone eorumque posteros ornare solemus. Quaecunque sacramenta aut Athenis, aut in castris, aut vspiam alibi locorum, in fraudem populi Athen. dicta fuerint, ea rescindo, atque irrita pronuncio, iisque obligatum atque consecratum quemcunque sacramenti religione exsoluo et resecro. „Hanc in formulam iuratis, Athenienses, vos omnes super hostiis perfectis, rite, quemadmodum reliqua omnia, quae ritu patrio conceptis verbis iuratis, ante Liberalia, et addidistis illi sacramento hanc imprecationem, vt, qui iurisiurandi huius conditionibus sancte atque religiose satisfecerit, ei multae magnaeque prosperitates ex ipsius animi sententia eueniant; peierans autem vt vna cum prole male pereat.„ Iam responde tu mihi, quadruplator, et ardelio, quem dii deaeque omnes euertant velim, atque eradicent, estne haec lex rata et adhuc valida, an est antiquitata et irrita? Rata fuit olim, et deberet adhuc esse, si quae alia vel maxime. verum quia sub Archonte Euclide renouata et confirmata non fuit, et vos vti legibus vultis illo Archonte latis, ideo ista lex hodie antiquata et obliterata est. Huic constitutioni hoc debes, quod spiras adhuc, et per hanc vrbem deambulas, haud meritus, quippe qui, tenente adhuc statu libertatis popularis, e calumniis et dela-

tionibus atque vexationibus insontium victum quaereres, triginta tyrannis autem rerum potitis seruires, quo quaestum illum infandum e calumniis partum reuomere ne cogerere. Itane vero tu nihilominus de quaestu meretricio factitato me compellabis? aliosque ibis infamatum, qui vni quidem singulari homini soli te pro pellice non substrauisti (quod si feciſſes, fuisset id vtique tibi praeclarius atque fructuosius) sed vnicuique volenti morem gessisti, id quod hi iudices norunt, et pro minimo lucello turpissima quaeque stupra passus es; atque tam infamis quaestus exercitatione vitam tenuiter satis atque ieiune sustentasti, tametsi esses ore vultuque tam deformi. Et nihilominus tamen alios accusare ausus est hic, cui ne pro se quidem ipso causam dicere per leges vestras licet. Verumenimvero, viri, cum, illo me accusante, ego assidens in os eius intuerer, videbar mihi haud aliter, atque a trigintauiris comprehensus, coram illis stare, atque iudicium eorum tolerare. Nam, si tunc illis obtinentibus, capitis periculum mihi decertandum fuisset, ecquis alius me, praeterquam hic, accusasset? Feciſſet enim proculdubio, nisi periculum ego numis ei datis redemisſem. Nam nunc quoque nulla alia de causa me accusauit, quam quod cum eo decidere nolui. Ecquis me tunc alius, praeterquam Charicles, percontatus fuisset in hunc modum?„ Dic mihi, Andocide, veniſtine Deceleam? castellum patriae tuae finibus imposuisti tuismet manibus, vnde excurrens agrum eius peruastares? Ego nego me feciſſe. At agrum tamen depopulatus es, et in ciues tuos latrocinia exercuisti, siue in continente, siue per mare? Profecto non feci. Tune in praelio quopiam nauali aduersus patriam non dimicasti? neque operam nauasti moenia patriae demolientibus? neque adiutorem te praestitisti statum ciuilem euertentibus? Non redisti in vrbem per vim?

Horum

Horum nihil patrasti? Nihil. Iamne tamen tu speras te hinc e conspectu nostro saluum abiturum? non capite tuo daturum poenas perinde atque alii multi suis dederunt?„ Existimatisne, viri, alia me quapiam secundiore sorte, non hac, vsurum fuisse, si ego tum ab illis triginta viris comprehensus fuissem? Euenissent vtique mihi haec, quae dico, et vestri quidem causa Iam qui graue et acerbum non sit, a vobis me nunc iudicatum, quos nulla vnquam iniuria laeserim, non absolui, qui, si illorum in iudicio stare debuissem, triginta virorum puta, morte damnatus fuissem, idque alia nulla de causa, quam quod in vos nihil deliquissem? Ego vero certo certius a vobis absoluar, aut, si ego minus absoluar, multo etiam minus alius quispiam absoluetur. Verum, o viri, actionem hi quidem in me instituerunt titulo ἐνδείξεως, secundum legem adhuc in rep. obtinentem, accusationem autem fundarunt super antiquo psephismate, quod iam dudum ante me in aliis antiquatum fuit. Quodsi ergo contra me detis sententiam, videte, ne committatis, vt non mihi vni omnium vestrorum ciuium maxime danda sit eorum, quae dudum euenerunt, ratio, sed multo etiam magis multis aliis, quorum alii cum hostes facti vobis fuissent aperti. et aduersa acie vobiscum congressi dimicassent, postmodum tamen cum illis in gratiam rediistis, legesque reconciliatae gratiae mutuae iureiurando mutuo sanxistis. Quarum rerum causa vos quoque, ne qua supereset offensionum memoria, pilas illas, quibus isti siue hostes patriae declarati fuisset, siue exsilio multati, siue honore et iure ciuili exuti, sustuliistis, legesque, per quas illae poenae illis irrogatae fuissent, abrogastis, et plebiscita expunxistis. Quodsi ergo hi nunc intelligent, vos admittere accusationes super criminibus pridem commissis, quem putatis illis animum, quam de semet ipsis spem

atque fiduciam fore? aut quemnam eorum cenſetis ob vetuſta illa facta auſurum in certamina forenſia deſcendere? Multi enim tum, nae perquam multi ſint in ipſos coorturi inimici atque quadruplatores, qui eorum vnumquemque in certamen ſint coniecturi. Hi iam nunc ambo huc hoc ad iudicium conuenerunt, verum non eandem ambo mentem afferentes. Nam alteri quidem per hoc de me habendum iudicium certiores fieri cupiunt, num legibus in rep. obtinentibus confidere debeant, religionique iurisiurandi, quo vos mutuo obligaſtis; alteri autem periculum facere volunt veſtrorum animorum, num veniam ſibi ſitis daturi, calumniando et deferendo impune graſſandi, et alios actionibus maieſtatis et perduellionis terrendi atque exagitandi, aliorum, tanquam furum atque ſicariorum, latebras magiſtratibus indicandi, alios, vt immaniſſimorum quorumque ſcelerum reos, iniecta manu ad vndecimuiros abducendi. Res ſic ſe habet, viri, ne neſciatis. Certamen hoc in mea quidem vnius perſona conſiſtere videtur; iudicium autem a vobis hac in mea cauſa ferendum ad cunctos pertinebit, publiceque decernet, veſtrisne legibus oporteat quemque confidere, an quadruplatorum ſibi quaſi copias conſcribere atque adiungere, an denique ipſos ex vrbe excedere, atque ſe proripere quam celerrime. Quo autem intelligatis, viri, inſtituta veſtra ad concordiam ciuium conſtabiliendam comparata non modo non eſſe poenitenda, verum etiam vos iſtaec ita prouidentes atque cauentes feciſſe et decori veſtro et ſaluti veſtrae conuenienter, pauca quaedam etiam hoc de capite cum pace veſtra diſputabo. Maiores noſtri, rep. magnis malis afflicta, Piſiſtratidarum tyrannidem fuga deuitarant, vrbem ſeruitute oppreſſam tenentium. Concurritur ad Pallenium; praelio vincuntur tyranni. Leogoras, aui mei pater, et ſocer eius, Chabrias, copias tum veſtras ducebant. Nam ex huius Chabriae filia

meus

meus auus natus est, Per hanc victoriam a tyrannis liberati ciues, domumque reuersi, alios eorum, qui cum tyrannis fecissent, sustulerunt, alios in exsilium egerunt; et, si quos tandem in vrbe manere sinerent, eos capite minuerunt. Verum tempore post, cum rex Persiae suas illas tantas copias Graeciae admoueret, perspecta calamitatum imminentium magnitudine, regisque apparatu et opibus, decreuerunt exsules domum reuocare, capiteque minutis integra iura ciuilia reddere, salutemque perinde atque pericula cum omnibus communicare. Quibus factis, sponsionum mutuarum et sacramentorum religionibus inter se obligati quam sanctissimis, audebant, id dignum se putantes, primam occupare aciem, cunctisque pro Graecis obiecto capite suo, barbaris ad Marathonem occurrere, arbitrati, virtutem suam vel solam idoneam esse, quae istorum multitudini opponeretur. Commisso sic praelio, Graeciamque liberarunt, et patriam vna periculo eripuerunt. Verum opere tanto atque tam arduo defuncti, de sumendis a quoquam pristinarum iniuriarum poenis nil cogitabant. Factum per hanc animorum nobilitatem fuit, vt, quamvis solum vrbis desolatum atque deuastatum recuperassent, fana deorum combusta. moenia domosque collapsas, sorte carentes, vnde sumtus peterentur istis omnibus restaurandis, tamen, concordia subnixi, principatum Graeciae sibi parerent, vobisque remp. a se restauratam talem ac tantam in manus traditam relinquerent. Quid? quod vos ipsi quoque postmodum mala experti, non minora malis, quae illi exantlarunt, cum essetis fortes e fortibus nati, virtutem insitam, id quod a vobis exspectabatur, protulistis. Aequum enim vobisque dignum censuistis, vos exsulibus in patriam redeundi veniam dare, statumque ciuilem capite minutis reddere. Quaenam igitur adhuc supersit pars virtutis

illorum vobis ad imitandum reliqua? Haec nempe, vt priſtina illa, quaecunque ſunt, obliuioni mandetis, bene gnari, tametſi ſemen quaſi proſperitatis, vnde resp. vetuſtis illis temporibus rurſus progerminaret, multo tum fuiſſet, quam poſtmodum fuit, exilius, remp. tamen fortunatam atque claram fuiſſe. Sed erit nunc quoque non minus clara, neque minus fortunata, ſi volemus nos, ciues qui ſimus, ita vt ciues decet, ſapienter agere, pacemque inter nos atque concordiam colere. Verum de ramo quoque me accuſarunt ſupplicatorio, quaſi ego eum in Eleuſinio depoſuiſſem. Ritus nempe auitus eſt, quicunque per dies feſtos ſacris Eleuſiniis conſecratos ramum ſupplicatorium in ara dearum ponat, vt is morti detur. At enim vero tam ſunt hi audaces, vt, quae ipſi callidis machinationibus meam in fraudem compararunt, eorum me inſimulent, quaſi ego ea feciſſem, neque ſatis habent, impune ſibi fuiſſe facinus impium, mortis poena ſancitum, niſi etiam culpam eius in caput meum, tanquam auctoris, intorſerint. Nam vt ab Eleuſine [poſt peracta ibi ſacra Eleuſinia] huc, in vrbem, redieramus, et contra me exhibita [regi ſacrorum a Cephiſio] fuerat indicatio *; adibat rex ſacrorum ad Prytanas de commiſſis per ſacrorum Eleuſiniorum celebritatem relaturus, quemadmodum mos eſt. Prytanes ſpondebant operam ſe daturos, vt ipſe ad ſenatum introduceretur, ad eum his iisdem de rebus perſe relaturus. interim mandabant ei, vt ſuo [Prytanum puta] nomine, neque meumque accuſatorem Cephiſium in diem craſtinum adeſſe iuberet in Eleuſinio. Ibi enim conſeſſurum eſſe ſenatum, ex lege Solonis illa, quae

* h. e. denuntiatum fuerat, me Athenis, vbi mihi non liceret eſſe, verſari, meaeque impietatis ſpurcitie atque reatu totum populum coinquinare.

quae ſenatui iniungit, vt poſtridie Myſteriorum in Eleuſinio conſideat. Aderamus, prout indictum nobis fuerat, numeroque ſenatorum completo, Callias, Hipponici filius, cum ad dicendum aſſurrexiſſet in habitu Cerycum, nuntiat, ramum ſupplicatorium ſuper ara iacere. Viſum ibi fuit ſenatoribus, per Calliam foras ablegatum nos, extra curiam ſtantes, interrogare, quisnam eum ibi depoſuiſſet. Verum nemo reſpondebat. Adſtabamus nos, et hic Cephiſius nos videbat. Abibat itaque Callias et intro ad ſenatores redibat. Secundum eum hic Eucles [ad nos e curia] egreſſus [id idem nos interrogabat rurſus, quod Callias modo interrogauerat, verum et ipſe quoque pari ſilentio noſtro refutatus abibat.] Cita tu mihi Euclem. Ante omnia edic, Eucle, atque teſtare, num vera haec dicam. *Teſtimonium.* Vera eſſe, quae dixi, hoc vobis, viri, teſtimonio confirmatum eſt. Fraus nimirum haec erat, ab inimicis in caput meum ſtructa, ſed incaſſum. Multo mihi videtur aliter habere res, quam hi verbis iactabant. Ipſas nempe deas aiebant, quarum ſacra profanaſſem, vertigine quadam et caecitate menti meae obiecta, et manibus quaſi pone tergum religatis, obtorto collo, me egiſſe atque impuliſſe, vt ego, legis illius de ramo ſupplicatorio latae ignarus, eum deponerem, eoque facto poenas ipſis meritas darem. Ego vero, viri, ſi vel maxime verum ſit, quod nego eſſe, illi aiunt, a me ramum illum ſupplicatorium in ara eſſe depoſitum, contendam tamen, vel ſic quoque a Deabus ſaluti meae proſpectum fuiſſe. Nam, ſi depoſui quidem ramum, interrogatus autem non reſpondi, num quid aliud ex eo poteſt colligi, quam hoc, deas omni modo me ſeruatum iſſe; et me quidem, ponendo ramum, meismet me manibus perditum iſſe, dearum autem numine factum eſſe, vt imprudentiam facti mei ſilentio tegerem, et per hoc ſilen-

silentium meum, secunda quadam fortuna dearum voluntati ministrante, ex hoc praecipitio eriperer. Deae enim si me perditum voluissent, debuissent ex consentaneo, menti meae eum furorem, linguaeque eam trepidationem iniicere, vt, quae non feciſſem, ea me feciſſe, hoc est ramum deposuisse, faterer. Verum neque respondi interrogatus, me posuisse, neque reapse posui ramum. Vt autem Eucles ad senatum renuntiauit, interroganti sibi, quis ramum deposuisset, neminem respondisse, rursus assurrexit Callias, atque legem affirmauit esse ritu patrio sancitam, edicto cuius is statim indicta causa morte sit afficiendus, si quis in Eleusinio ramum supplicatorium deposuisset. Ad hunc nempe modum, in pari causa, patrem suum, Hipponicum, olim aliquando respondisse Athenienſibus de iure sacrorum consulentibus. A me autem ramum illum esse depositum, fando inaudiuisse. Ibi Cephalus hic, exsiliens: o Callia, inquit, impietatis antesignane, qua reliquos omnes homines longe post te relinquis, quid agis? qui sic furis? qui primum quidem de iure sacrorum vltro, non consultus, respondeas, tametsi non sis nisi ex inferiori ordine sacerdotum, Cerycum puta, cui Cerycum ordini fas non est de iure sacrorum respondere; deinde commentum tuum pro lege ritu patrio et vetusto consecrata venditas, quae lex nulla est; nam illa stela, in qua ius sacrorum exaratum est, et cui stas proximus, et quam in conspectu habes, huic auso, de quo nunc agitur, nullam poenam capitalem irrogat, sed solummodo mulctam mille drachmarum. Denique age, dic tandem, a quonam audiuisti, ramum supplicatorium in Eleusinio ab Andocide depositum esse? Arcesse eum et adduc ad senatum, vt nos quoque audiamus. Vt autem lex [ad quam Callias prouocauerat] e pila erat recitata, [a Calliae affirmatione prorsus dissentiens] et Cal-

et Callias eum nominare non poterat, a quo se id audiuisse simulauerat, constabat iam senatui, ramum illum ab ipso Callia depositum fuisse. Verum quanam tandem Callias de causa id fecisset? Nam de hoc vos dubitare, viri, atque quaerere consentaneum est. Inimicus nempe mihi atque infestus erat, de medioque me sublatum volebat. Qua de causa, agite, enarrantem me, (nam id agere nunc accingor) aequi audite. Epilycus erat, Tisandri filius, auunculus mihi, matris meae frater. Hic in Sicilia decessit, nulla relicta prole mascula. Duae filiae, quas solas reliquerat, ex iure consanguinitatis mihique atque Leagro cedebant, vt eas domum duceremus. Res Epilyci familiaris male habebat. Apertam enim atque conspicuam quam reliquerat substantiam, ea ne duobus quidem talentis aequiualebat. plus autem, quam quinque talenta debebat. Nihilominus tamen ego Leagrum cum ad me arcessiuissem, coram amicis ita cum eo egi. Bonorum est, inquam, atque fortium virorum in eiusmodi temporibus planum atque testatum facere, ea se mente praeditos esse, vt necessarios, quamuis egentes atque ab omni ope humana destitutos, ad se tamen pertinere existiment. Proinde nos decet Epilyci filias, tametsi indotatas, non contemnere, neque conditiones lautiores ipsis, neque soceros opulentiores earum patri praeferre. Epilycus enim si adhuc in viuis superesset, aut si magnas opes reliquisset vita defunctus, procul dubio filias eius in matrimonium ambiremus. Verum hoc pacto si filias Epilyci duxissemus, visi fuissemus, patre adhuc superstite domum eas nostram ducentes, patris in gratiam duxisse. Sin autem, post patris excessum eas duxissemus, heredes luculenti patrimonii relictas, cupiditati nostrae fuisset id imputatum. Iam vero quicquid fiet, id a virtute nostra, nostrique animi nobilitate proficiscetur, eique referetur.

Da igi-

Da igitur, inquam, tu, Leager, operam, vt altera filiarum Epilyci tibi ab Archonte adiudicetur; ego vero alteram mihi in iure addici curabo. Motus hac oratione Leager, o viri, recepit mihi fic facturum. et fecundum hanc inter nos factam fponfionem curauimus ambo nos ambas Epilyci filias ab Archontis edicto nobis, vt legitimas matresfamilias contribui. Verum ea puella, quam ego mihi arrogari edicto praetorio curaueram, aduerfa quadam vfa fortuna, valetudine deceffit ante nuptias. Soror autem eius adhuc fupereft. Offerenda pecunia Callias Leagrum adducere tentauit, vt fibi permitteret hanc fuperftitem domum fuam ducere. Et videbatur Leager iam nutare. Id quod ego fentiens, actutum pofui παράταση [h. e. depofui pecuniam in iudicio, facramentum dictam, qua mulierem illam controuerfam, arreſto quafi indicto, mihi deuinciebam, vt ab alio quopiam, ante litis meae definitionem, neque peti, neque impetrari poffet.] Quo facto actionem exorfus fum, primam quidem aduerfus Leagrum, cui conditionem hanc deferebam. Tu quidem, Leager, inquam, fi domum ducere puellam vis, habe tibi, quod bene tibi vertat; fin autem tu eius nullo duceris defiderio, tum ego eam aio meam effe, poftuloque vi iuris, eam ab Archonte mihi adiudicari. Callias autem, eo comperto, actionem aduerfus me capeffiuit, et libellum proteftatorium Archonti exhibuit, quo confirmauit, virginem heredem, de qua controuerfia commota effet, in iure filii fui effe. Fecit hoc die decima menfis [Boëdromionis] quo [ob inftantes dies feftos * myfteriorum Eleufiniorum] ego minus poffem litem perfequi, et pronuntiationem

* Nam a die 15. Boëdromionis incipiebant hi dies feſti, qui ad diem 23. eiusdem menſis producebantur, in quo die finiebant, ſilentibus interim atque clauſis dicaſteriis.

tionem ſententiae vrgere, qua puella mihi adiudicaretur. Die vigeſimo et proximis inſequentibus, tenentibus Myſteriis, per Cephiſium hunc, mille drachmarum mercede redemtum, titulo indicationis, me detulit, et in hoc, quod nunc decerto, certamen coniecit. Vt autem me videbat in vrbe manentem, et neque huius iudicii periculum, neque terrores ſuos defugientem, deponebat ipſe in ara Eleuſinii ramum illum ſupplicatorium, quo me aut indicta cauſa de medio tolleret, aut certe patria expelleret, ipſe autem, Leagro numis placato, filiam Epilyci domi vxorem haberet. Videns autem, ne ſic quidem ſibi rem ſine magno certamine ſucceſſuram, Lyſiſtratum adibat, Hegemonemque et Epicharem, cernens eos mihi amicos, et me familiariter vtentes. Ad hos declarabat, (videte quam pudendam ad audaciam legumque contemtum Callias proceſſerit) adhuc ſi velim ab Epilyci filia deſiſtere, ſe quoque finem mei vexandi facere velle, Cephiſioque ſilentium eſſe impoſiturum, et luitionem iniuriarum mihi oblatarum arbitrio amicorum delectorum eſſe permiſſurum. Ego vero illis, quos ad me allegarat, mandaui, vt ipſi meo nomine renuntiarent, me auctorem ipſi eſſe, vt et accuſationem proſequeretur, et nouos, ſi quos poſſet, veluti canes mihi immitteret. Verum probe meminiſſet, ſi fiat, vt ego ex hoc iudicii diſcrimine ſaluus euadam, per aequitatem Athenienſium vera et recta pronuncianti um, facile factu eſſe, mea quidem ſententia, vt ipſe rurſus pro parte ſua virili de capite amittendo per me periclitetur. Et profecto haud committam, vt falſus ipſi vates fuerim, niſi ſi vos, iudices, interceſſeritis. Vera autem haec a me dici, vt vobis conſtet, cita tu mihi teſtes. *Teſtes.* Sed et hic filius, quem Callias ſubornauit, vt ſuper Epilyci filia, tanquam ſui iuris puella, mecum in iudicio contenderet, videte, viri,

cuias

cuias sit, et qua vsus origine, et quo pacto a Callia adoptatus. Refert enim, vos haec tenere. Callias Ischomachi filiae domum ductae, secundam vxorem, matrem eius, anno primo matrimonii nondum exacto, superinduxit. Sic homo hominum omnium conscleratissimus vna cum filiaque et cum matre eius rem habuit. Ad exemplum nempe Dearum, quarum sacerdotio fungitur, matrisque [Cereris,] et filiae [Proserpinae]* ambas vna domo secum habebat. Et ille quidem nullo ducebatur pudore, nulla reuerentia dearum; Ischomachi autem filia mortem sibi magis expedire arbitrata, quam vitam, in qua tam acerba et dira spectacula ferre deberet oculis suis quotidie obuersantia, laqueo tam miseram finire instituerat. Sed a superuenientibus in ipso facinoris articulo, exsoluta nodo, et lecto imposita, vt primum quiete fotuque ad vitam rediit, statim e domo Calliae discessit. Sic mater filiam in fugam egit. Verum illa ipsa quoque haud multo post exsatiatus Callias, etiam matrem exterminauit. At illa se grauidam e Callia ferre; denique puerum eniti. Callias vero puerum illum infitiari a se procreatum. Tum necessarii mulieris puerum vna cum victima die festo Apaturiorum ad aram adducebant, et Calliam exordiri sacra iubebant. Ille tum percontari, cuias infans esset; hi respondere, esse Calliae, filii Hipponici. Ego is sum, inquit Callias. Et est hic quoque filius tuus. Callias vero, aram manu tenens, negauit iurans, alium sibi filium esse, aut vnquam fuisse, praeter Hipponicum, e Glauconis filia susce-

* Ludit in vocabulo συνοικεῖν. Sed aliud est *cohabitare*, cum de viro vsurpatur, cum muliere in coniugio viuente, aliud cum de Deabus, matre et filia, in eodem templo rem quasi domesticam communem habentibus. Ambiguitas dictionis in Latinis exprimi non poterat. Poterat quoque reddi, *quamuis sacerdos esset Matris et Liberae.*

ſuſceptum. Sin autem ſciens fallat, velle, vt dii ſe ipſumque genusque totum perdant. Id quod etiam ſic fiet. Interiecto longo tempore poſt, rurſus, o viri, amore captus Callias anus audaciſſimae atque impudentiſſimae, ipſamque domi ſuae recipit, et filium eius, iam adultum, aiens filium ſuum eſſe, in Cerycum inducit collegium. Obloquebatur quidem Calliades, negans aut puerum recipi oportere, aut ſe vnquam conceſſurum, vt recipiatur. Ceryces tamen ſecundum illam legem ſciſcebant, cuius legis haec eſt formula; patrem ipſum oportere filium ſuum in collegium inducere, vbi iureiurando confirmaſſet, eum a ſe induci, qui reuera filius ſuus eſſet. Secundum hanc Cerycum ſententiam Callias, aram manibus tenens, iureiurando confirmauit, hunc ſuum eſſe filium, legitime ſibi e Chryſide natum; illum ipſum, quem pridem, item iurans, negauerat ſuum eſſe. Cita tu mihi horum omnium teſtes. *Teſtes.* Age, viri, circumſpectemus, num vſquam Graeciae patratum ſit eiusmodi facinus, vt, quam quis mulierem in domum ſuam induxiſſet, quo ſibi materfamilias eſſet, eiusdem foeminae matrem idem vir eidem vxori ſuae adhuc ſuperſtiti vxorem ſecundariam ſuperinduceret, filiamque per matrem domo expelleret. Verum non ſatis hoc eſt Calliae. Mulieri huic, tam turpi, tam inceſtuoſae, cohabitans, Epilyci filiam adhuc vult ſuperinducere, quo nempe neptis auiam * expellat. At filio Calliae ecquod nomen imponi par erit? Nam ego equidem deſpero tam ſolertem repertum iri coniectorem,

* Ergo ſecunda Calliae vxor, Iſchomachi filia, illa, quae laqueo vitam finire conata eſt, fuit antehac penes Epilycum, et ex eo filias illas ambas peperit. Agebat itaque Callias hoc, vt auiaeque, et filiae, et neptis idem maritus fieret. Proh abominabilem foeditatem et plusquam belluinam!

iectorem, qui id diuinet. Tres enim cum sint mulieres, quibus pater eius vxoribus vsus est, idem erit earum vnius filius, quem ipse sese fert, alterius frater, tertiae denique patruus. Ecquis hic erit? Oedipus? an Aegisthus? aut quo tandem oportebit nomine monstrum hoc appellari? Supereſt adhuc vnum, viri, minutum quid, et quod paucis facile verbis expediatur, de Callia vobis in memoriam reuocandum. Temporum adhuc si meministis illorum beatorum, quibus ciuitas nostra Graeciae princeps adhuc erat, et Hipponicus Graecorum locupletissimus, nostis in ore puerulorum vel infantissimorum et muliercularum versatam esse famam, tota vrbe diditam, futurorum omen habentem, Hipponicum domi suae suo sibi aere alere hominem piacularem, sibique pestiferum*, qui mensam eius sit euersurus. Meministis, viri, huius famae, vos omnes. Ecquid ergo? exitus fidem famae fecit? Plus etiam, quam oportebat. Quem sperabat Hipponicus a se filium ali, illum alebat sibi malum genium, meram pestem. Callias enim patris sui euertit diuitias, euertit pudorem, honestatem, bonam famam, euertit reliquam omnem vitae prosperitatem. Oportet itaque vos de Callia existimare, non vt de filio Hipponici, sed vt de mala peste, et numine quodam furiali, illi torquendo et excarnificando ex Orco immisso. Sed ecqui tandem factum est, vt animum erga me pristinum tam subito, et tam abnormiter mutarent hi, qui, coniuncta cum Callia opera, mihi nunc insidiantur, eique in hac certaminis forensis machina construenda et in caput meum intorquenda, consiliisque pecuniisque conferendis praesto sunt? Domum e Cypro reuersus triennium in vrbe egi; quo trien-

nio non

* Nos simus dicturi, *er hätte einen Teufel, oder einen Cobolt im Hause.*

nio non modo ipſis impietatis crimine teneri viſus non fui, tametſi fratremque aliosque, hoſpites peregre venientes, initiarem, et ad Eleuſinium adirem, et ſacra facerem; quemadmodum me quoque decere et par eſſe, vt faciam, arbitror: ſed etiam ipſi me ad obeundas ſplendidas functiones munerarias nominatim deſignarunt, primum vt gymnaſiarchus in Vulcani ludis eſſem, deinde vt princeps legationis ad ludos Iſthmicos atque Olympiacos, nomine ciuitatis huius, mittendae; denique vt quaeſtor et cuſtos ſacrorum theſaurorum eſſem. Miramini procul dubio, cur hominibus tam effuſae erga me liberalitatis, repente videar iura diuina cum humanis eo violaſſe, quod in fana deorum ingrediar. Sed dicam vobis, viri, cur hac nunc erga me mente ſint, et quam ob rem ſibi ducant in me ſic eſſe ſaeuiendum. Triennium eſt, cum Agyrrhius, vir egregius*, princeps fieret collegii redemtorum quinquageſimae. Redimebat hoc vectigal ille tum triginta talentis. Collegae ipſi hac in redemtura erant hi omnes, qui furtiuos illos et illicitos et reip. noxios coetus apud illam albam populum agitant. quos, quales ſint, vos omnes probe noſtis. Hi mihi illuc coire videntur, quo horum duorum alterutro potiantur; vt aut taceant in licendo; quod cum faciunt, tum lautam mercedem aufferunt ab iis, a quibus ſibi perſuaderi patiuntur, vt contra ne liceantur; aut ſi vectigalis alicuius redemtio, nemine plus licente, exiguo vaeneat, ipſi cum redemtore in ſocietatem redemtionis et communionem lucri coëant. Ex illa itaque redemtione quinquageſimae, cuius auctor et princeps erat Agyrrhius, hi participes eius, cum, facto ſex talentorum compendio, didiciſſent vſu ſuo, quam fructuoſa res et quanti facienda ſit vectigalis hu-

* videtur haec cauillatio eſſe.

lis huius redemtio, triennio euoluto, instante noua vectigalis licitatione, coibant in sodalitium, et quum reliquis, qui contra licituri viderentur, suo de lucro offulam obiecissent, eoque, vt contra liceri nollent, hos obstrinxissent, iterum reip. pro vectigali quinquagesimae triginta talenta offerebant. Ibi nemine, ex compacto, plus licente, progressus ego ad senatum, plus licebar, et illis item plus atque plus licentibus, tandem mihi redemtio vectigalis pro sex et triginta talentis adiudicata fuit. Hoc pacto illis per me de ponte deiectis, cum reip. fideiussoribus datis cauissem, collegi vectigal hoc, atque aerario dependi, ex eoque non tantum nullum accepi damnum, sed etiam lucelli parum quid fecimus nos, qui consortes huius redemtionis eramus; vnaque Calliam eiusque consortes facultate exclusi sex talenta interuertendi et inter sese diribendi, vestro aerario surrepta. Coierunt itaque ad deliberandum secum, et hac inter se oratione vsi sunt: Hic homo [Andocides] animum ita suum induxit, vt neque ipse de publico peculio furetur, neque nos furari patiatur, sed acribus oculis fures obseruet, intercedatque, quominus opes publicas inter se discerpant. Neque satis hoc illi erit. Nostrum enim vero si quem in fraude quapiam deprehenderit, inducet eum in concionem Athenienium, vbi necessario pereundum ei erit. Opera itaque nobis est danda, vt hic homo de medio tollatur, quoquo pacto, per fas, nefasque. Non poterant illi quidem aliter agere, atque egerunt. vos autem, viri, decet illis agere contraria omnia. Vestra enim interest, et vellem equidem, esse vobis ciues quam plurimos mei similes, hos autem aut mala peste interire, id quod vtique foret praestabilius, aut, si fieri tamen hoc minus queat, saltim esse, qui cupiditatem atque sceleritatem eorum refrenent; quos cum dignitas perso-

nae

nae ſuae admoneat, vt boni fortesque velint eſſe, veſtrique ſtudioſi, tum praeter voluntatem, facultate quoque gaudeant bene de vobis merendi. Ego quidem vobis recipio, aut hos a me meliorem ad frugem reuocatum et coactum iri, vt ab hoc genere fraudum deſiſtant; aut ſi quos eorum videro nihilominus temperare ſuae cupiditati non poſſe, quo minus vos compilent, eos a me in iudicium veſtrum inductum iri, vbi meritas poenas luent. Supereſt nunc tandem a me diluendum accuſationis caput hoc. Nauicularian nempe quod fecerim, mercibusque per mare vectandis atque diſtrahendis quaeſtum fecerim, id accuſatores mihi vitio dederunt, ex eoque docere conati ſunt, iram deorum in caput meum exarſiſſe. Videte quam ſubtiliter colligant. A diis aiunt ideo me ſeruatum maritimis e periculis ſaluum huc eſſe perductum, quo a Cephiſio videlicet peſſumdarer. Ego vero diis nego, viri, mentem eſſe tam brutam, atque his eſt accuſatoribus meis. Dii infeſti ſi mihi fuiſſent, ob neſcio quas iniurias, ſi quas ſibi a me accepiſſe viſi eſſent, nae tam ſtulti non erant futuri, vt, habentes me in poteſtate ſua, inimicum ſuum, quem vltum irent, nactique me maximis ſeptum et concluſum periculis, vt effugere nequirem, quibus periculis alia maiora et formidabiliora nulla eſſe poſſunt; tamen abire ſaluum et impunitum paterentur. Ecquod enim aliud homini poteſt periculum maius eſſe, quam per hyemem, aut ſaeuientibus procellis, mare peragrare? Ibi dii, quamquam corpus meum vltioni ſuae obnoxium, ſpiritumque atque fortunas meas in poteſtate habebant, atque, ſi voluiſſent, efficere poterant, vt exuuiae meae ipſis ſepulturae carerent honoribus, tamen ſaluum me ſupereſſe voluerunt. Accedunt ad horrorem ſubmerſionis in vndis, adhuc aliae formidines ex itineribus maritimis exſiſtentes, a quibus omnibus deorum me prote-

xit prouidentia. Bellatum quoque illo tempore fuit, quo mare peragraui. Triremes piraticique lembi mare perfultarunt, a quibus capti multi, bonis fpoliati, totam reliquam vitam in miferrima et duriffima feruitute protelarunt. Haud pauci quoque cum a procellis in oras eiecti fuiffent, a barbaris infeffas, in tormenta atque fupplicia inciderunt crudeliffima, a quibus artus fuos cum ipfi vidiffent carptim mutilatos et contruncatos, tandem exfpirarunt. Itane vero dii vobis videntur ita degeneres planeque verueces, vt, cum me tot tantisque periculis eripuiffent, tum vero partes puniendi mei fuas Cephifio demandarent, Cephifiumque loco fui tortorem mei conftituerent? Cephifium, o dii immortales, Athenienfium omnium vnum peffimum atque fceleftiffimum! quorum Athenienfium tametfi fe ciuem fert, neutiquam tamen eft. Veftrum profecto, quotquot hic affidetis, nemo facile, qui quidem vfu fuo Cephifium cognitum atque perfpectum habeat, ei rerum fuarum priuatarum partem vllam curandam commiferit. Ego, viri, pericula ab hoftibus, a piratis, a barbaris, in periculis humanis arbitror habenda effe; maris autem incerta diuini rem numinis Quodfi ergo fas homini eft de natura deorum opinari, iisque animorum perturbationes tribuere noftris fimiles, atque fufpicari, hac quoque in caufa partes deorum interuenire, tantum abfum, vt deos mihi fufpicer iratos effe, verearue ne me punitum eant, vt potius confidam, eos multo etiam magis iis fuccenfere, atque indignari, fi qui perditum eant eos, quos ipfi feruaffent. Recordari denique vobifcum, viri, decet etiam hoc, opinionem veftram publicam penes Graecos effe nunc eam, vt nulli non Graecorum videamini laudem virorum et fortiffimorum et prudentiffimorum eo meriti effe, quod a malis fuperioribus non ad ultionem vos incitari paffi fitis, fed illa

mala

mala ad ſalutem reip. conſtabiliendum et ad concordiam ciuium confouendam conuerteritis. Nam infortuniis affligi, vulgare et tralaticium eſt. Aliis quoque permultis ſuae clades contigerunt, haud illae veſtris leuiores. Diſſidia autem, ſi quae forte inter ciues coorta fuerint, bene et ſalubriter componere, hoc enim vero merito habeatur virorum ciuilium atque compoſitorum eſſe. Quae laus cum conſenſu atque confeſſione omnium vobis tribuatur, ſiue amici vobis ſunt, ſiue inimici, nolite, mutanda mente veſtra, committere, vt hac laude priuemini, videaminique, quae de obliuione priſtinarum iniuriarum recte atque ſalutariter ſanxiſtis, temeritate magis ſecundae cuiusdam fortunae, quam conſilii atque prudentiae veritate atque certitudine ſanxiſſe. Rogo itaque vos, vt quam de meis maioribus conceptam animis ſententiam habetis, eandem de me quoque velitis habere, quo mihi quoque liceat eos imitari. Recordamini eos de caritate veſtri ſtudioque bene de vobis merendi, eorum omnium nemini conceſſiſſe, ſi qui vel maximis atque ſplendidiſſimis vos ornamentis condecoraſſent; ſed multis de cauſis ſe tales erga vos geſſiſſe, quales geſſerunt, verum inprimis caritate atque prouidentia noſtri, qui eorum poſteri ſumus; vt ſi quando periculum nobis aliquod ingrueret, aut calamitas quaepiam nos opprimeret, venia a vobis digni habiti, ſalui atque ſoſpites a iudicio veſtro diſcederemus. Merito autem vos maiorum noſtrorum memineritis, quia veſtrorum quoque maiorum virtutes cunctae reip. decori maximo atque praeſidio fuerunt tutiſſimo. Claſſe enim noſtra funditus deleta, multi cum eſſent, qui ciuitatem malis implicatum irent inſanabilibus, Lacedaemonii tamen, tametſi tum hoſtes, vrbi parcere decreuerunt, memores virtutis illorum virorum, qui vniuerſae Graeciae libertatis auctores fuiſſent, eius-

que fundamenta solida iecissent. Quodsi ergo maiorum vestrorum virtus vniuersam ciuitatem tuita est, et salute beauit insperata, postulo ego quoque, vt meorum maiorum merita de vobis emolumento mihi sint, meamque salutem in tuto ponant. Ipsorum enim illorum facinorum, per quae salus tum parta fuit ciuitati, maiores mei partem haud minimam de suo contulerunt. Quapropter mihi quoque fas est a vobis salutem pari modo impertiri, propter maiorum meorum merita, atque vos ipsi a Graecis vniuersis salutem impetrauistis, ad merita maiorum vestrorum de se respicientibus. Etiam hoc vos considerare velim, viri, qualem me ciuem sitis imposterum habituri, nunc absoluentes. Primum e magnis opibus, quarum vos ipsi nostis magnitudinem, non mea culpa, sed per clades reip., ad egestatem decidi paene incredibilem. Deinde victum quaesiui modis honestis atque legitimis, ingeniique mei manuumque mearum industria. tum meo doctus vsu noui, quae sit felicitas, talis ciuitatis ciuem esse, et rursus, quae sit miseria extorrem errare, et inquilinum in regionibus finitimis commorari. Noui, quanti referat pudori atque temperantiae studere, rectisque vti consiliis. Noui item contra, quam acerbum sit, delicto quopiam sibi rerum suarum perturbationem atque fortunarum iacturam contraxisse, vnde in miseria viuendum sit. Denique cum multis versatus, habui multorum vsum; vnde contracta mihi sunt hospitia familiaritatesque multis cum regibusque et ciuitatibus aliisque priuatis hominibus; quorum omnium fructum vos, reddita mihi salute, participabitis, prout vobis pro re nata videbitur. Tandem cauendum quoque vobis arbitror esse, vt generis mei nobilitas in infamia mea ne exstinguatur. Solus ego de genere meo vobis adhuc superstum. Quodsi ergo me perdideritis, nemo vobis alius hoc de genere supererit, sed totum stirpi-

ſtirpitus erit eradicatum. Atqui Andocidae atque Leogorae domus, donec ſuperfuit, dedecori vobis vtique non fuit, ſed hoc multo magis fuit dedecus, quod Cleophon, ille lyrarum faber, extorre me agente, illam domum noſtram incoluit. Nemo enim fuit vnquam, qui, domum noſtram praeteriens, ab ea in memoriam vllius mali, ſiue publice, ſiue priuatim ab ea acceptī, induceretur. Noſtri potius maiores in bellis, quae ſuis auſpiciis geſſerunt quam plurima, de hoſtibus deuictis tropaea quam plurima terra marique fixerunt; honores geſſerunt alios quam plurimos, pecuniasque veſtras publicas adminiſtrarunt, et nullam tamen vnquam mulctam debuerunt, neque nos quicquam in vos deliquimus, neque rurſus a vobis iniuriam accepimus. Domus noſtra omnium fuit antiquiſſima, et in paucis communis omnibus, qui ope noſtra indigerent; neque fuit in illis excellentibus viris, qui, coniectus in certamen forenſe, vos horum meritorum gratiam popoſciſſet. Nolite itaque committere, vt, ipſis e rebus humanis exemtis, praeclara eorum facinora obliti fuiſſe videamini. Recordati potius operum ab ipſis profectorum, opinamini corpora quoque eorum vos coram adſtantia cernere, rogantium, vt me ſeruare velitis. Ecquemnam enim ego alium huc aſcendere iuſſero pro me deprecaturum? Num patrem? Atqui viuere deſiit. Num fratres? atqui nulli mihi ſunt. Sed liberos? atqui nati nondum ſunt. Vos itaque mihi et patris loco, et fratrum, et liberorum eſtote. ad vos receptum habeo, vos oro ſupplex, vos obſecro, ſeruate me, ipſimet a vobis me exorate. Nolite, in Theſſalis quidem et Andriis ciuitati veſtrae adſcribendis ſtudium demonſtrare ciuitatem veſtram ciuibus inſtruendi, viris exhauſtam; ciues autem veſtros, qui iam ſunt, perdere, qui ciues ſine controuerſia ſunt, et quibus conuenit viris bonis atque fortibus

tibus esse, quoniam ipsorum interest eos esse, et qui esse cum velint, tum etiam poterunt, vobis quidem sinentibus. Neutiquam, obsecro, neutiquam hac tanta vosmet polluite iniquitate, vt hos perdatis. Etiam hoc vos rogo, vt beneficia a me iam ad vos profecta, aut adhuc speranda, honore mihi habendo reluatis. Mihi enim si obsecundabitis, non fraudabimini bonis, quae a me ad vos proficisci poterunt; sin autem, inimicis meis morem gerentes, me sustuleritis, poenitendo nil quicquam profeceritis, ne si quidem tempore post fiat, vt seueritatis vestrae vos poeniteat. Neque igitur vosmet ipsi spe bonorum a me impetrandorum priuate, neque me spe bonorum a vobis prouenturorum. Tandem hos ego viros, qui virtutis illustrissimae voluntatisque erga plebem vestram prolixissimae documenta ediderunt, rogo, vt hunc in suggestum ascendant, ex eoque vos de me quid sibi videatur doceant, consiliorumque vobis auctores fiant. Huc ades Anyte, huc Cephale, huc adeste vos tribules, qui a tribu mea delecti estis ad causam meam mecum defendendam, tu, puta, Thrasylle, et quotquot estis reliqui.

ANDOCIDIS ORATIO

de suo in patriam reditu.

Alia quidem quapiam in re, viri, si sententia non sit eadem omnibus ad dicendum prodeuntibus, haud equidem mirer. Vbi autem hoc agitur, vt resp. a me beneficio quodam ornetur alio quopiam modo, quam quo quis alius velit me teterior atque inferior, ibi mecum alios consentire, alios dissentire, neque sensum omnibus eundem inesse, id vero arbitror omnium esse indignissimum. Ciuitas enim si communis est omnibus in ea commorantibus atque res ciuiles tractantibus, necesse est, vt, quae ciuitati salutaria eue-

ria eueniunt, cunctis quoque sint ciuibus communia, ad cunctosque pertineant. Hoc autem, quod graue et indignum aio esse, nunc fit, et licet cernere alios id nunc iam agentes, alios paulo post forsitan acturos. Miror equidem maiorem in modum, ecquid tandem sit, cur hi tam angantur animi, tam vrantur vehementer, tam ferant impatienter, a me boni quicquam ad vos esse peruenturum. Oportet eos vtique aut hominum omnium tardissimos, aut reipublicae vestrae maleuolentissimos esse. Nam si persuasum sibi habent, rep. florente, res quoque suas priuatas meliore loco futuras esse, stultissimi sunt omnium, commodis ipsi suis officientes. Sin autem sua sibi habent priuata commoda a vestris publicis seiuncta, haud video, qui possint reip. non infensi esse. Arcana cum ad senatum intronunciassem iis de rebus, quae res exitum si sortiantur, tot afferent et tanta reip. emolumenta, vt alia nulla possint esse maiora, quamquam ex his ipsis, aduersus quos haec mea pugnat oratio, nonnulli in senatu tum adessent, audirentque me documenta senatoribus proponentem perspicua et certa emolumentorum, ad remp. ex arcanis meis consiliis prouenturorum, et quamquam eo ibi adessent, quo, si quid a me secius diceretur, id redarguerent: tamen neque illi me erroris vllius conuincere poterant, neque alius quisquam conuicit. Nunc autem consilia istaec mea conantur penes vos in suspicionem odiumque adducere. Id quod documento est, eos non sponte sua facere; nam alias tum statim in senatu fuissent aduersati; sed instigatos atque subornatos ab aliis quibusdam, cuiusmodi sunt hac in vrbe, qui vitam videantur haud merituri, vt sinant emolumentum aliquod ad remp. a me proficisci. Hi ipsi quidem capita sua periculo non audent obiicere, neque sententiam suam de conditionibus arcanis a me in senatu propositis

positis palam pronunciare, suae nempe erga vos maleuolentiae vlcus metuentes ne sic denudetur; sed alios immittunt huiusmodi homines, qui, quod dudum insueuere impudentiae, aequissimo animo, quae in alios intorquent probra turpissima, eadem in se retorta ferunt. Solum id in eorum orationibus inueniatur quodammodo plausibile et solidum, quo fidunt, vt quocunque loco meas mihi calamitates exprobrent, quasi vos eas ignoretis, qui melius etiam nostis quam ipsi. Quo fit, vt nil cuiquam causae sit, cur gratiam eius rei ipsis habeat. Mihi vero, viri, quicunque fuit, qui primus dixit, recte et sapienter is dixisse videtur, omnes homines ad prosperam fortunam male nasci. Est autem error in capiendis consiliis et in rebus gerendis in generibus aduersae fortunae praecipuis; atque sunt, felicissimi quidem hi, quibus quam rarissime contingat labi, prudentissimi autem, qui perspecto protinus errore, quam citissima ducantur poenitentia, et a lapsu quam promtissime resurgant. Communis haec est lex humanitatis, a qua nemo exemtus est; sed fatale omnibus omnino est, vt aliqua in re labantur et miseri sint. Quapropter, Athenienses, de me si humaniter statuatis, habeamini beatiores. Res enim meae sunt eiusmodi, vt aequius sit, vos earum commiseratione duci, quam iis inuidere. Tam iratis enim sum diis vsus, et ad id deueni sortis aduersae, (siue id iuuentuti atque imprudentiae meae tribuendum est, siue potentiae eorum, qui cohortationibus suis ad istam me dementiam adegerunt) vt facere non possem, quominus inter duo mala, malorum omnium palmaria, optarem. Auctores enim istorum facinorum si prodere nollem, non de me solo periclitabar, fatale quid, necessitate ita ferente, pati; sed etiam patrem, nullius culpae consortem, metus erat ne vna mecum perimerem. Nomina enim edere me re-

me recuſante, pater effugere mortis neceſſitatem nullo modo poterat. Ex altera parte rem geſtam ſi aperirem, et ipſemet, e vinculis emiſſus, ſaluo cum ſpiritu abibam, et liberabar a neceſſitate caedis in patre meo meismet manibus patrandae. Ecquid autem eſt, quod tu non ſubire atque audere malis, quam patrem occidere. Ego itaque, pro re nata, conditionem optabam eam, quae mihi quidem moerores atque moleſtias ad tempus quam longiſſimum erat allatura, vobis autem mali, quo tum premebamini, depulſionem quam citiſſimam. Recordamini modo, quanto in diſcrimine tum verſati ſitis, quantaque conſtricti perplexitate et conſiliorum inopia, et quam vehementer trepidaueritis, ipſique vos mutuo exhorrueritis, vt vel in forum prodire cunctaremini, vnoquoque metuente, ne corriperetur et in vincula daretur. Quae mala vt vobis hunc ad modum contingerent, deprehenſum eſt, me partem contuliſſe vix milleſimam; finis autem vt iis imponeretur, ego ſolus in cauſa fui. Et nihilominus tamen effugere non poſſum, quo minus ſim mortalium omnium infeliciſſimus. Nam quo tempore procella haec in remp. incumbebat, fama vulgaris ferebat eſſe neminem diis natum magis iratis, quam ego eſſem. Et rurſus, reddita reipublicae pace atque ſecuritate, ſum tamen vnus ego omnium miſerrimus. Mala enim reipublicae, tot illa numero atque tanta, ſanari nullo alio modo, quam dedecore meo poterant. quo fiebat, vt, quod mihi noceret, id ipſum ſaluti vobis eſſet. Quapropter conſentaneum eſt, me per hoc infortunium meum non odium a vobis aufferre, ſed gratiam potius inire. Verumtamen ego calamitatis meae tum temporis intelligens, (nam profecto non noui genus vllum malorum dedecorumue, a quo intactus manſiſſem) ſiue coecitate mentis meae deluſus, ſiue neceſſitate rerum circumſtantium conſtri-

conſtrictus, rebar et vos vnum hoc maxime iuuare, et mihi expedire, vt ad illud vitae genus me demitterem, et in illum terrarum angulum me abderem, vbi minime veſtris oculis eſſem obuerſaturus. Vt autem tandem aliquando me, id quod fieri par erat, et deſiderium cepit illius vitae, quam olim ciuis veſter inter vos egiſſem, et taedium iſtius commorationis, vnde me huc ad vos retuli, ſtatuebam expedire mihi, vt aut de vita prorſus decederem, aut tanto remp. mihi obſtringerem beneficio, vt vos haud inuiti eſſetis paſſuri me inter vos aequo cum iure ciuili verſari. His ego momentis impulſus feci ab eo inde tempore, vt nulli parcerem, neque ſumtui e re mea familiari faciendo, neque moleſtiae corpore meo exantlandae, nullumque vt defugerem periculum, ſed tunc ſtatim in caſtra veſtra ad Samum induxi remiges, Quadringentis iam rerum hac in vrbe potitis, Archelao, homine Samio, quo pater iam familiariter vſus fuerat, indulgente mihi, atque concedente, quae vellem, omnia fieri, et a me importari atque exportari, quae vellem. Ita factum eſt, vt ego remiges illos inducerem; pro quibus quamquam licebat in ſingula capita quinas drachmas poſcere, dedignatus tamen ſum plus poſcere, quam ipſi mihi conſtitiſſent. Sed frumenta quoque praeterea et arma induxi, quibus illi alti armatique poſtmodum Peloponneſiacos praelio nauali vicerunt, ſolisque mortalium omnium his debet respublica, quod ſeruata tum fuerit. Quodſi ergo illi ita de vobis promeriti ſunt, vt labores eorum pro vobis exantlati in numero ingentium beneficiorum haberi paribusque praemiis rependi debeant, videor mihi ego quoque in partem huius laudis haud minimam venire. Ego enim ſi alimenta ad eos nulla aduexiſſem, tantum abfuiſſet, vt de reſtituenda republica cogitarent, vt potius ne ſuam ipſi quidem ſalutem atque vitam

vitam tueri potuiſſent. Verumenimuero, quamquam res ita ſe habebat, vt ſtudii mei praemia a vobis ſperare poſſem lautiſſima, huc tamen appulſus res reperi multum a ſpe mea diſcrepantes. Proficiſcebar nempe Samo huc, nullus dubitans, fore vt induſtria mea bene de vobis promerendi paratas penes vos laudes reperiret. Sed ſecus cecidit. Quadringenti enim vt cum naue me appulſum ad portum veſtrum audiuerant, protinus me requirebant, inuentumque in ſenatum inducebant. Ibi Piſander, in medium progreſſus: Viri ſenatores, inquit, lateri meo adſtans, ego vobis hunc hominem indico, ceu hoſtem cauſae noſtrae. Hoſtes enim noſtros adiutauit frumentis et remigibus ad eos conuectandis. Quibus ille dictis, totam protinus rem, vt geſta fuerat, exſequebatur. Actum de me tum videbatur, et ipſe iam de ſalute mea deſperabam. Nihilominus tamen ex hoc tanto diſcrimine ſaluus elabebar, beneficio ſecundae cuiusdam fortunae. Incidebat aduentus meus ad vrbem in illud tempus, quo iam in vrbe innotuerat, in caſtris ad Samum agentes a Quadringentis diſſentire. Orantem itaque Piſandrum cum ſenatorum permulti fremitu ſecundarent, vnde ego mortem mihi augurabar inſtantem, nil cunctatus ad aram Veſtae ſupplex accido, et ſimulacrum Deae, aliaque quae ibi ſunt ſacra, manibus amplector. Id quod a me factum tanti penes me fit, ipſeque mihimet eo congratulor, vt haud diffitear, ei vni facto me meam ſalutem debere. Nam ſi me ab ara abſtractum occidiſſent, impietatis erga deos commiſſae infamiam ipſi ſibi contraxiſſent. Verum hi maiore mei, quam homines, commiſeratione moti ſunt, quippe qui ſpiritum hunc conſeruarunt, quem homines illi exſtinctum ibant. Quas autem quantasque moleſtias poſtmodum a carcere vinculisque tolerauerim, longum ſit enarrare. Deuenit

oratio

oratio mea in locum luctuosum, vt saepe me meae sortis misertum fuerit prorsus lamentabilis. Qua enim in re populus iniuriam noxamque videbatur accipere, ea res multa in mala me coniecit. Rursus illud idem emolumentum, quo populum ornaueram, parum abfuit, quin pestem mihi afferret. Adeo clausae mihi septaeque omnes erant ad bene sperandum fidendumque viae. Quoquo enim me verterem, ibi malum mihi paratum cernebam. Verumtamen his quoque tantis malis tandem liberatus, nihil habui prius neque antiquius, quam vt remp. ornare beneficio quodam studerem. Decet autem vos, Athenienses, considerare, quanto genus hoc officiorum, quod ego vobis praestiti, officiis praestet iis, quibus alii vos demerentur. Ciuium vestrorum quicunque negotia vestra tractantes, pecunias vobis conficiunt, num quid agunt aliud, quam vt opes vobis vestras administrent? Militarium vestrarum copiarum imperatores, num quid aliud, quam corpora vestra molestiis conterunt, et capita vestra periculis obiiciunt, et aerarium vestrum exinaniunt, quo efficiant aliquid, quod e re vestra sit? In quo si quid etiam peccarint, non ipsi dant poenas, sed vos pro illis luitis. Et nihilominus tamen iidem a vobis coronisque, et illarum coronarum praeconiis ornantur, ceu viri fortes atque boni. Neque ego infitiabor recte ita a vobis fieri. Magna enim virtus est patriam ornare, quocunque quisque modo potuerit. Verumtamen hoc certe necesse est neminem non cernere, summi debere illum fieri, si quis opibusque suis ipsoque corpore in aleam datis promereri ciues suos haud recuset. Iam quae in vos iam dudum contuli, videmini mihi vos omnes propemodum ea tenere. Quae autem imposterum vobis sim commodaturus, et quae iam nunc instituam paremque vobis profutura, ea cum quingentis e numero vestro,

veſtro, hoc eſt cum ſenatu, communicaui; quos in capiendis conſiliis minus aberraturos eſſe conſentaneum eſt, quam ſi vos oporteat, a me doctos haec eadem, iam nunc ſtatim ſuper iis in deliberationem ire. Illi enim, ſenatores veſtri, de rebus ad ſe relatis per otium deliberant, errorumque, ſi quos committant, rationem vobis debent, turpemque in famam apud vos reliquos ciues incurrunt. Quapropter neceſſe eſt, eos in capiendis conſiliis ſumma fide atque circumſpectione verſari. Vos autem ipſi quicquid tandem vlla de re decernitis, nemo eſt, qui vos ideo incuſet, ſi quid inde ſecius eueniat. Aequum enim eſt, vobis ſaluum eſſe ius veſtrum, veſtris de rebus pro arbitrio veſtro, ſine bene, ſiue ſecus ſtatuendi. Quae tamen, extra illa ſub ſilentii fide ſenatui commiſſa, communicari vobiscum poſſunt, ea, cum iam geſta atque peracta ſint, ex me nunc audietis. Noſtis nempe, diditum ad vos permanaſſe rumorem, frumentum e Cypro nullum huc eſſe peruenturum. Et erant profecto, qui id agerent, atque machinarentur, vt ea vos clade afficeremini. Ego vero, vt illi ſpe atque deſignatione ſua exciderent, nihil mihi ad contentionem feci reliquum, vt efficerem. Quibus autem id modis artibusque effecerim, nil attinet vos ex me audire. Id vnum vos nolim ignorare, quod nunc agitur. Quatuordecim naues granis onuſtae tantum non iam nunc in Piraeeum inuehuntur, reliquae, iam dudum e Cypro euectae, haud multo poſt ſimul omnes appellent. Vitam mereri nolim, ſi vobis quoque iam nunc arcana poſſim eadem illa impertire, quae ſenatui impertii, quo ea iam nunc ſciretis, vel ante, quam effectui dabuntur. Verum quoniam id non licet, intelligetis illa tum temporis, quum effecta erunt, vnaque fructum eorum percipietis. Iam vero ſi velitis, Athenienſes, gratiam mihi quandam

indulgere, eamque exiguam, nulloque vobis labore conſtituram, rem feceritis perquam mihi iucundam futuram. Quam iuſta autem et aequa ſit eadem, intelligetis nunc. Quod enim vos ipſi vltro mihi decreueratis olim, et dandum promiſeratis, poſtmodum autem ab aliis aliam ad ſententiam traducti, rurſus ademeratis, id idem nunc, aut peto, ſi vultis, aut, ſi mauultis, repeto atque repoſco, atque hoc magis, quo vos eſtis liberaliores. Saepe enim video, vos ſeruis adeo hominibus peregrinisque omnis generis, aliis ius ciuitatis, aliis ingentia in aere dona dantes, ſi qui bene de vobis meriti viſi fuiſſent. Et ſapienter quidem ſic datis. Facitis enim hoc pacto, vt a quamplurimis beneficiis cumulemini. Illud itaque, quod ego vos vnum rogo, hoc eſt, vt immunitas ea mihi reſtituatur, quam olim dediſtis per illud decretum, quod auctore Menippo meam in gratiam tuliſtis. Quod decretum ſcriba vobis recitabit. Adhuc enim ſupereſt in tabulario ſenatus- *Decretum.* Quod modo audiſtis, Athenienſes, decretum, id cum ipſi meam in gratiam tuliſſetis, rurſus, alius cuiusdam in gratiam, poſtmodum ademiſtis. Sed date hoc precibus atque flagitationibus meis, vt tandem aliquando deſinatis mihi ſuccenſere, ſi cui veſtrum ſimultatis aliquid atque maleuoleniiae adhaeſit ex iniquis criminationibus conceptae. Verum enim ſi eſt, quod vtique eſt, quaecunque homines mentis errore delinquunt, eorum culpa corpus vacare, corpus hoc meum extra culpam eſt, quippe quod adhuedum idem eſt, atque olim fuit, tum nempe, cum mens crimen committeret, cuius nihil ad corpus pertinet. mens autem, quae culpa tenetur, nunc eſt noua mihi, prorſus ab illa priſtina diuerſa Quocirca nihil iam ſupereſt, ob quod merito mihi ſuccenſeatis. Quemadmodum autem tunc temporis indicia rerum geſtarum pro indiciis omnium

omnium certiſſimis habentes, aiebatis oportere me in numero hominum improborum haberi, ita huius meae, quae nunc eſt, erga vos voluntatis nolite vllum aliud quaerere documentum, praeterquam illam recentiſſimam fidem officiorum a me vobis nuper admodum praeſtitorum. Noua enim haec beneuolentiae erga vos meae indicia multo magis, quam illa vetuſta maleuolentiae, mihique conueniunt, et in vſu atque more ſunt mei generis. Mentiri quidem ſi iuuet, haud poſſim ſeniores certe veſtrum, quotquot aſſident, fallere. Verum non mentior, ſed verum aio, affirmans, Leogoram, patris mei auum paternum, cum potuiſſet in gratiam cum Piſiſtratidis redire, quibuscum ſtudio partis popularis diſſidebat, contractaque cum ipſis affinitate potuiſſet aequa tyrannidis portione potiri, maluiſſe tamen cum plebe moleſtias exſilii tolerare, quam patriae proditor eſſe. Quapropter conſentaneum eſt, me quoque libertatis ſtudioſum et plebi deditum eſſe, cum propter exempla maiorum meorum, tum propter eam mentem, quae ſi prius mihi non fuit, nunc eſt. Pari de cauſa vos quoque decet, vbi conſtiterit vobis, hominem frugi me nunc eſſe optimeque de vobis meritum, ſtudia mea hoc beneuolentius acceptare. Immunitatem a vobis ſemel mihi tributam, quod rurſus ademeritis, certiores vos facio, (credite mihi vere affirmanti) me id nunquam aegre tuliſſe. Vbi enim horum hominum praeſtigiis hoc tribuiſtis, vt ab eorum inſidioſis et ad imponendum compoſitis orationibus induci vos pateremini ad conſilia capiendum teterrima, vobisque ipſis peſtilentiſſima, vt nempe priſtinum veſtrum imperium cum ſeruitute mutaretis, hoc eſt, vt, prodita libertate et aequalitate iuris ciuilis, paucorum optimatium in poteſtatem vos dederetis; eccui mirabile poſſit videri, ſi callidae atque captioſae orationes im-

ponere vobis potuerunt, vt iniquius de me ſtatueretis? Verumtamen, quemadmodum in veſtris ipſorummet rebus, ſi quid, a doloſis auctoribus decepti, deliquiſſetis, eorum decreta, qui male vobis ſuaſerant, irrita feciſtis, ex quo veſtram illam priſtinam libertatem atque maieſtatem recuperaſtis; ita velim vos de me quoque, ſi quid inclementius alieno motu ſtatueritis, id abrogare, atque exſecutionem eius ſupprimere, operamque dare, vt neque hac in re, neque in vlla alia quacunque cum inimiciſſimis veſtri hominibus conſentire videamini.

ANDOCIDIS ORATIO

de pace cum Lacedaemoniis ineunda.

Pacem iniri aequam et legitimam, multo eſſe ſatius, quam bellum geri, probe id vos omnes noſſe videmini, Athenienſes. Sed oratores veſtros nomini quidem pacis locum dare, rebus autem aduerſari, per quas pax coaleſcit, id vero non omnes cernitis. Territant nempe vos hoc iactando rumore, pax vbi coaluiſſet, nihil eſſe magis verendum, quam ne forma, qua nunc vtimur, reip. gubernandae mutetur. Qua oratione nihil arbitror eſſe vanius. Quodſi enim populus Athen. nunquam antea cum Lacedaemoniis pacem contraxiſſet, merito primum eius periculum reformidaremus, cum ideo, quod rei vſu careremus, tum quod Lacedaemonii infidi ſint, et perfidiae infamia laborent. Sin autem antehac ſaepe numero pacem cum Lacedaemoniis inierimus, (et iniimus) ſalua libertate noſtra, ecqui parum ſit conſentaneum ad illa vetuſta exempla nos reſpectare, et quaerere, quae pactorum noſtrorum cum illis fors fuerit? Oportet vtique, Athenienſes, e vetuſtis futura colligere. Age itaque per exempla eamus. Bellum in Euboea geren-

gerentes, Megaramque tenentes, et Pegas, et Troezenem, pacis tamen desiderium nos incessebat. Quo factum, vt Miltiadem, Cimonis filium, Ostraciſmo e ciuitate electum, e Cherrhoneſo, quo relegatus fuerat, reuocatum, ciuitate rurſus reciperemus eam ipſam ad rem, quo ante feciales noſtros Spartam miſſus, quippe qui Lacedaemoniorum Athenis procurator eſſet, negotium pacis conſtituendae praelibaret, eique aditum communiret. Miltiadis huius opera conciliatae tum fuerunt cum Lacedaemoniis in annos quinquaginta induciae, quas ambo populi in annum a decimo tertium conſeruauimus. Age primum videamus hoc, vtrum per hanc pacem forma regiminis popularis hac e ciuitate fuerit ſublata. Profecto nemo eſt, qui id factum doceat fuiſſe; ego contra quot et quanta bona vobis ex hac pace efflоruerint, docebo. Primum, Piraeeum moeniis ſepſimus intra illud, quod dixi, tredecim annorum ſpatium; tum arcem borealem condidimus. Quarum nauium miniſterio Perſam deuiceramus, eoque facto Graeciae libertatem aſſerueramus, cum eae naues vetuſtate diſſolutae, militiaeque maritimae inhabiles factae fuiſſent, earum in locum, centum numero nouas alias triremes conſtruximus. tum primum trecentorum equitum inſtituimus militiam, totidemque Scythas ſagittarios aere noſtro redemimus. Bona haec ſunt ad remp. ab illa cum Lacedaemoniis pace profecta; hae copiae illinc partae. Interiecto tempore poſt rurſus bello cum Aeginetis fumus impliciti, quo in bello multis vtramque in partem datisque acceptisque cladibus, denuo nos deſiderium pacis ſubiit; quo factum eſt, vt ex vniuerſa ciuitate decem legati Spartam de pace conſtituenda, arbitraria cum poteſtate, mitterentur; quorum in numero Andocides erat, auus noſter. Hi legati pacem nobis cum Lacedaemoniis trigintennem conciliarunt.

Hoc toto tempore eſtne vnquam maieſtas populi imminuta? Negas. quid tum? Suntne tum deprehenſi, qui conuellere ciuilem conſtitutionem conarentur? Nulli vſquam ſunt. nemo certe eſt, qui fuiſſe doceat. Quid? quod alia omnia euenere. pax haec ſublimem ſuſtulit populum Athenienſem eiusque neruos adeo corroborauit, vt illo in otio mille talenta argenti in arcem intulerimus, eaque vt populo propria et conſecrata eſſent, lege ſanxerimus; nec non triremes de nouo centum alias fabricauerimus, etiam ipſas pari modo ſolius reip. vſibus conſecratas; naualia item aedificauerimus, mille et ducentos equites conſtituerimus, totidemque ſagittarios, et illa longa moenia auſtralia communiuerimus. Haec ſunt illa bona per hanc ſecundam cum Lacedaemoniis pacem reip. parta, et hae ſunt copiae illinc ei quaeſitae. Rurſus exorſi ob Megarenſes bellum, cum neceſſario bonis multis careremus, agro noſtro ferro et flammis hoſtium permiſſo, pacem denuo fecimus, auctore atque conciliatore Nicia, Nicerati filio. Atqui nemo veſtrum eſt omnium, quem fugiat, per hanc Niciae pacem ſeptics mille talenta pecuniae ſignatae a nobis in arcem illata fuiſſe, triremes plusquam quadringentas comparatas. In vectigalibus redibat quotannis plusquam mille et ducenta talenta. Tenebamus tum Cherrhoneſum et Naxum, et Euboeae plusquam dotrantem. Reliquas enim colonias tum temporis a nobis deductas enumerare longum ſit. His fruentes bonis rurſus in bellum cum Lacedaemoniis incidimus, impulſu tum quoque Argiuorum. Iam recordamini mihi, quaeſo, Athenienſes, ante omnia, quid ego a principio inde huius orationis et vobis animo ſpectandum, et mihi oratione agitandum propoſuerim. Num quid aliud, praeterquam hoc, nunquam eſſe per pacem factum, vt maieſtas populi Athen. conuelleretur? Atqui

Atqui planum hoc feci, neque fuit, qui me id commentum aut mentitum fuiſſe coargueret. Sed audio quosdam iactantes, e nouiſſima noſtra cum Lacedaemoniis pace triginta tyrannos exſtitiſſe, a quibus multi praeclari viri cicutam bibere coacti, exſpirarint, alii ſolum verterint. Quae qui iactant, nae multum illi falluntur. Multum inter ſe, multum pax et induciae differunt. Pacem enim ineunt, qui, aequales viribus et dignitate, de cauſis diſcordiarum ſuarum inter ſe, prout conuenerit, paciſcuntur; inducias autem victores in bello facti victis pro arbitratu ſuo imperant. vt, e. c. Lacedaemonii nuper belli victoria potiti, nobis et moenium demolitionem, et claſſis deditionem, et proſcriptorum reuocationem imperarunt. Tunc itaque induciae fiebant per neceſſitatem ex imperato. Nunc autem de pace deliberatis ineunda. Spectate differentiam ex ipſis formulis conditionum, et tum imperatarum, prout in ſtela ſcriptae proſtant, et earum, quae vobis nunc vltro pacis condendae ergo offeruntur. Ibi moenia veſtra veſtris manibus demoliri iubebamini; hic poteſtas datur collapſa rurſus exaedificandi. Tunc naues habere non concedebatur, niſi duodecim; nunc tot habendi vobis venia datur, quot ipſi vultis. Tunc cauebatur, vt Lemnus et Imbrus et Scyrus in poſſidentium iure atque poteſtate eſſent, nunc vobis permittuntur. Proſcriptos receptare nemo nunc inuitus cogitur; tunc autem neceſſum erat; vnde libertas popularis interemta fuit. Ecquanam in re nouae hae pacis conditiones cum conditionibus illis ſuperioribus induciarum conueniunt? Breuis vt ſim, ita cauſam definio, atque aio me cenſere, pacem quidem populari regiminis conſtitutioni conducere, eiusque neruos conſolidare, bellum autem peſtem libertatis ciuilis eſſe. Et haec quidem hactenus. Bellandum autem nobis eſſe, cum ſint, Athenienſes,

qui aiant, age quaeramus, quamnam tandem ob causam bellemus. Mortales, ni fallor, omnes in eo consentiunt, vt aiant, bellum eo esse suscipiendum, quo aut ipsi a se depellant iniurias sibi oblatas, aut vt aliis succurrant vim passis. Vtrumque nobis euenerat. Et ipsi laesi fueramus iniuriis, et Boeotos defensum ibamus pariter oppressos. Quodsi ergo et nostrae res eum sunt in locum perductae, vt nil iam sit cur metuamus, ne imposterum a Lacedaemoniis vexemur, et Boeoti pariter si decreuerunt, Orchomeno pristinam in libertatem remittenda, finem discordiarum facere, quid porro, quaeso, bellabimus? Num, quo resp. nobis libera sit? Atqui est. Num, quo moenia recuperemus? Atqui pax eorum copiam nobis facit. At, vt classem nobis liceat condere, nauesque, quae iam sunt, reparare, et iure, quo optimo, tenere atque exercere? Atqui etiam hoc licet. Pacta conuenta enim ciuitatibus libertatem reddunt, ex suis cuiusque legibus et institutis rem ciuilem administrandi. At ideo tamen vtique bellabimus, quo insulas recuperemus, Lemnum et Scyrum et Imbrum? Annon in conditionibus pacis planis et expressis verbis cautum est, has Athenienſium fore. At haec denique tamen idonea bellandi causa erit, vt Cherrhonesum, nostrasque ibi colonias et possessiones, et aera nobis debita recuperemus? Atqui rex Persiae intercedet; intercedent item socii nostri, sine quorum auxilio ista obtinere nequimus. Verumtamen bellandum vtique tantisper, medius fidius, erit, donec Lacedaemonios eorumque socios debellauerimus. Atqui non videntur mihi eae esse copiae nostrae, neque rerum nostrarum ea ratio, vt id nobis facile factu sit. At fac tamen tandem negotium hoc prospere succedere, et ex animi nostri sententia confici. Quae tum nobis erunt et quanta mala a barbaris toleranda! Fingamus iam, hoc, quod

quod dixi, bello esse propositum. depressionem et exstirpationem Lacedaemoniorum hoc bello spectari et quaeri; praesto nobis esse pecuniarum, quod satis sit, virisque nos florere et abundare. At ego tamen vel sic quoque bellandum esse negem. Quod si autem neque causa bellandi est idonea, neque viri sunt, neque arma, neque pecuniae, qui iam non erit nobis pax omni pacto ineunda? Etiam hoc, Athenienses, meditari vos velim, agi nunc a vobis hoc et quaeri, vt pacem libertatemque cunctis Graecis communem pariatis, rerumque atque iurium communionem omnium omnibus impertiatis. Atqui hoc aut per pacem hanc, aut alio nullo pacto, obtinebitis. Recogitate modo, ciuitates primariae quo pacto bellum componere paratae sint. primo loco Lacedaemonios spectate. Bellum hi aduersus nos sociosque nostros exordientes principatum terra marique tenebant. Verum hunc geminum principatum iidem nunc per hanc pacem rursus amittunt, non coacti armis vestris, sed libertati vniuersae Graeciae eum condonantes. Belli enim victores sunt sine controuersia, quippe qui tribus praeliis vicerint; primo illo apud Corinthum, quo socios nostros omnes, in armis praesentes, sola virtute sua praepollentes omnibus, ita vicerunt, vt victis excusationem nullam relinquerent. Rursus Boeotos, duce Agesilao, pari cum gloria virtutis excellentis atque haud controuersae vincebant. Tertio praelio, cuius exitus is fuit, vt Lacedaemonii Lechaeo potirentur, Argiuos quidem cunctos, cunctosque Corinthios, nostrarum autem copiarum Boeoticarumque eam solummodo partem vincebant, quae tum in castris aderat. His tantis editis facinoribus, in armis praeualentes Lacedaemonii, bellique victores, pacem tamen vobiscum inire nihilominus parati sunt his legibus, vt ditionem suam illam pristinam saluam tu-

tamque habeant, teneant, vt reliquae ciuitates graecae ſui iuris ſuaeque ſpontis ſint, vt mare denique ſibi victoribus cum victis commune ſit. Atqui, amabo, quam duram illi et quam intolerabilem fuiſſent a vobis pacem impetraturi, ſi vel vnum ſolummodo praelium amiſiſſent! Boeoti autem, quonam pacto pacem contrahere volunt? Orchomeni cauſa bellum cum ſuſcepiſſent, quam pati nollent ſuae ſpontis eſſe, ſuoque iure ciuili libere vti, nunc, tot numero viris fortibus amiſſis, parte agri deuaſtata, aerarioque publico exinanito, et re cuiusque priuata exhauſta, pecuniisque iis omnibus incaſſum effuſis et perditis, bello quartum in annum extracto, pacem admittunt hanc in legem, vt Orchomenus libera ſuique iuris ſit. Fruſtra itaque laborarunt, fruſtra iacturas illas omnes virorumque pecuniarumque fecerunt, fruſtra moleſtias illas omnes pertulerunt, qui potuiſſent damnis illis omnibus vacare, ſi a principio ſtatim libertatem Orchomeno haud denegare, ipſique quieti vacare voluiſſent. Videtis iam, quo pacto Boeoti pacem contrahant? At vobismet ipſis quo pacto licet, Athenienſes, paciſci? Cogitate, quaeſo, quales Lacedaemoniorum erga nos experti ſimus animos atque mores, et quales hi rurſus erga ſe noſtros. Veniam huic orationis meae parti deprecor, ſi quem veſtrum fortaſſean offenſura ſit. Non enim dicam, niſi id, quod res eſt. Claſſe in Helleſponto amiſſa cum obſideremur, quamnam de nobis ſententiam pronuntiarunt hi, qui nunc belli ſocietate vobiscum copulati ſunt, tunc autem cum Lacedaemoniis faciebant*? non hanc, vt liberi, quotquot eſſent, pro mancipiis vaenirent, et vrbs noſtra incolis deſolaretur? Quae quominus fierent, quinam interceſſerunt? Lacedaemonii nimirum. Hi ſoli

* Thebanos pungit.

Hi ſoli ſocios ab illa funeſta et furioſa ſententia auerterunt, ipſi autem ne commiſerunt quidem, vt vel deliberatio ſolummodo de re tam atroci proponeretur. Poſtmodum, iureiurando cum fidem ipſis noſtram obſtrinxiſſemus, precibusque conditiones induciarum eas ab ipſis impetrauiſſemus, quae ſtelae inſculptae ſuperſunt adhuc, volenti cuique noſcitandae atque legendae, duras quidem illas, et in ſe exſecrabiles, verumtamen, prout in illo temporum articulo miſera rerum erat conditio, ſatis etiam optabiles, vt vel congratulari nobis deberemus, quod leges latae nobis non eſſent adhuc duriores, in formulam pactorum conditorum inducias egimus. Deinde contracta cum Boeotis et Corinthiis ſocietate belli, quos a ſocietate Lacedaemoniorum abſtraxeramus, Argiuosque innectendo amicitiae, olim aliquando diris publicis deuotae atque interdictae, neceſſitatem Lacedaemoniis impoſuimus pugnae apud Corinthum committendae. Perſarum autem regem quinam ipſis infeſtum reddidere? Cononem quinam claſſe inſtruxerunt, quinam copiis armarunt naualibus, vt eo poſſet praelio nauali Lacedaemonios concidere, quo praelio principatum maris illi amiſerunt? Et nihilominus tamen, iſtaec a nobis paſſi, Lacedaemonii nobis eadem, quae ſocii noſtri, concedunt, vt habeamus, offeruntque, moenia, claſſem, inſulas. Ecquae iam erit ea pax, cui nos, per legatos conciliatae, par ſit acquieſcere? Nonne impetratis ab hoſte conditionibus iis, quas ipſi ſocii offerunt, et, quae vt nobis concederentur, ideo bellum primitus exorſi fueramus? Et reliqui quidem omnes paci ſeruiunt, tametſi partem bonorum ſuorum dedere atque amittere a pace cogantur; nos autem pacem recuſabimus eam, per quam non ſolummodo iactura nulla facienda ſit, ſed etiam ad praeſentia bona, alia noua, vltro oblata, ſint acceſſura? Ecquid

quid igitur ſupereſt, de quo dignum ſit deliberari? Quaenam illa ſunt ad quae Argiui nos inuitant? Primum doceri velim, Boeoti ſi nos deſerant, renunciata nobis ſocietate belli, initaque cum Lacedaemoniis pace, quanti tum Corinthus facienda nobis ſit. Recordamini nempe, quaeſo, Athenienſes, diei illius, qua cum Boeotis belli ſocietatem inibamus, quanam id mente faciebamus? non, exiſtimantes, ſi Boeotorum copiae ad noſtras acceſſiſſent, idoneas fore copulatas haſce copias ad repellendum vel vniuerſum genus humanum? Nunc autem deliberamus, vbi a Boeotis deſerti fuerimus, vtpote cum Lacedaemoniis reconciliatis, num et quo pacto ſperandum ſit, vt arma Lacedaemoniorum ſuſtineamus. Nae, aiunt quidam, ſuſtinebimus, Corinthum ſi cuſtodiamus, Argiuosque belli ſocios ſi habeamus. Atqui, Lacedaemonii Argos ſi adoriantur, vtrum faciemus? opemne feremus Argiuis, necne? Non enim facere poterimus, quo minus horum faciamus alterutrum. Siue enim Argiuis ſuccurrere inſuper habebimus, nullam nobis reliquam faciemus excuſationem, quominus Argiuis iniuriam feciſſe videamur, et quominus Argiui, in agrum noſtrum incurrendo et in nos pro lubitu ſaeuiendo, ſi faciant, perfidiae poenas a nobis meritas repetere videantur. Sin autem Argiuis praeſto erimus, et laboranti ipſorum vrbi ſuccurremus, nonne parata nobis et ineuitabilis erit cum Lacedaemoniis armis decernendi neceſſitas? Procul dubio. Dimicabimus igitur. quo quid fiat? quo nobis emolumentum contingat, ecquodnam? quo nempe aut vincamus, aut victi diſcedamus. Sed victis quid fiet? Scilicet, cum ditione Corinthiaca, vna noſtram quoque amittemus. Sed fac victores nos eſſe diſceſſuros. Corinthum nempe Argiuis in poteſtatem trademus. Non propter hoc tum bellabimus? Age, iam Argiuorum quoque

ſpecte-

ſpectemus cauſationes. Hortantur nempe nos, vt ſecum et cum Corinthiis in ſocietatem congreſſi, bellum aduerſus Lacedaemonios exordiamur, ipſi tamen ſeorſim pro agro ſuo, ab hoſtilibus incurſionibus eximendo, ſtipulantur. Quo fit, vt fines ſuos tutos habeant, vt in quos Lacedaemoniis ex pacto haud liceat aream Martis inferre. Porro proponenda nobis Lacedaemoniorum perfidia, terrent nos, quo minus audeamus cum iis paciſci; negantes Lacedaemonios pactis ſtaturos, quae nos vna cum omnibus noſtris ſociis feciſſemus. et iidem tamen Argiui negant vnquam a Lacedaemoniis pactum eſſe violatum, quod Lacedaemonii ſecum priuatim iniſſent. Auitam ſibi pacem hanc appellantes, qua vtuntur, caeteros graecos omnes arcere contendunt ab vſu pacis item auitae, [h. e. diuturnae, perennantis, et a maioribus ad nepotes ſine armorum interpolatione tranſeuntis.] Scilicet extracto in longum bello, ſperant fore, vt Corintho potiantur, et, vbi eos viciſſent, [Lacedaemonios puta] a quibus nunquam non victi ſunt, ſperant futurum, vt eos in poteſtatem ſuam redigant, quorum opera atque auxiliis vſi hos ſuos victores deuiciſſent. Huiusmodi ſpes participantes vos facere non poteritis, quominus alterutram harum duarum conditionum optetis; vt ſcil. aut cum Argiuis arma Lacedaemoniis infeſta inferatis, aut, ad exemplum Boeotorum, cum Lacedaemoniis paciſcamini. Ego vero etiam atque etiam vereor, ne morbus ille noſter domeſticus atque familiaris etiam nunc nos inceſſat. Solemus enim, melioribus amicis poſthabitis, ſequiores praeferre; aliorumque cauſa bella gerere, quamquam licet nobis noſtri cauſa quieſcere, et ſaluis eſſe. Exempla vultis? Accipite: Oportet enim recordatione praeteritorum adminiculo ad ſalubritatem honeſtatemque capiendorum conſiliorum vti. Perſarum itaque cum rege pactis

ctis induciis, et amicitia in perpetuum duratura, quas inducias Epilycus, Tisandri filius, matris nostrae frater, illa, qua ad regem Persarum functus est, legatione conciliauit, non multo post, decepti ab Amorge, seruo regis, eoque fugitiuo, ingens rerum nostrarum columen, opes regias, amisimus, et quasi rem vilem atque contemnendam abiecimus, atque amicitiae cum rege amicitiam cum Amorge praetulimus, seruum domino potiorem ducentes. Qua contumelia rex ad iracundiam accensus, et ad vindictam stimulatus, Lacedaemoniorum ad partes se transtulit, initaque cum illis belli societate, quinquies mille talenta ipsis ad bellum aduersus nos gerendum administrauit, quo factum est, vt Lacedaemonii, per has tantas opes superiores facti, nostras opes omnes euerterint, maiestatemque nostram humo afflixerint, ad nihilumque redegerint. Vnum hoc erat de multis nostris scitis et egregiis prosperisque inuentis. videtis iam quale id fuerit? Adde aliud. Syracusani olim aliquando nos per legatos adibant, rogantes, vt secum pro simultate amicitiam colere, et pro bello pacem gerere mallemus, docentesque, quanto magis e re nostra facturi simus, si secum malimus, quam cum Egestanis atque Catanaeis, belli societatem contrahere. Quid nos tum? Praetulimus nempe paci tum quoque bellum, et Egestanos Syracusanis, et otii domestici quieti, qua poteramus gaudere, Siculae molestias expeditionis. quo factum est, vt flore iuuentutis nostraeque et sociorum nunc careamus, lectissimis quibusque viris amissis, magnoque nauium numero, et ingenti vi pecuniarum opumque, magnaque potentia mulctati, paucos quosdam, luctuosissimae cladi superstites factos, cum dedecore domum reuersos recuperauerimus. Postremo, qui nunc Argiui huc venere vobis persuasum, vt bellum denuo capessatis, ab iisdem induci nos nuper pa-

per patiebamur, vt pace, quae nobis tum cum Lacedaemoniis erat, reſciſſa, in Laconicam infeſta cum claſſe incurreremus. Quo facinore ipſorum irritata ira multorum nobis fuit magnorumque malorum principium. Bellum enim inde exarſit tam dirum, et tam fatale nobis, vt tandem cogeremur moenia noſtra noſtris manibus demoliri, claſſem hoſtibus tradere, exſules inuiti recipere. Harum tantarum cladium in compenſationem, ecquod nobis Argiui emolumentum attulerunt? ecquod diſcrimen pro Athenienſibus adierunt? Ecquid iam ſupereſt, quod volunt a vobis fieri? Hoc nempe, vt nunc quoque pro pace bellum optetis, vt Argiuos bellorum veſtrorum ſocios habeatis pro Boeotis, vt Corinthiorum factionem illam, quae nunc rerum potitur, Lacedaemoniis praeferatis. Quae ſunt tam foeda dictu, tam cogitatu horrenda, vt eſſe nolim quemquam, qui ea vobis, Athenienſes, perſuadeat. Hominum enim parti ſapientiori ſatis et ſuper eſt documentorum in exemplis praeteritis, vt denuo in idem ſaxum impingere caueant. Sed ſunt rurſus alii, tanto ardore pacis quam citiſſime contrahendae inflammati, vt illo ipſo quadraginta dierum ſpatio, quod indultum nobis ad deliberandum fuit, negent quicquam opus eſſe; quid? quod eo ipſo ſibi factam a nobis querantur eſſe iniuriam, quod copiam deliberandi vobis impetrauerimus. Miſſos enim nos ideo Spartam aiunt eſſe, plena cum poteſtate decernendi atque ſtipulandi legatos, quo hac de re ad vos rurſus ne referremus. Referendo ad vos hac tanta de re, quod ſaluti noſtrae cauerimus, eam pro cautione meticuloſitatem appellant; negantes vnquam fuiſſe, qui ſimplicitate atque ſinceritate orationis conſiliorumque vſus, vos e malis veſtris eripuiſſet, ſed eos eſſe vos aientes, qui ſeruari et ad ſalutem reduci nolitis aliter, quam aut clandeſtinis machinationibus, quae ſedulo celen-

tur,

tur, atque ab oculis et a cognitione veſtra amoueantur, aut captioſis ſtrophis, quibus deludamini. Quam ego orationis turpitudinem nego mihi probari. Etenim, Athenienſes, bello quidem tenente, aio vtique imperatorem frugi, reip. deditum, eundemque prudentem, eiusque rei, quam agit, certum, oportere conſilia ſua clam plerosque agitare, militesque ignoratione diſcriminum propoſitaeque ſpei blandimentis deluſos ad diſcrimina adducere; de pace autem agitantes legatos ea, quae et cum vniuerſa Graecia communicanda ſit, et iurisiurandi religione ſancienda, et literarum monumentis conſecranda, ſtelae publice fixae inſculpendarum, nego decere, vt committant, vt acta ſua occulta ſint, aut vt callidis ſtrophis vos circumueniant, imo vero laudem eos mereri magis, quam notam, ſi poteſtate a vobis data, pro arbitratu ſuo decernendi atque paciſcendi, nil vſi, ſummam conſiliorum ad vos retulerint. Oportet itaque conſilia quidem capere, quam fieri poteſt, tutiſſima, quae autem ſemel depecti fuerimus, et iureiurando ſanxerimus, ea rebus ipſis ſalua et rata praeſtare. Non ſine cauſa hanc inculco pactorum ſeruandorum conſtantiam, qui voluntatum veſtrarum mirificam norim volubilitatem; cuius reſpectu par etiam atque conſultum eſt, nos, quibus legatorum partes demandatis, non ſolummodo tenorem earum ſpectare literarum, quas nobis pro norma dicendorum agendorumque additis, ſed vna quoque, et magis etiam, animorum veſtrorum incredibilem reuereri mutabilitatem. Soletis enim copias quidem iam praeſentes et apparatas, ſuſpectas habere, de iis queri, mediocritatem atque inſufficientiam earum contemnere; copias autem, quibus caretis, iactare, quaſi iam iis inſtructi ſitis. Vbi bellare referat, ibi pacem appetitis. pacem rurſus ſi quis conciliatum vobis eat, vos bona tum enumeratis quot et

quanta

quanta bellum vobis pepererit. praeſertim cum iam nunc ſint, qui ſe negent intelligere, quidnam proſint eiusmodi pacta, per quae cum claſſis et moenia nobis reſtituantur, tum de reſtituendis ſibi ſuis poſſeſſionibus priuatis in extero ſolo ſitis, per bellum amiſſis, item de nominibus penes ſe ab incolis alienae ditionis contractis diluendis, nil caueatur. Illas enim vero poſſeſſiones, vnde ſibi victus olim fuiſſet, per pacem non reſtitui, a moenibus autem ſe non paſci. Quibus iſtaec querentibus conuenit a me pari modo ſatisfieri. [Non videntur nimirum hi, neque arctiſſimam cernere priuati ſui commodi cum rep. neceſſitudinem, neque intelligere, in claſſe et in moeniis velut in praecipuis quibusdam cardinibus verſari proſperitatem publicam. Quod ita eſſe, perfacile eſt docere.] Erat aliquando tempus, Athenienſes, quo moeniis et claſſe carebamus. Quibus vt primum potiti ſumus, primum gradum ad ſplendidam fortunam fecimus, et fundamenta poſuimus eorum bonorum, quorum deſiderio ſi adhucdum tenemini, age, comparemus nos quoque nobis eadem praeſidia atque adminicula, quibus maiores vſi tantam potentiam reip. adſtruxerunt, quantam alia nulla resp. conſecuta eſt. Eam vero potentiam maiores adepti ſunt, partim a volentibus Graecis et eloquentiae vi atque lenociniis delinitis, partim ab ignorantibus et circumuentis; alia aere ſuo redemerunt, alia denique vi armorum inuitis extorſerunt. Eorum in numero, quae maiores a Graecis orationis comitate impetrarunt, haec habentur: primum, vt quaeſtores aerarii Graecorum communis hic Athenis conſtituerentur; deinde, vt vniuerſae Graecae claſſi ſi quando conueniendum eſſet, hic in portu noſtro conueniret; tum, vt cui ciuitati triremes propriae nullae eſſent, ei nos earum copiam de noſtro faceremus. Ignaris porro atque inuitis Peloponneſiis moenia condi-

dimus, cuius fraudis vt nullas daremus poenas, id a Lacedaemoniis aere noſtro redemimus. Per vim denique, ringentibus nequicquam aduerſariis, principatum Graeciae obtinuimus. Bona haec atque decora ſpatio quinque et octoginta annorum cum parta nobis, tum vſu fructuque exercitata ſunt. Ad extremum autem bello fracti, vna cum reliquis bonis, etiam moenia perdidimus, claſſemque noſtram pro arrha fidei atque obſequii noſtri ceperunt Lacedaemonii. Et claſſem quidem ſibi a nobis traditam ſuſceperunt, moenia autem nos ipſos manibus noſtris demoliri coëgerunt; metuentes, ne geminum hoc veluti principium habentes nos priſtinam reip. gloriam atque potentiam reſtitueremus. Nunc autem hi iidem Lacedaemonii, oratione noſtra permoti, per legatos ſuos adſunt, plena illos agendi atque paciſcendi poteſtate inſtructos, et cum arrham nobis noſtram reddunt, tum permittunt moenia rurſus habere, claſſemque nouam comparare, et inſulas iuris noſtri eſſe. Et quamquam nunc ſecundae fortunae principium prorſus idem nanciſcamini, quod olim maiores veſtri nanciſcebantur, ſunt tamen nihilominus, qui pacem hanc, quae vobis hoc principium reddat, negent pacem eſſe appellandam, negent pro pace eſſe habendam. Procedere hos velim in medium, atque docere, (quod vt facere poſſint, noſtrae prouidentiae imputabunt, qui cauimus vt clauſula haec conditionibus pacis adiungeretur, vt quadraginta dierum ſpatium indulgeretur deliberando ſuper his pacis conditionibus, probandaene an reprobandae videantur) docento itaque, ſi quid in illis conditionibus minus recte habet. Licet enim id expungere. Aut ſi quis adhuc addendum quid cenſeat, vobis volentibus et perſuaſis, id adſcribito. Quaecunque ad hunc modum in literas relata, et rata habita fuerint, iis ſi vtemini, pace item licebit vti. Sin autem

tem horum omnium nihil placet, bello licet decernere. In poteſtate veſtra omnium eſt, vtrum horum voletis, id optare. Adſunt enim Argiui atque Corinthii per legatos, qui docere contendent, bellum geri expedire. rurſus Lacedaemone veniunt legati, ad pacem contrahendam vos adhortaturi. Cauſae huius arbitratio penes vos eſt, non penes Lacedaemonios. Et hoc noſtrae debetis cautioni. Partes itaque legatorum, quas nobis mandaueratis, rurſus a nobis in vos transferimus, facimusque vosmetipſos omnes veſtri legatos. Quicunque enim mox in ſuffragando manus attollet, ſiue pacem, ſiue bellum ſciſcet, perinde eſt habendus ac ſi ipſe ſuo nomine legatione fungeretur. Age iam, decernite ea, quorum, velim, vt vos inpoſterum nunquam poeniteat.

ANDOCIDIS ORATIO,

qua contendit Andocides, non ſe, ſed Alcibiadem, oſtraciſmo eſſe vrbe eliminandum.

Non nunc ſolum, in hac, quam cum maxime agitamus, cauſa didici, rem publicam attingere quam ſit anceps et fallax, verum etiam dudum ante, quam partem vllam reip. tractandam mihi ſumerem, rem hanc duxi eſſe perarduam. Verumtamen boni ciuis atque fortis hoc autumo eſſe, vt caput periculis pro multitudine obiicere nil dubitet, neque metu priuatarum ſimultatum, amandata reip. cura, in otium ſecedat. Per eos enim, qui rerum ſolummodo ſuarum priuatarum ſatagunt, ciuitates nihilo fiunt, neque ſplendidiores, neque opulentiores; publica vero negotia qui adminiſtranda capeſſunt, his ciuitates incrementa ſua libertatemque debent. Quorum ego ſtudens in numero haberi bonorum virorum, grauiſſima incidi in diſcrimina. aequos tamen atque beneuo-

los si vos nactus fuero iudices, nil metuam, sed confidam certo futurum, vt ex huius iudicii discrimine saluus ac sospes discedam, tametsi calumniis inimicorum et plurimorum, et teterrimorum exagiter. Agitur itaque hoc, quod mihi nunc certandum est, certamine, non corona, sed hoc, vtrum patria per decennium carendum mihi sit, nec ne. Comparati mecum sunt hoc in certamine Nicias et Alcibiades. Nostrum ergo, quicunque is erit, vnum aliquem necesse est hoc infortunio feriri. Legem hanc testulariam, facere non possum, quin reprehendam, quae vtrique iuriiurando, cum illi, quod ciuium, tum isti, quod senatorum vnicuique dicendum est, contraria sanxerit. Ibi enim, in illis, quas commemoraui, iurisiurandi formulis, spondetis, vos neque ciuitate ciuium quemquam esse exterminaturos, neque in custodiam daturos, neque extremo supplicio, causa non audita, addicturos. Huiusmodi autem causarum ea est iniquitas, vt neque die, neque defensione dicta, neque tabellis clam diditis, misero exterminando per tam longinquum tempus patria carendum sit. Fieri enim per eam potest, vt nocentissimus quisque malo intactus abeat, innocentissimus percellatur. Nam qui sodalium et coniuratorum numero praeualent, hi vincunt et secundiore cum fortuna discedunt. Non enim fortiti iudices disceptant hoc causarum genus, vt reliquas solent, verum vniuersus populus hic interuenit. Praeterea lex mihi alia ex parte deficere, ex alia modum excedere videtur. Aut minor est iusto, aut maior est. Priuatorum enim delictorum haec si poena debet esse, iusto est atrocior. Sin autem criminum poena est ad cunctam remp. pertinentium, tum ego eam minutam atque contemnendam arbitror esse. poterant enim haec siue mulcta pecuniaria, siue carcere, siue extremo supplicio castigari; quae castigationes multo sunt, quam

quam oſtraciſmus, acerbiores. Adde, quod, qui migrare hinc alio propterea iubetur, quod malus ciuis eſt, is hac poena non emendatur. Quoquo enim ſe contulerit, non deſinet ibi malus eſſe, ſed corrumpet etiam illam ciuitatem, in quam ſe ingeſſerit. Et non ſolummodo patriae non minus inſidiabitur poſtmodum, atque ante fecit, quam expelleretur, ſed vel magis etiam, atque titulo iuris ſpecioſiore. Sin autem virum bonum extrudatis, ea die, qua id faciatis, amicos quidem veſtros incredibilem animo triſtitiam atque aegritudinem eſſe concepturos autumo, inimicos autem laetitiam, intelligentes, ſi per imprudentiam atque inſcitiam veſtram contingat, vt ex eiiciendis optimum eiiciatis, futurum eſſe, vt resp. ab huius viri virtute toto decennio nullum fructum percipiat. Verum hinc quoque facile ſit cernere, legem hanc teſtulariam malam et noxiam eſſe, quod gracarum omnium ciuitatum nulla hac lege, ad exemplum noſtrum, vti voluerit. Atqui hominum omnium conſenſu ea ſcitorum habentur praeclariſſima atque ſaluberrima, quae plebeiis perinde atque optimatibus conueniant, et in quorum appetitione quam plurimorum certet aemulatio. Verumenimuero pluribus me hac de re diſputare, haud video quid ad rem attineat. Nihil enim profecto ad rem praeſentem aut gubernandam aut mutandam multitudo verborum ſuper hoc loco profecerit. Quare vnum hoc vos rogo, vt dicendorum aequi et communes velitis arbitri eſſe, et, vt reliquarum eſtis omnium rerum magiſtri atque gubernatores, ita huius quoque ſitis, hoc eſt, vt neque conuitiorum importunitati, neque adulationum intemperantiae locum concedatis, ſed modeſte quidem atque compoſite cauſam dicenti patulas aures mentesque praebeatis propitias; infeſtas autem clauſasque inſolenti atque clamoſo. Quo enim diligentius de vno quoque loco atque articulo rerum

in medio propositarum audiueritis, hoc melius vobis licebit de nobis statuere. Haec hactenus. Accedo nunc ad ipsam causae meae dictionem. Insimulatus nempe fui odii erga statum regiminis popularis, atque factiositatis. Verum hoc quidem de crimine quod dicam, parum esse mihi relictum video. Quodsi haec de me criminatio nondum in iudicio fuisset agitata atque disceptata, merito vos accusatores ferretis eo de crimine me postulantes, mihique nunc necesse foret defensione maculam hanc purgare. Posteaquam vero iam quatuor e iudiciis, in quibus hac ipsa de causa iudicatus ego sum, semper absolutus discessi, aequum haud arbitror esse, me denuo cogi hac de re verba facere. Nam priusquam haec causa in foro agitaretur, sciri nullo pacto poterat, verane esset, an commentitia haec criminatio. post dictam vero sententiam, quaecunque ea est, vtramuis in partem, siue absoluens, siue condemnans, peremta et definita est lis, et de reo pronunciatum, sons an insons sit. Graue itaque mihi et periniquum videtur, condemnatis quidem moriendum esse, etiamsi vna solummodo tabella suffragia condemnantia numero plura sint, quam absoluentia, et ad mortis supplicium bonorum quoque publicationem adiungi; absolutis autem iamdudum, et saepius, iterum atque iterum sustinendas atque depellendas esse iisdem de criminibus actiones; et perdendi quidem extremisque suppliciis damnandi potestatem penes iudices esse, seruandi autem nullam, sed sententias eorum, vt mortem irrogantes ratas, ita salutem condonantes irritas et cassas esse; idque lege disertis verbis vetante, de eodem homine eadem in causa bis iudicari, et tametsi vos fidem vestram de legibus tuendis atque exercendis iureiurando obstrinxeritis. Quamobrem iuuat, praeterita omni mei praedicatione, Alcibiadis instituta, mores omnemque vitam memoriae vestrae subiicere.

subiicere. Quod instituenti mihi dubitare occurrit vnde ordiar. Tot sunt numero delicta eius, et facto quasi agmine circumstant et ingerunt sese. Quare delectu vtar, et in praesentia tacita transmittam ea, quae de stupris eius matronarumque raptibus, aliisque huiusmodi contumeliis, cum violentia coniunctis pacem ciuilem disturbante, commemorare possem. Neque enim tempus ad dicendum mihi praefinitum his exsequendis sufficerit, et praeterea ciuium perquam multorum in offensionem sim incursurus, si labes eorum domesticas et vlcera abscondita denudem. Quae autem in rep. mala patrauit, ea mala, iniuriasque, quibus et cognatos, et ciuiumque peregrinorumque innumeros laesit (laesit enim primum quemque obuium sibi factum) ea demonstrabo. Primo itaque loco, vt hinc exordiar, auctor cum esset vobis factus, vt vetustum illum, ab Aristide summa cum aequitate statutum modum pensionum a Graecis ciuitatibus contribuendarum reformaretis, eique rei vt se vna cum aliis nouem collegis praeficeretis, sociis vestris tributa propemodum duplicauit. Qua in re cum planum atque testatum fecisset, quantum posset, et quam essetformidandus, vectigalia publica suam in rem interuertit, atque depeculatus est. Iam cogitare vos velim, neminem reip. vestrae pestem afferre praesentiorem, quam eum, qui sociis vestris tributa geminata imponat, in confesso cum sit vtrumque, et hoc, vestram omnem salutem in salute vestrorum sociorum esse sitam, et istud, socios multo nunc esse teteriore loco, atque olim fuerunt. Ciuem itaque bonum et iustum fuisse Aristidem, si existimatis, conuenit, vt Alcibiadem hunc ciuem habeatis vnum omnium nequissimum, quippe cuius scita et instituta scitis et institutis Aristidis aduersa fronte repugnent. Quid enim hac noua tributorum descriptione effectum est? Hoc

nempe, vt complures e ciuitatibus, quae quibusque sunt patriae, exsulatum eant, et in Thurios concedant habitatum. Prodet sese haec sociorum erga nos simultas atque maleuolentia, quamprimum fiet, vt cum Lacedaemoniis bello maritimo committamur. Malum ego eum iudico reip. dispensatorem, qui praesentis solummodo temporis habeat rationem, nullam futuri, plebique consiliorum auctor fiat, iucundorum magis, quam salutarium. Satis equidem eorum mirari non possum tarditatem, qui Alcibiadem status popularis studiosum dictitant esse, qui status aequalitatis iurium inter omnes communis tuendae ergo est excogitatus et in vitam inductus, quam aequalitatem ne priuatis quidem in rebus ab Alcibiade obseruari ipsi tamen cernunt, videntes cupiditatem atque superbiam et insolentiam, qua Calliam, vxoris suae fratrem, exagitauit. Sororem nempe Calliae cum in matrimonium duxisset cum dote decem talentorum, coegit Calliam doti alterum tantundem addere, postquam Hipponicus, Calliae et mulieris pater, in castris apud Delium, imperium militare gerens, vita excessisset. Ab hoc enim Hipponico aiebat Alcibiades sibi, praeter dotem, adhuc alia decem talenta promissa fuisse, si filium e filia sua suscepisset. Et quamquam Alcibiades, id quod e dictis constat, vxorem haberet domi ita doratam, vt alia nulla vnquam, ex quo Athenae sunt, parem dotem alii viro attulerit, modis tamen illam tractauit tam indignis, tam se gessit lasciuum, importunum, iniquum, insolentem, impurum, vt eam in domum, quam materfamilias ita laute dotata incoleret, scorta induceret, et ingenuae et seruilis conditionis, eoque vxorem adigeret, matronam insignis pudicitae, vt domo mariti derelicta ad Archontem questum iret, de malis atque iniquis modis, quibus a marito haberetur, cuius rei copiam leges vxori male habitae

bitae dabant. Verum ibi vel maxime potentiam suam declarauit Alcibiades. Conducta enim satellitum caterua impressionem in forum fecit, et vxorem inde per vim et armata manu eduxit. Quo facto testatum ad omnes fecit, et magistratus, et leges, et ciues reliquos a se flocci non fieri. Verum ne hic quidem substitit, sed et vitae adeo Calliae insidiatus est, quo solus ipse Hipponici facultates deuoraret. Nostis vos omnes, Alcibiadem coram vobis in concione insimulatum huius sceleris fuisse. populumque bonorum Calliae ab ipso Callia heredem dictum, si contingeret ipsi, vt sine prole decederet. Id quod metuens faciebat Callias, ne cupiditas Alcibiadis sibi exitium afferret. Atqui erga necessarios secum coniunctissimos qui se tam scaeuum atque tam immanem gerit, vt vxorem contumeliosissime habeat, eiusque fratrem per insidias clandestinas de medio tollere conetur, ecquem ab eo animum, quos mores erga reliquorum quemque ciuium exspectabitis? Non multo maiori hos insolentia, superbia, immanitate tractabit? Omnes enim profecto alii homines carissimos habere plurimique facere solent necessarios. Praeterea nudus et desertus ab amicis non est, vt facile et inulto laedatur, sed diuitiae, quibus circumfluit, adiutores ei vindicesque quamplurimos contraxerunt. Quod autem omnium est indignissimum, is cum sit Alcibiades, tam sceleratus, tam impurus, ea insolentia atque arrogantia, tamen quasi populi studiosissimus concionatur, aliosque optimatium studiosos et plebem exosos appellitat. et iam dudum mortem publice a vobis irrogandam meritus criminibus in vos commissis, iisque studiis, quibus deditus est, tamen, si qui, apud vos infamati atque suspecti vobis redditi, publice sint accusandi, vestroque nomine actione criminali prosequendi, tum Alcibiadi partes accusatoris a vobis demandantur. Quamquam ita est

inciuilis, vt alii Athenienſium nemini ius ſecum par et aequale, aut etiam non multo ſaltim minus concedat, tamen ciuitatis ſe cuſtodem fert, et ita vos nullo in loco habet, itaque deſpicit et faſtidit, vt, cum vobis in concione congreſſis, et velut in vnum corpus coalitis aduletur, tum viritim veſtrum ſingulis quibusque inſultet. Exemplum vultis? Eo proceſſit audaciae, vt Agatharchum pictorem, perſuaſum ſecum domum ſuam venire, coegerit ibi manere, illamque coloribus incruſtare, atque picturis exornare; illoque neceſſitatem admotam preeibus declinante, verasque excuſationes allegante, (ſe nempe iam aliis operam ſuam elocaſſe) comminatus ſit carcerem, niſi protinus, ſine vlla cunctatione ſibi penicillum manumque commodaret. Quid ageret Agatharchus? Neceſſe habebat neceſſitati praeſenti ſeruire. Expingit itaque Alcibiadis domum, donec tandem, quarto menſe poſt, oportunitatem nactus, clam cuſtodes appoſitos, auffugit. Cuſtodibus enim Alcibiades, veluti rex quidam, vtebatur. Et nihilominus tamen idem Alcibiades tam erat impudens, vt vltro ad Agatharchum adiret, cum eoque, velut iniuriam paſſus, quereretur, et tantum aberat ab auſorum per violentiam poenitentia, vt potius pictorem inſuper etiam minis territaret, quod opus affectum deſtituiſſet. Ibi pictori nihil proderat, quod ciuis liberae ciuitatis, quod ingenuo loco natus eſſet. Nil ſibi pictor metuebat minus, quam ſi ſeruus perinde fuiſſet, atque qui confeſſione omnium ſerui ſunt. Quod cum factum ego mecum reputo, continere me non poſſum, quo minus indigner, et ingemiſcam ſorti veſtrae, ciues. Ne fures quidem atque latrones ſicariosque vobis ſatis tutum eſt in carcerem abducere, quia actori ex titulo ἀπαγωγῆς, ſeu abductionis, mulcta mille drachmarum luenda in lege praeſcripta eſt, niſi partem minimum quintam ſuffragiorum

rum obtinuerit. Alcibiades autem, cum ciuem veſtrum domi ſuae, velut in carcere quodam, tam diu coercitum tenuiſſet, atque pingere coëgiſſet, non tantum impune id abſtulit, ſed etiam hoc ſibique aliisque videtur maieſtuoſior, atque formidabilior eſſe. Et reliquis quidem ciuitatibus, quibuscum pacta de iure commerciorum mutuo inimus, in literis, quibus huius iuris capita perſcripta ſunt, recipimus inter alia atque cauemus, hominem ingenuum neque in cuſtodiam, neque in vincula dandum eſſe. Quam legem qui migret, ei ingens mulcta proponitur. Ab hoc autem Alcibiade, quamquam iſta patrauit, nemo vnquam poenam, neque priuatim, neque publice repetiit. Ego vero ſalutem omnium hoc vno autumo contineri, vt omnes magiſtratibus atque legibus pareant. Quae aſpernans, firmiſſimum deſtruit ciuitatis praeſidium. Acerbum ſemper et indignum eſt, malum accipere, etiamſi ab iis accipiatur, qui iura cuique debita neſciant. multo autem id eſt acerbius, ſi quis ſciens volensque ea violet, quae ſumma cuique ſunt atque cariſſima. Eiusmodi enim homo palam quaſi iactat, et veluti praeconio ſuo denuntiat omnibus, quemadmodum hic Alcibiades quoque fecit, aequum ſe atque conueniens exiſtimare, non vt ipſe patriae legibus obſecundet, ſed vt vos libidini ſuae ſeruiatis. Verum non in pictore ſubſtitit Alcibiadis audacia. proceſſit vlterius. Taureae caſum, viri, recogitate, qui antichoregus Alcibiadi fuit. Lex eſt haec in formulam ſcripta: Quoniam haud liceat peregrinorum ſaltatorum aliquem, quem velis, actu iam ſaltantem, ex orcheſtra deducere, ideo fas eſſe, quem peregrinum videas id conantem atque parantem, vt, quamuis vetitum ſit, tamen in publico ſaltet, eum impedire. Hanc in legem tam enormiter impegit Alcibiades, vt Tauream, ſpectantibus vobis et reliquis Graecis, qui ludos

ludos ſpectatum et concelebratum conuenerant, nil reueritus magiſtratuum maieſtatem, quamuis omnes tum in vrbe adeſſent, [eorumque opem implorare Alcibiades potuiſſet, atque debuiſſet, ſi quid a Taurea laeſus ſibi videretur] e ſcena verberibus exegerit, * tametſi ſpectatores Taureae ſtuderent, et Alcibiadem odiſſent, et chorum Taureae quidem laudarent, Alcibiadis autem ne ſpectare quidem vellent. Et Taureas tamen, quamquam hac inſigni laeſus iniuria, nihil iſta acceptae contumeliae indignitate ad vltionem profecit. Iudices enim certaminis, alii metu Alcibiadis, alii gratia victi, victorem eum declararunt, pluris eum facientes, quam iusiurandum, quo ſeſe obſtrinxerant. Et recte quidem atque conſentanee iudices mihi videntur Alcibiadis gratiam eblandiri voluiſſe, videntes, Tauream quidem, quamuis tantam pecuniae ſummam in chori ſui inſtructionem, atque inſtitutionem et exhibitionem profudiſſet, tamen inulta contumelia affectum; violatorem legum autem, tam enormiter legibus illudere auſum, immoderata abutentem potentia atque graſſantem. Culpa tantae repugnantiae penes vos haeret, qui poenas petulantiae et arrogantiae diſpenſatis. Clam enim peccantes caſtigatis, palam autem laſciuientes ſuſpicitis. Qui fructus ſunt huius veſtrae turpiſſimae conniuentiae et gratiae ad ſeruitutis humilitatem abiectae? Hi nempe. Contra fiunt omnia, atque per naturam rerum fieri oportebat. Summa imis vertuntur. Adoleſcentes veſtri, non

* Hic opponuntur inter ſe haec. 1. non peregrinus erat Taureas, ſed ciuis. 2. non priuatus, ſed quodammodo magiſtratum gerens, vt qui munus ederet. 3. non ſaltator, ſed antichoregus. 4. Alcibiades Tauream non manu eduxit e ſcena, id quod ne in peregrino quidem licebat, ſed verberibus pulſans eiecit.

non in gymnasiis, sed in tribunalibus habitant, et seniores arma gerunt, militiaeque funguntur muniis; iuniores autem orationibus consiliisque suis deliberationes de rep. moderantur, exemplo freti Alcibiadis, qui sceleribus committendis prorsus immaniter et belluinum in modum grassatur et furit. Exempli causa, in illa deliberatione, quae de poena a Meliis sumenda habita est, auctor fuerat Alcibiades, vt pro mancipiis vaenirent. Vaeniere. Redemit e captiuis Alcibiades mulierem aliquam Meliam, e qua filium suscepit, nascendi forte vsum, a iure naturae hoc abhorrentiore, quam Aegisthus olim vsus fuit, quod natus fuit e pari hominum inter sese mutuo capitaliter exosorum. Huic vni contigit, vt in necessariis arctissime secum copulatis haberet eos, quorum alter alteri iniurias intulisset eas, quae in humanis excogitari possunt extremae, altera ab altero easdem acceptas pertulisset. Mentem me meam dilucidius verbis declarare par est, et Alcibiadis crudelitatem pluribus exponere. Liberos quaesiuit ex ea muliere, quam libertate priuasset, et in seruitutem detrusisset, cuius patremque necessariosque occidisset, cuius patriam desolauisset. Ex eiusmodi muliere quem sperare poterat sibi filium nasciturum? Inimicum nempe sibique et huic ciuitati, quam fieri posset, infestissimum. Tot enim tantisque ille filius nothus Alcibiadis tenetur constrictus necessitatibus odii erga patremque patriamque, Athenas, exercendi. At enim vero vos talia scelera in fabulis quidem tragicorum videntes in scenam producta, detestamini, atrocia ducentes atque infanda portenta; cernentes autem ipsi vestris oculis cum intra moenia vestra fiunt, pensi non facitis; quamquam illa quidem tragica scelera non nostis verene patrata quondam fuerint, an solummodo a poetis, illusionis et oblectationis ergo, ficta. haec autem certo cum sciatis fieri, et fieri

quidem

quidem contra ius et fas, tamen aequo fertis animo. Adde, quod ſint, quos nil pudeat, de Alcibiade ſic affirmare, non fuiſſe vnquam ciuem tam fortem, tam admirabilem, tam praeclare de patria meritum, atque hic ſit. Ego vero contra cenſeo, neminem vnquam magis, atque hic Alcibiades eſt, in patriae peſtem natum eſſe, patriamque ab eo tantas eſſe clades accepturam, tantamque rerum omnium perturbationem hunc eſſe creaturum, vt priſtinorum malorum memoria prae his, quae hic concitabit, ex animis hominum effluxura videatur. Alienum enim a probabili exſpectatione non eſt, vt, tale qui ſibi vitae principium inſtituerit, is abnormi quoque exitu eius vtatur. Sed eſt hominum ſobriorum atque ſapientium, vt incrementa ciuium modum excedentia praecaueant, reputantes ſecum, a talibus tyrannidas conſtitui. Et ſunt haec quidem tam euidentia, vt Alcibiades ad ea nil videatur eſſe reſponſurus. At illud afferet, de victoria ſua Olympiaca, et alia potius omnia defenſioni ſuae immiſcebit, quam vt ea purget, quorum incuſatur. Verumtamen vel ex his ipſis ab hac cauſa alienis, quibus ingerendis ille vos ludificari conabitur, planum confido me facturum, eum multo eſſe digniorem, qui morte a vobis mulctetur, quam qui ſeruetur. Narrabo nempe rem vobis, vt habet, a principio. Diomedes ad Olympiam deſcenderat, par equorum agens, et e re familiari, quamuis illa perquam mediocri, tamen decus patriaeque domuique ſuae parere ſtudens, quippe qui ſecum reputaret, equeſtria certamina, non a fortunis certantium gubernari, ſed a temeritate fortis fortuitae diſceptari. Huic Diomedi itaque, tametſi ciuis veſter is eſſet, neque de contemtiſſimis, tamen Alcibiades par illud equorum, de quo dico, per vim extorſit, gratia apud munerarios Eleorum praeualens, et pro Diomede ipſe certa

certamen peregit. Quamquam, ciuem veſtrum qui modis tam indignis tractauit, quid eum facturum exiſtimatis fuiſſe, ſi quis alius ſociorum veſtrorum cum bigis equorum certare doctorum ad Olympiam veniſſet? Vnquamne is permiſſurus fuiſſe vobis videtur, vt ſociorum veſtrorum quisquam ex aduerſo ſecum curſu equeſtri contenderet, qui, bigas cum ciui veſtro per vim eripuiſſet, alienis in equis diſcrimen certaminis experiri nullus dubitauit? quo Graecos docuit nil mirari, ſi quem eorum per vim atque nefas iniuriis vexet, quippe qui ne ciuibus quidem ſuis aequi ſecum iuris vſuram relinquat, ſed aliis bona per vim eripiat, alios pugnis et verberibus concidat, alios domi ſuae coërcitos teneat, ab aliis inuitis pecunias extorqueat; quibus rebus omnibus perſpicuum atque teſtatum facit omnibus, merum orationis iactabundae ludibrium eſſe illam veſtram tantopere celebratam democratiam, nomen ſpecioſum, ſed re caſſum, et tanti non faciendum. Oratione cum ad vos in concionibus vtatur adulatoris, aurae populari ſeruientis, tum facinora de ſe edit tyrannum prodentia; non auſurus id facere, niſi vſu ſuo didiciſſet, vos vocabuli [democratiae] praeſtigiis intentos, rem ipſam inſuper habere. Lacedaemonii quidem aequo ferunt animo a ſociis ſe vinci, ſi quis horum in certamen ſecum coire ſuſtineat. Alcibiades autem Lacedaemoniis tam eſt diſſimilis, vt pati nolit ſe vel a ciue vinci, ſed palam, audientibus quamplurimis, negarit ſe cuiquam conceſſurum, quem iuuet ſecum in contentionem vllius cuiuscunque rei deſcendere. Quid tum? Non ex huiusmodi ciuium veſtrorum moribus neceſſe eſt hoc conſequi, vt ciuitates graecae animos a partibus veſtris ad partes inimicorum veſtrorum transferre, a vobisque deſciſcere, et odium veſtri imbibere diſcant? Verum Alcibiadis inſolentia in Diomede deprimendo haud acquie-

uit.

uit. Ipſum ſuimet poenituit, niſi vniuerſam adeo ciuitatem veſtram contumelia reſpergeret, eaque publico in loco, quo ſe cum inſolentia ſua ad omnes iactaret Legationem mittere ſoletis, id quod neminem fugit, quae nomine veſtrae reip. ludis Olympicis interſit. Ab hac legatione, pridie diei ſacrificii, rogabat ea vaſa aurea atque argentea, quae die ipſo ſacrificii ſpectaculi ergo in pompa traduci ſolent, ad vnius diei breuem vſuram concedi, quo ea in abaco ſpectatum exponeret. Verum decipiebat legatos, a quibus illa vaſa, rogatu ſuo, vtenda, ſub ſponſione maturae redditionis, acceperat. Die enim poſtero malluuia atque thuribula veſtra legatis reddere recuſabat, quo ipſe illis prior vteretur, quam legati nomine locoque veſtrae reip. iis vti poſſent. Quo factum eſt, vt peregrinorum ſi qui rei veritatem ignorarent, videntes pompam reip. ſuccedentem pompae ab Alcibiade productae, opinarentur legatos vaſis vti ab Alcibiade mutuo acceptis; aut ſi qui tamen eorum, ſiue rei veritatem a ciuibus veſtris accepiſſent, ſiue ipſi per ſe iam noſſent mores Alcibiadis, vanitatis, iactantiaeque plenos et ſcurriles, reique, quae illi domeſtica eſt, rationes tenerent, hi vos riderent, qui vnum virum plus cuncta ciuitate poſſe fineretis. Verum vnum ſolummodo ex me audiuiſtis inſolentiae genus ab Alcibiade tum demonſtratae, quum per ludorum Olympicorum occaſionem domo abfuit. Atqui dignum eſt hominem vobis a me proponi ſpectandum, qualem toto illius abſentiae tempore ſe geſſit. Regem ſe, non priuatum geſſit, qui id ageret, vt patientiae veſtraeque et ſociorum illuderet, omniumque ceruicibus inſultaret. Socii quoque veſtri tum teſtatum fecerunt, eum a ſe pluris, quam vos, fieri. Epheſii enim ei tentorium exſtruxerunt duplo maius, quam erat vobis exſtructum. Carnes ad ſacrificia atque epulas, et pabula equis

la equis Chii praebuerunt. Vini praebitionem caeterorumque ſumtuum attribuebant [Aſiatici] Lesbiis * Atque tam proſpere ipſi res ſuccedunt, vt, quamquam cunctos habet Graecos inſolentiae ſuae teſtes, poenas tamen ad hoc diei nullas dederit. Reliqui quidem magiſtratus quotquot vel in vna ſola ciuitate ſocia honores geſſere, tenentur, iis defuncti, rationem adminiſtrationis ſuae vobis reddere. Hic autem vnus vir, tametſi a ſociisque ciuibusque largitiones acceptarit, et ab inuitis expreſſerit, et quosdam adeo, cum facultatibus, ipſa vita ſpoliarit, tamen hoc tot tantorumque facinorum tulit praemium, vt in Prytaneo epuletur, et praeterea cum faſtu odioque intolerabili in illa ſeſe ementita victoria Olympiaca iactet; quaſi non remp. illa victoria multo magis infamaſſet, quam coronaſſet. Conſiderare atque memoria repetere ſi voletis, in coeptis auſisque Alcibiadis multa inuenietis eſſe eiusmodi, vt alii, qui partem eorum vllam quamuis minutam, ad tempus quamuis breue, tentaſſent exercere, rem omnem ſuam familiarem peſſumdederint. Hic autem nullum non luxuriae genus inſana cum ſumtuoſitate atque prodigalitate exercens, rem geminauit. Soletis vos quidem parce atque frugaliter victitantes, et ad rem augendam attentos, opum et pecuniarum cupidos appellitare. Sed fallimini. Hi non ſunt. Nemo eſt lucri cupidior, quam nepotes et ganeones. Hi quo pluribus indigent, hoc foediore atque ſordidiore cum auiditate pecunias conquirunt. Facinus itaque de vobis edituri ſitis foediſſimum, ſi caritate amplectami velutique in oculis circumferatis hunc, qui veſtris opibus abuſus, eas materiam ſuae libidinis, inſolentiae atque ſcelerositatis

* *die Epheſier hielten ihn frey in Anſehung des Quartiers, die von Chius beſorgten die Küche, die Lesbier den Keller.*

ſitatis fecit; poſtquam vos iidem Calliam, Dynamii filium, qui certaminum eorum omnium, quibus coronae in praemium contentionis ſunt propoſitae, victorias [non equis alienis, ſed] corpore ſuo meritas abſtulit, teſtulario iudicio condemnatum ex vrbe eieciſſetis, penſi non facientes, quod neruorum ſuorum contentione gloriam reip. peperiſſet. Recordamini quoque fortitudinis et ſanctimoniae maiorum veſtrorum, qui Cimonem, ob legum contemptum et ob facinus a patrio ritu abhorrens, (ſororem ſcilicet Cimon in matrimonio habebat) vrbe iuſſerunt emigrare, tameſi non Cimon ſolum, ſed etiam pater eius Miltiades remp. palmis Olympicis exornaſſent. Verumenimuero penſi non faciebant illas victorias, neque e palmis certaminum, ſed e ſtudiis quemque iudicabant. Gentes porro noſtras inter ſe ſi conferatis, nullo modo mihi conueniet genus hoc poenae. Non enim facile ſit, qui doceat, in gente mea vllum vnquam fuiſſe, ea vſum calamitate, vt per teſtulas vrbe expelleretur. Alcibiadis autem genti ita eſt proprium et quaſi domeſticum, vt nemini Athenienſium omnium alii magis, quam huic, conueniat. Nam et maternus eius auus, Megacles, et paternus, ipſi cognominis, oſtraciſmo perculſi ſunt. Quocirca nil mirandum, neque abhorrens ei accidet, ſi honos ei quoque decernatur idem, qui maioribus eius olim decretus fuit, praeſertim cum ne ipſe quidem Alcibiades videatur conaturus infitiari, hos maiores ſuos ſe fuiſſe multis modis ſapientiores atque temperantiae iuſtitiaeque ſtudioſiores, quamuis de reliquo Athenienſium illi omnium, aequalium ſuorum, erant flagitioſiſſimi, aequique iuris et legum contemnentiſſimi. Huius enim Alcibiadis tot ſunt et tanta flagitia et ſcelera, vt nemo ſit, qui ea, etiamſi velit, pro dignitate rei, oratione notare atque

atque exagitare valeat. Et legem hanc teſtulariam qui tulit, ille mihi videtur eam tuliſſe, eos ad ciues reſpiciens, qui potentia et auctoritate ſua magiſtratus legesque praegrauant, et quia oppreſſorum vnusquisque ſigillatim ab eiusmodi praepotentibus ciuibus poenas repetere nequit, ideo lege hac ferenda poenam conſtituiſſe ab vniuerſa ciuitate iis irrogandam, qua danda ſatisfieret iniuriam paſſis. Et in hoc ciuium praepotentium numero Alcibiades quidem eſt, ego vero non ſum. Quater enim paſſus ſum hoc de me haberi iudicium in publico, quo cuique et accuſandi et audiendi ergo accedere liceret; et priuatas ſi quis vnquam ob offenſiones mecum experiri iure voluit, nunquam impediui. Alcibiades autem, tot facinorum reus, a ſe tamen impetrare non potuit, vt vel vnius criminis poenam cuiquam daret. Eſt nempe tam ſaeuus et truculentus, vt non modo praeteritarum iniuriarum poenas ab eo repetere nemo audeat, ſed etiam multi metuant, ne impoſterum quoque nouas alias iniurias idem inultus ingerat. Mala qui ab eo acceperunt, hi expedire ſibi iudicant, vt ne muſſent quidem, ſed iniurias acceptas taciti deuorent. Alcibiades autem, mala aliis inulta dans, parum ſibi videtur egiſſe, niſi praeterea quoque verſutia, gratia, minis perfecerit, vt impoſterum quoque impune ſibi ſit, quicquid voluerit, agere. Itane vero, Athenienſes, egone exſilio dignus habebor, qui mortis poena indignus habitus fuerim? Eo in iudicio, quo capitis cauſam egi, abſolutus, nunc patriam fugere cogar, indicta cauſa? E tot numero certaminibus forenſibus victor factus, et iure quidem merito, nunc rurſus exſilio puniendus videbor ob eadem ipſa, iam dudum et toties purgata crimina? Forte dicat aliquis, in illis ſuperioribus iudiciis exiguam mihi commotam

fuiſſe inuidiam, accuſatores in me tum inſurrexiſſe contemnendos, ab inimicis leuibus et tralaticiis in diſcrimen adductum me tum fuiſſe. Ego vero ab inimicis exagitatus tum fui valentiſſimis et facundia et vſu rerum agendarum. Hi iidem actores, qui me tum oppugnabant, alios duos, eiusdem mecum criminis reos, morte damnarunt. Haud itaque vos decet eos homines veſtris e moeniis eiicere, quos quamuis ſaepius accuſatos et in iudicium adductos, nunquam tamen vere reos culpaeque inſimulatae obnoxios reperire potuiſtis, ſed eos, qui vitae ſuae rerumque a ſe geſtarum rationem reddere poſtulati recuſant. Res enimuero, ni multum fallor, grauis et indigna, iſtacc veſtra, in cauſarum paritate, iudicii diſparitas. Iudicio veſtro damnati ſi qui poenas extremo dederint ſupplicio, haud videmini aequo animo laturi, ſi quis eos poſtmodum defendere, veſtrumque iudicium iniquitatis arguere ſuſtineat. Eccur non eadem conſtantia in abſolutis quoque iudicii veſtri dignitatem tuemini? Qui fas erit iam dudum abſolutos eorundem criminum iterum atque iterum incuſari? qui conueniet, de viuis vos non idem, atque de mortuis ſtatuere? Decet quidem Alcibiadem, (et ab eiusmodi homine nil aliud exſpectes,) vt, quemadmodum ipſe leguinque ſanctimoniam et iurisiurandi religionem vilipendit, ita vos quoque conetur ad ſimilem rerum ſanctiſſimarum violationem oratione adducere. Dignum item eius eſt perſona, vt, quemadmodum alios ſine miſericordia partim e patria expellit, partim occidit, ita ipſe vos cernens atrocem in ſe ſententiam expedientes, commiſerationem veſtram infimis precibus atque ſupplicationibus, lacrymisque lamentabilem in modum profundendis expugnet. Non miror hoc in eo, qui facinora perpetrauit vberrimis lacrymarum

marum riuis digna. Dubito tamen, atque circumspicio quinam hi sint, quos speret a se oratione precibusque suis flectendos. Iunioresne? quos apud plebem in inuidiam odiumque adduxit insolentiae atque petulantiae suae foeditate, item eo, quod iuuenes docuit palaestras deserere, quo vetustae disciplinae seueritas exstincta fuit; nec non eo, quod aetate adhuc immatura rebus ciuilibus gerendis sese immiscuit. Num seniores? a quorum moribus suos habuit quam dissitissimos, et quorum studia contemsit. In poenis irrogandis non solummodo habenda est ipsorum peccantium ratio, neque danda est opera vt hi soli poenas dent criminum meritas, sed hoc quoque spectandum est, vt reliqui, cum sontes plecti vident, eo iustitiae atque temperantiae studiosiores reddantur. Quodsi ergo me expuleritis, ad insolentiam et proteruiam corrumpetis eos, qui iam sunt pudentes et moderati. Sin autem Alcibiadem, certus sum fore, vt petulantibus maiorem legum reuerentiam aequique iuris studium acrius iniiciatis. Nihil iam, quod agam, superest, praeter hoc vnum, vt coram vobis rerum a me gestarum summa capita breuissimis perstringam. Legationibus ad Thessalos, ad Macedonas, ad Molossos, ad Thesprotos, in Italiam denique Siciliamque obeundis, effeci, vt si qui vobis vsquam locorum essent infestiores, eos vobis reconciliarem. Amici vobis qui essent, eos in fide confirmaui. Alios ab hostium vestrorum partibus auocaui. Quod si optimatium vnusquisque idem feciisset, nec perpaucos nunc haberetis hostes, et socios vobis permultos acquisiuissetis. De muneribus a me editis piget commemorare, nisi hactenus, vt aiam, imperata me exsequi, sumtus facientem, non ex aerario publico furtis imminuto, sed e re mea priuata. victorias re-

portaui, vnam titulo εὐανδρίας. seu fortitudinis virilis, aliam in cursu cum facibus ardentibus, tertiam in choris tragicis, non caedens antichoregos, neque pudori mihi ducens, me minus, quam leges, valere. Tales ego ciues multo aio esse digniores, qui in vrbe manere, quam qui emigrare iubeantur.

ΔΟΝΥΣΙΟΥ ΑΛΙΚΑΡΝΑΣΕΩΣ
ΔΕΙΝΑΡΧΟΣ.

Περὶ Δεινάρχου[1] τοῦ ῥήτορος οὐδὲν εἰρηκὼς ἐν τοῖς περὶ τῶν ἀρχαίων γραφεῖσιν, διὰ τὸ μήτε εὑρετὴν ἰδίᾳ γεγονέναι χαρακτῆρος τὸν ἄνδρα, ὥσπερ τὸν Λυσίαν, καὶ τὸν Ισοκράτην, καὶ τὸν Ισαῖον· μήτε τῶν εὑρημένων ἑτέροις τελειωτὴν, ὥσπερ τὸν Δημοσθένην, καὶ τὸν Αἰσχίνην, καὶ Ὑπερείδην ἡμεῖς κρίνομεν· ὁρῶν δὲ καὶ τοῦτον τὸν ἄνδρα παρὰ πολλοῖς ἠξιωμένον ὀνόματος ἐπὶ δεινότητι λόγων, καὶ ἀπολελοιπότα δημοσίᾳς τε καὶ ἰδίᾳς λόγους, οὔτε ὀλίγους, οὔτε εὐκαταφρονήτους, ἡγησάμην δεῖν μὴ παραλιπεῖν αὐτὸν, ἀλλὰ καὶ περὶ τοῦ βίου, καὶ τοῦ χαρακτῆρος αὐτοῦ διελθεῖν, καὶ διορίσαι τίς τε γνησίως καὶ ψευδεῖς[2] λόγους, πάντων, ἢ τῶν γε πλείστων, ἀναγκαιότερον[3], οἶμαι, τοῖς μὴ ἐκ περιζώματος[4] ἀσκοῦσι ῥητορικήν· ἅμα δὲ ὁρῶν οὐδὲν ἀκριβὲς

1. Περὶ Δεινάρχου] Fort. περὶ δὲ Δειν. quod si admittitur, constat hoc opusculum cum prioribus illis, de Isocrate, Lysia, Isaeo, vnum corpus constituere et inter sese illa quatuor cohaerere.

2. καὶ ψευδεῖς] interponi velim articulum τὰς.

3. ἀναγκαιότερον] malim in superlatiuo ἀναγκαιότατον.

4. ἐκ περιζώματος] in procinctu. est nouae Graecitatis dictio latinisans. raptim significans, tumultua-

ἔτε Καλλίμαχον [5], ἔτε τὸς ἐκ Περγάμε [6] γραμματικὸς περὶ αὐτῦ γράψαντας, ἀλλὰ παρὰ τὸ μηδὲν ἐξετάσαι περὶ αὐτῦ τῶν ἀκριβεστέρων ἡμαρτηκότας, ὡς μὴ μόνον ἐψεῦσθαι πολλὰ [7], ἀλλὰ καὶ λόγος τὸς ἀδὲν μὲν αὐτῷ προσήκοντας, ὡς Δεινάρχε [8], τάτῳ προστίθεσθαι· τὸς δ' ὑπ' αὐτῦ γραφέντας, ἑτέρων εἶναι λέγειν. ἀλλὰ Δῆμος ὁ [9] 30. Μάγνης, ὃς ἔδοξε γενέσθαι πολυίτωρ, ἐν τῇ περὶ τῶν ὁμωνύμων πραγματείᾳ, λέγων καὶ περὶ τάτε τῦ ἀνδρὸς, καὶ ὑπόληψιν παρασχὼν ὡς περὶ αὐτῦ λέξων τὶ ἀκριβὲς, διεψεύσθη τῆς δόξης. ἐνθὲν δὲ κωλύει

rie, repetino quodam impetu et inuolatu quasi, quomodo milites in procinctu stantes, testamentum faciunt, festinantes, sine necessario apparatu.

5. Καλλίμαχον] scil. ἐν τῇ ἀναγραφῇ τῶν ῥητόρων. v. Ionsium de Script. H. P. l. 4. p. 135. et Bentleii fragm. Callimachi p. 352. HVDSON.

6. τὸς ἐκ Περγάμε γραμματικὸς] significare videtur Cratetem et Aristarchum: vt ex Suida colligitur, dum Aristarchum tradit discipulum fuisse Aristophanis grammatici, et Pergami plurimum concertasse cum Cratete grammatico Pergameno. SYLBVRG.

7. ἐψεῦσθαι πολλὰ, ἀλλὰ καὶ] num ἐψεῦσθαι πολλὰ καὶ ἄλλα, ἀλλὰ καὶ — non solum alia multa mentiti sint, (aut in aliis multis falsi, vel lapsi) sed etiam —

8. ὡς Δεινάρχε τάτῳ προστίθεσθαι] malim ὡς ὄντας Δεινάρχε, τάτῳ προστιθέναι in actiuo.

9. Δῆμος] sufficiendum esse Δημήτριος, dudum obseruasse criticos, admonet Hudsonus. Post ἀλλὰ addendum esse videtur aut καὶ, aut γὰρ καὶ.

κωλύει καὶ τὰς λέξεις παραθέσθαι τοῦ ἀνδρός. ἔστι δὲ τὰ ὑπ' αὐτοῦ γραφέντα τάδε. »Δεινάρχοις δ' ἐνετύχομεν τέτταρσιν· ὧν ἐστιν ὁ μὲν, ἐκ τῶν ῥητόρων τῶν Ἀττικῶν· ὁ δὲ, τὰς περὶ Κρήτην συναγήχε μυθολογίας. ὁ δὲ πρεσβύτερος μὲν ἀμφοῖν τούτοιν, Δήλιος [10] δὲ τὸ γένος, πεπραγματευμένος [11] τοῦτο μὲν ἔπος, τοῦτο δὲ πρᾶγμα. τέταρτος δὲ, ὁ περὶ Ὁμήρου λόγον συντεθεικώς. ἐθέλω δὲ πρὸς μέρος περὶ ἑκάστου διελθεῖν, καὶ πρῶτον περὶ τοῦ ῥήτορος. ἔστι τοίνυν οὗτος, κατά γε τὴν ἐμὴν δόξαν, οὐδὲν ἀπολείπων τῆς Ὑπερείδου χάριτος, ὥστ' εἰπεῖν, Καὶ νύ κεν ἢ [12] παρέλασεν. ἐνθύμημα γὰρ φέρει πιστικὸν, καὶ σχῆμα παντοδαπόν· πιθανότητός γε μὴν [13] ἕνεκα εὖ ἔχει, ὥστε παρισάναι τοῖς ἀκούσι, μὴ ἄλλως γεγονέναι τὸ πρᾶγμα, ἢ ὡς αὐτὸς λέγει. καὶ νομίσειεν ἄν τις εὐήθεις εἶναι τοὺς ὑπολαβόντας τὸν λόγον τὸν κατὰ Δημοσθένους εἶναι τοῦτο. πολὺ γὰρ ἀπέχει τοῦ χαρακτῆρος· ἀλλ' ὅμως τοσοῦτον σκότος ἐπιπεπόλακεν [14], ὥστε τοὺς μὲν ἄλλους

10. Δήλιος] perperam in exemplari [h. e. editione P. Victorii Torneliana] ſcriptum δῆμος. SYLBVRG.

11. πεπραγματευμένος etc.] haec non intelligo. latinus interpres reddidit, *qui et poeta fuit, et dux egregius.* Num pro πρᾶγμα leg. eſt συγγραμμα. *et carminis auctor, et hiſtoriae*

12. καί νυ κεν] alludit ad Homericum illud, Iliad. ψ. καὶ νύ κεν ἢ παρέλασσεν, ἢ ἀμφήρισεν ἔθηκεν: quod de Platone quoque vſurpauit ſupra 17, 45. SYLBVRG.

13. γε μὴν dedi auctore Sylburgio, pro vulgari τε μὴν.

αὐτῆ λόγος, σχεδόν πε ὑπὲρ ἑξήκοντα καὶ ἑκατὸν ὄντας, ἀγνοεῖν[15] συμβέβηκε· τὸν δὲ μὴ γραφέντα ὑπ' αὐτῆ, μόνον ἐκείνε νομίζεσθαι. ἡ δὲ λέξις ἐστὶ τῆ Δεινάρχε κυρίως ἠθικὴ, πάθος κινῆσα, σχε- 45.
δὸν[16] τῇ πικρίᾳ μόνον, καὶ τῷ τόνῳ τῆ Δημοσθενικῆ χαρακτῆρος λειπομένη, τῆ δὲ πιθανῆ καὶ κυρίᾳ[16b] μηδὲν ἐνδέουσα.» 2. ἐκ τέτων ἐδὲν ἔστιν οὔτε ἀκριβὲς, ἀλλ' ἔτε[17] ἀληθὲς εὑρεῖν. ἔτε γὰρ γένος ἀνδρὸς, ἔτε χρόνος, καθ' ὃς ἦν, ἔτε τόπον, ἐν ᾧ 113. 1.
διέτριψε, δεδήλωκε. ὀνόματα δὲ μόνον καινὰ καὶ περιτρέχοντα ἐσπέδασε· καὶ πλῆθος λόγων εἶπεν ἐδενὶ τῶν[18] σύμφωνον· εἰ δεῖ δὲ τἀναντίον. ἃ ἔν

ἐγὼ

14. τοσάτως σκοπὸς ἐπιπεπόληκεν] legendum videtur, τοσῶτον ἔτος ἐπιπεπόλακεν, *vſque adeo haec eminuit oratio:* et v. 44, paſſiuo fine ἀγνοεῖσθαι *ignorari.* SYLBVRG.

Ego e vitioſae vulgatae ruderibus effeci τοσοῦτον σκότος ἐπιπεπόλακεν. ab ἐπιπολάζειν.

15. ἀγνοεῖν] recte admonet Sylburgius, leg. eſſe ἀγνοεῖσθαι in paſſiuo.

16. κινοῦσα] in exemplari hypodiaſtole eſt poſt κινοῦσα: parum apte. SYLBVRG.

16b. κυρίᾳ] malim καιρίᾳ.

17. ἔτε ἀκριβὲς etc.] fort. leg. ἐκ τέτων ἐδὲν ἔστιν ἔτ' ἀκριβὲς, ἔτε κομψὸν, ἀλλ' ἐδ' ἀληθὲς. (poſterius ἐδὲ per delta, non per tau) *non ſolum nil exaſciatum, neque exquiſitum, ſed ne verum quidem,* ἀλλὰ ſubiicit, in praemiſſis ἐ μόνον eſſe ſubaudiendum.

18. ἐδενὶ τῶν —] ſententia talem quampiam mutilati huius loci ſcripturam poſtulat, ἐδενὶ τῶν προτέρων (vel τῶν δοκίμων, τῶν πιθανῶν) σύμφωνον. εἰ δεῖ

ἐγὼ [19] αὐτὸς δ' ἐμαυτῷ κατελαβόμην, ταῦτ' ἐστίν. Δείναρχος, ὁ ῥήτωρ, υἱὸς μὲν ἦν Σωστράτῳ· Κορίνθιος δὲ τὸ γένος· ἀφικόμενος δὲ εἰς Ἀθήνας, καθ' ὃν χρόνον ἦνθεν αἵ τε τῶν Φιλοσόφων καὶ ῥητόρων διατριβαί, Θεοφράστῳ τε συνεγένετο, καὶ Δημητρίῳ τῷ Φαληρεῖ. εὐφυὴς δὲ περὶ τὰς πολιτικὰς λόγους γενόμενος, ἀκμαζόντων ἔτι τῶν περὶ Δημοσθένην, ἤρξατο λόγους γράφειν, καὶ προῆκε κατὰ μικρὸν εἰς δόξαν. μάλιστα δὲ ἤκμασε μετὰ τὴν Ἀλεξάνδρου τελευτήν, Δημοσθένους μὲν καὶ τῶν ἄλλων ῥητόρων φυγαῖς ἀϊδίοις καὶ θανάτοις περιπεσόντων, ἀδεὼς δ' ὑπολαμπόμενος μετὰ τὰς ἄνδρας [20] ἀξίως λόγου. καὶ διετέλεσεν ἐτῶν πέντε καὶ δέκα χρόνον λόγους συγγράφων τοῖς βουλομένοις, ἕως Κάσσανδρος τὴν πόλιν κατέσχεν. ἐπὶ δὲ Ἀναξικράτους ἄρχοντος, ἐφ' ᾧ κατέλυσαν τὴν ἐν τῇ Μουνυχίᾳ φρουράν, ὑπὸ [21] Κασσάνδρου καταστασθεῖσαν, οἱ περὶ Ἀντίγονον καὶ Δημήτριον βασιλεῖς, αἰτίαν ἔχων, ἅμα τοῖς ἐπιφανεστάτοις Ἀθηναίοις, καίτοι ξένος δὲ ταληθῆ λέγειν, καὶ τοὐναντίον: vel ἤδη δὲ καὶ τἐναντίον. SYLBVRG.

Pro εἰ δὲ malebat Casaubonus ἔδει δὲ. subaudi ποιεῖν. mihi videtur locus sic posse sarciri. ἀδενὶ τῶν ὄντων σύμφωνον· εἰ δὲ δεῖ ταληθὲς εἰπεῖν, πᾶν τἐναντίον. [scilicet τοῖς ἔσι.]

19. ἐγὼ omisit Bodleianus, errore scribae.

20. μετὰ τὲ ἀνδρὸς] procul dubio legendum μετὰ τὰς ἄνδρας *post illos viros.* SYLBVRG.

Emendaui secundum eum.

21. ὑπὸ] pro vulgato ἀπὸ reposui ex 116. 13. SYLB.

πλῆθος] εἰσάγειν εἰς τὸ πλῆθος τῶν ἀθηναίων plebem. 67. 10. ἀρετῆς τῆς μεγίστης εἰς τὸ πλῆθος τὸ ὑμέτερον. 74. 13. προκινδυνεύειν ἐθέλειν τῷ πλήθει. 111. 5.

πλήρης] ἐπειδὴ ἡ βελὴ ἦν πλήρης. 55. pen.

πλῆτος] ἀνατρέπειν τινὸς πλῆτον. 64. 15.

ποιεῖν] τὰς ἀτίμους ἐπιτίμους ποιεῖν. 35. 6. τὰς γονέας κακῶς ποιεῖν. 36. 1. ἕδραν ποιεῖν. 55. 11. ποιεῖσθαι υἱόν, adoptare. 61. peo. ἐδὲν ἔτι πλέον ποιήσετε. 74. 10. 114. 1. ἐδὲν ἕτερον περὶ πλείονος ποιεῖσθαι. 83. antep. ἀτελῆ γνώμην ἑαυτῷ ποιεῖν. 89. 10. ποιεῖσθαι σπονδάς. 94. 17. ποιεῖσθαι κίνδυνον. 105. 3. obire, subire periculum. ἀρχὴν τῶν ἀγαθῶν ποιεῖσθαι. 107. 7. τιμωρίαν ποιεῖσθαι. 121. 8. ὃς τηλικαύτας τῶν ἁμαρτημάτων ὑπέρβολας ποιεῖται. 123. 8. ὑπερβάλλεσαν τελευτὴν τῷ βίῳ ποιεῖσθαι. 125. 1. νίκην ποιεῖσθαι pro νικᾶν num dicitur. 97. vlt.

ποῖος] ποίων τινῶν τῶν λακεδαιμονίων τυγχάνοντες. 99. 3.

πολέμαρχος] coram Polemarcho, vel in foro eius videntur serui torti fuisse, si qui exhiberentur, vt ex iis veritas fidiculis exprimeretur. 6. antep.

πόλεμος] τὸν πόλεμον καταλύεσθαι. 97. 4.

πολιτεία vita, quae agitur in societate ciuili, et exercitatione iurium, et rerum atque officiorum ciuilium. ἐπιθυμία τῆς μεθ' ὑμῶν πολιτείας. 80. 8.

πολίτης] λαμβάνεσθαι τὰς πολίτας κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν. 50. vlt. λόγον αἰσχρὸν ἔχειν ἐκ τῶν πολιτῶν. 85. 5. προκινδυνεύειν τῷ πλήθει, πολίτῃ ἀγαθῷ νομίζω εἶναι. 111. 5.

πολλοστόν τι μέρος τῆς αἰτίας ἐγὼ εὑρέθην ἔχων. minimam culpae partem penes me resedere, compertum est. 79. 4.

πολὺ aduerbialiter pro πολλῷ. ἐκ πολὺ ἐλάττονος ἀφορμῆς ἡ πόλις μεγάλη γεγένηται. 54. 22. πολὺ τὴν

τὴν ἐναντίαν τῶν γνώμην ἔχω. multum his diuersa sentio. 3. 2. πολὺ [pro σφόδρα] ὀργίζεσθαι. 69. 8.

πολὺς] πραττόμενος δ' πολὺ ἀργύριον. 49. vlt. εἰς πενίαν πολλὴν [id est μεγάλην καὶ δεινὴν] κατέσην. 71. pen. πολλῇ τῇ νίκῃ χρῆται, id est συχνὴν καὶ κατακόρως ποιεῖται μνείαν αὐτῆς. vbique locorum victoriam suam iactat, inuidiose crepat, odiose inculcat. 128. 10.

πομπεῖον] πομπείοις εἰς τὰ πινάκια χρῆσθαι. 127. 1. vasa ostensionalia, pompatica, aurea et argentea, quae solerent publico in loco spectatum exponi, aut in pompa circumferri.

πομπὴ κοινή. 127. 6.

πονηρὸς] πονηρότατος πάντων ὢν καὶ βελόμενος τοιοῦτος εἶναι. 16. 10.

πόρος] ὁδὸν καὶ πόρον μηδαμῆ μοι εἶναι. 83. 9.

πρᾶγμα] τὰ πράγματα summa in rep. potestas, summa rerum. 80. vlt. ἐκ ὀλίγῳ μοι παρὰ γνώμην εὐρέθη τὰ πράγματα. 82. 1. διαχειρίζειν τὰ πρ. 84. 1.

πράκτωρ exactor. 36. pen. 38. 2.

πρᾶξις exactio, ius et facultas nomina debita redigendi. 42. pen.

πράττειν μέγα καὶ δεινόν. 75. 8. τῆς πόλεως εὖ πραττούσης. 76. 1. ὑμᾶς τι ἀγαθὸν ἐξ ἐμοῦ πρᾶξαι. prospera vos fortuna vti per me, opera mea. 76. 17. ἐπὶ τὸ εὖ πράττειν κακοὶ γίνονται πάντες ἄνθρωποι. 77. 7. βουλεύειν τι καὶ πράττειν ἐπί τινι agitare, machinari in fraudem alicuius. 85. vlt. πράττειν εἰρήνην καὶ ἐλευθερίαν operam dare, vt pax et libertas existant, procreentur. 97. 1. πράττειν παρὰ τὴν ἡλικίαν. studere rebus aetati suae parum conuenientibus. 132. 18. πράττοντές τινες δήμου κατάλυσιν ἐλήφθησαν in molitione clandestina, vel conatu democratiae conuellendae. 92. 14. πράττεσθαι in medio est aut

pretium rei veoalis indicare, aut venditae poſcere, exigere. *ὲ πολὺ ἀργύριον πραττόμενος τὸν βελόμενον.* 49. vlt. 81. 5. 126. 7.

πρεσβεύειν legatione obeunda perficere aliquid, vt pacem. *πρ. εἰρήνην.* 100. 8. 103. 11. 109. 11.

πρεσβευτὴς legatus. *πρεσβευτὰς πάντας ὑμᾶς ποιῆμεν οἱ πρέσβεις.* 109. 9.

πρέσβυς] *δέκα ἄνδρες ἐκ πάντων ἀθηναίων πρεσβεις ἠρέθησαν.* 92. 8.

πρεσβὺς, εῖα, ὺ, adiectiuum. *οἱ πρεσβύτεροι στρατεύονται, οἱ δὲ νεώτεροι δημηγορῶσι.* 123. 6.

πρίασθαι ὠνὰς ἐκ τῦ δημοσίυ. 35. 11. 45. 1. *τέλος.* 43. 6. *τὴν πεντηκοστὴν.* 65. 9. 66. pen. *σκύθας τοξότας.* 92. 2.

προ] *προτάξαντες αὐτὲς πρὸ τῶν ἑλλήνων.* 54. 3. *τὶ δ' ἂν ὲ πρό γε τότε τολμήσειεν ἂν θρωπος.* ecquid non homo prius audeat facere patiue, quam hoc euenire ſinat. 78. 13.

προβάλλεσθαι γυμνασίαρχον et *ἀρχιθέωρον.* deſignare, creare. 65. 3.

πρόγονοι maiores. *ἀξιῶ τὰς τῶν ἐμῶν προγόνων ἀρετὰς ἐμοὶ σωτηρίαν γενέσθαι.* 71. 8.

προειδέναι. 86. 9.

προειπεῖν] *κατὰ τὰ προειρημένα*, e condicto, prout imperatum, condictum fuerat. 55. pen. *προεῖπεν αὐτῷ δήσειν* denuntiauit ei (pictori) cum interminatione, ſe (Alcibiadem) operam eſſe daturum, vt ipſe (pictor) in cuſtodiam mitteretur. 120. 3.

πρόθυμος] *τυγχάνειν προθύμων καὶ ἀγαθῶν ἀνδρῶν.* 111. 12.

προῖσασθαι [id eſt *πρὸ ἑαυτῦ σῶσαι*] *τινα τιμωρὸν ἑαυτῦ γενέσθαι* [id eſt *ὥστε γενέσθαι* vel *ἐπὶ τῷ γενέσθαι* ante ſe ſtatuere aliquem, quo is eſſet ſuus vindex, h. e. ſui vlciſcendi partes alicui demandare. patronum tuae

tuae cauſae conſtituere aliquem, qui pro te agat, quae tu agere ipſe deberes. 69. 1.

προκηρυκεύεσθαι περὶ τῶν σπονδῶν ante legatos de induciis poſt ſubmittendos ipſe praemitti, praeambulare, et negotium hoc induciarum faciendarum complanare, et quaſi communire. 91. 11.

προκινδυνεύειν ἐθέλειν τῇ πλήθει πολίτῃ ἀγαθῷ νομίζω. 111. 5.

προνοίᾳ τῶν φίλων propter meam erga amicos caritatem, et ſtudium meum eorum ſaluti proſpiciendi. 27. 17.

προπύλαια. 19. 14.

πρόῤῥιζον οἴχεται πᾶν τὸ ἡμέτερον γένος. 72. pen.

πρὸς θεῶν καὶ δαιμόνων reſpectu deorumque ſemonumque, vt neque ab illorum, neque ab horum fanis arceatur. 48. pen. *ἐκτιθέναι* leges nouas ferendas *πρὸς τὰς ἐπωνύμους.* 40. 3. ſi illa eſt vera lectio. *ἐγγύας ἐγγυᾶσθαι πρὸς τὸ δημόσιον.* 35. 13. *προσάγειν πρὸς τὴν βουλήν.* 55. 6. *κατὰ τὴν πρὸς ἡμᾶς ὁμολογίαν.* 59 pen. *θέσθαι καλῶς τὰς γενομένας πρὸς ἀλλήλους διαφοράς.* 70. 4. *προσπηδᾶν πρὸς τὴν ἑξίαν.* 82. 15. *βλέπειν πρός τι.* 106. 18.

προσάγειν πρὸς τὴν βουλήν. dicitur de prytanibus aliquem ad ſenatum adducentibus, aut aliquid ad eum referentibus. 55. 6.

προσήκει μοι τούτου τοῦ πράγματος ἀδαμόθεν nulla ex parte negotium hoc ad me pertinet. 130. 1. pro *προσιέναι* de vectigalibus quotannis vndecunque redeuntibus. *φόρος προσῆκε* [id eſt *προσήει*] *κατ' ἐνιαυτόν.* 93. 16.

προσιέναι [ſubaudi *πρὸς τὰς πρυτάνεις*] *περὶ τῶν γεγενημένων κατὰ τὴν τελετήν* referre ad Prytanas. 55. 4.

πρόσοδος] *πρόσοδοι* reditus, compendia, vectigalia. *προσόδους ἰδίας ἀπὸ τῶν κοινῶν ἐποιήσατο.* 116 ult.

προσπηδᾶν πρὸς τὴν ἑξίαν. 82. 15.

προσπράττεσθαι ἕτερα τοσαῦτα [ſcil. τάλαντα] praeter illa vetuſta decem talenta adhuc alia noua totidem exigere. 117. 16.

πρόσταξις] κατὰ προστάξεις ἄτιμοι capite minuti reſtricte, conditionate, ſub certis exceptionibus, rerum, locorum, temporum. 36. 1. 8. et 11. 37. 7.

προστάτης πονηρὸς. 117. 6.

προστάττειν] προσέταξαν Λεσβίοις τὸν οἶνον καὶ τὰ ἄλλα ἀναλώματα. 128. 2.

προτάττειν primum ſe obiicere periculo, protegere pone ſtantes obiecto corpore ſuo. προτάξαντες σφᾶς αὐτὸς πρὸ τῶν ἑλλήνων. 54. 3.

πρότερον γενόμενον ψήφισμα [ſubaudi καὶ νῦν ἀκέτι ὂν κύριον] quod olim in vſu cum fuiſſet, nunc eſſe deſiit. 34. 8.

πρότερος, ρα, ρον. adiectiuum. ἀντὶ τῆς προτέρας γνώμης νῦν ἑτέρα μοι παρέσηκεν, 87. vlt. τῇ προτέρᾳ [ſcil. ἡμέρᾳ] τῆς θυσίας. 127. 1. alias vſurpant τῇ προτεραίᾳ.

πρᾶγμα] ἐδὲν πρᾶγμα ὑμῖν ἀκοῦσαι ταῦτα ἐμοῦ nil refert veſtra, nil attinet, vos iſtaec ex me audire. 86. 2. perinde eſt ac ſi dixiſſet τὸ ἀκοῦσαι ὑμᾶς ταῦτα ἐξ ἐμοῦ, οὐκ ἔστιν ὑμῖν ἀντὶ ἔργου σπουδῆς ἀξίου. non eſt in numero rerum ſtudio veſtro dignarum.

πρυτανεία] ἐπὶ τῆς ἐννάτης πρυτανείας ἡ ἔκτισις ἦν. εἰ δὲ μή, τὸ διπλάσιον ὤφειλον. 35. 14.

πρυτανεῖον] ἐπὶ ζεύγους εἰς τὸ πρυτανεῖον ἦγον. 23. 11. σίτησιν ἐν πρυτανείῳ λαμβάνειν. 128. 9.

πῶλίον equuleus, aſturco. 29. vlt.

ῥῆμα] ῥήματα θηρεύειν. 2. 23.

ῥητὸς] ἐπὶ ῥητοῖς ἤγομεν τὰς σπονδὰς. 99. ant. ſuper certis conditis pactis vel conditionibus.

σανὶς] ἀναγράφειν νόμους ἐν σανίσιν. 40. 2.

σελήνη] πρὸς σελήνην [id eſt πρὸς τὸ ἀπ' αὐτῆς φῶς] ὁρᾶν ἀνδρῶν πρόσωπα. 19. pen.

σημεῖον]

σημεῖον] τὸ σημεῖον καθαιρεῖν signum detrahere, h. e. concionem diſſoluere. quoad enim ſignum erat expoſitum, concio habebatur. 18. vlt. σημεῖα πιστότατα τὰ ἀπὸ τῶν ἔργων. 88. 2. et 4.

σιταγωγοὶ νῆες. 86. 3.

σίτησιν ἐν πρυτανείῳ λαμβάνειν. 128. 9,

σκευὴ habitus, veſtitus ſacerdotalis, vel pontificalis 55. vlt.

σκηνὴν περσικὴν ἔπηξαν. 127. pen.

σκιὰ] ὑπὸ τὴν σκιὰν καθίζεσθαι. 19. 17.

σκύθης] ταξότας σκύθας ἐπριάμεθα. 92. 2.

σπεύδειν τὰ ἐναντία τῇ ἑαυτῆ ὠφελείᾳ. 76. 3.

σπονδαὶ] προκηρυκεύεσθαι περὶ τῶν σπονδῶν. 91. 11. σπονδαὶ ab εἰρήνη differunt. 94. 15. σπονδὰς ἐπὶ ῥητοῖς ἤγομεν. 99. antep.

σταθμοὶ menſurae Solonis. 39. pen.

στασιάζειν πρὸς τὲς τυράννες. 88. 9. ſe opponere, aduerſari partibus et ſtudiis tyrannorum.

στασιωτεία factioſitas, propenſio ad res nouas, ſtudium in republica turbas ciendi. 114. 10.

στεφανηφόρος ἀγὼν. 111. pen. 119. 8.

στεφανῦν τὴν πόλιν καὶ τὴν οἰκίαν ἀπὸ τῶν ὑπαρχόντων. 125. 11. 128. 11. στεφανῦνται ὑφ' ὑμῶν καὶ ἀνακηρύττονται. 84 10.

στήλη] ἀναγράφειν ἐν στήλαις ignominiae ergo. 26. 3. στήλας ἀναιρεῖν. 52. 2. ἐξ αὐτῶν τῶν γραμμάτων σκέψασθε ἃ ἡμῖν ἐν τῇ στήλῃ γέγραπται. nam foedera, induciae, pacta omnia publica ſtelis, h. e. cippis vel pilis incidebantur. στήλην εὑράμενοι παρ' αὐτῶν στῆσαι. 99. 15. ſignificat duriſſimas illas conditiones, quas Lyſander Athenienſibus a ſe deuictis imperauit. στῆλαι καθήσονται γεγραμμέναι ἐπὶ τούτοις. haec inſculpentur tabulis publice figendis. 106. 9.

ἡ στοὰ ſic nude dicta eſt Poecile. 41. 3.

στρατεία] οἱ ἐπὶ στρατείας ὄντες. in caſtris agentes. 82. 12.

στρατεύονται οἱ πρεσβύτεροι, δημηγορεῖσι δὲ οἱ νέοι. 123. 6.

στρατηγεῖν στρατηγίας πλείσας. 73. 5.

στρατηγὶς τριήρης. 6. 3.

στρατηγὸς] οἱ ἐς Σικελίαν στρατηγοὶ [ſcil. ἠρημένοι vel ἀποδεδειγμένοι] 6. 2. ὁ στρατηγὸς ὁ χαλκοῦς nomen ſtatuae aeneae in templo Bacchi. 19. 18. τοὺς στρατηγοὺς ἀνακαλεῖν. 23. 1.

στρεβλοῦν. 22. 11.

συγγραφὴ] συγγραφὰς ἤδη ἔχειν. ſed leg. ibi eſt γραφάς. operam pingendi iamdudum aliis elocatam habere, vel condixiſſe. 120. 2.

συγκαθιζάνειν τύραννον. 48. antep.

συγκαταλύειν τὸν δῆμον. 51. 3.

συγκατασκάπτειν τὰ τείχη. 51. 2.

συγκλείειν τὸ δεσμωτήριον. 25. 1.

συγκρύπτειν τινὶ τὴν ἁμαρτίαν. celare. 32. 3.

συγχωρεῖν τῷ ὀνόματι τῆς εἰρήνης, τοῖς δ' ἔργοις, ἀφ' ὧν ἂν εἰρήνη γένηται, ἐναντιοῦσθαι. diſertis quidem verbis ſe pacis aduerſarios haud ferre, rebus tamen aduerſari coeptis iis omnibus, vnde pax coaleſcat. 90. 4.

συλλαμβάνειν ἐν ἀποῤῥήτῳ clam, ſilenter, in occulto, comprehendere atque cuſtodiae mandare. 22. vlt.

σύλλογος τῶν νεῶν. 107. 15.

συμβάλλειν] συνεβάλοντο μέρος οὐκ ἐλάχιστον partem non minimam conferebant. 71. 11.

συμβόλαιον] πράξεις συμβολαίων *gerichtliche Einmahnungen ſeiner Schuldforderungen, die einer an einem andern hat*. poſtulationes et exſecutiones iudiciales eorum, quae alicui debentur ex pacto ſcripto. cum creditor in foro producta ſyngrapha poſcit debitorem aes creditum reddendum. 42. pen.

σύμβολον] *σύμβολα* pacta conuenta inter duas ciuitates de iure mutuo commerciorum, quod ambae volunt inter se commune ratumque esse. 121. 5.

συμβελεύειν] *ὁ συμβελεύσας ὅσιος ἔσω καὶ εὐαγὴς* auctor consilii, suasor, impulsor. 48. 7.

συμπαρασκευάζειν τὸν ἀγῶνα alicui, litem aduersus quempiam instruenti, praesto esse dandis consiliis, lingua et opera praestandis. 64. 9.

συμποιεῖν operam in aliqua re perficienda sociam praestare. 30. 4.

συμπολεμεῖν. 100. vlt.

συμφέρειν] *συνήνεγκεν ἐπὶ τὸ ἄμεινον*. 36. 20. quasi vsurpatum quoque fuisset *συμφέρειν ἐπὶ τὸ χεῖρον*. quod vtique potuit vsurpari. nam *συμφέρειν* in hac dictione idem valet atque *ἀπαντᾶν* vel *συντυγχάνειν*.

συμφιλονεικεῖν] *συμφιλονεικόντων αὐτῷ τῶν θεατῶν*. studentibus, fauentibus ei. 122. 4.

συμφορὰ] *ὀνειδίζειν τινὶ τὰς συμφορὰς*. 77. 3. *συμφορὰ τῶν φρενῶν* occoecatio mentis, desipientia. 78. 5. *παραγενομένης τῆς πόλεως ἐπὶ ταύτας τὰς συμφορὰς*. 79. 7.

συνδικεῖν 74. pen.

συνεισελθεῖν οἴκαδε 119. pen.

συνεκτρέφειν] *συνεκτραφεὶς* [scil. *σὺν ἐμοὶ* aut *σὺν ἡμῖν* id est mecum, et cum fratribus atque sororibus meis] *ἐν τῇ ἡμετέρᾳ ἐκ παιδὸς*. 25. 5.

συνέχειν] *συνέχει μάλιστα τὴν πόλιν ὅρκος*. 5. 5.

συνήθης.] *συνηθέστερα τῷ γένει* conuenientiora cum moribus et exemplis meae gentis. 88. 7.

συνίστασθαι coire in societatem alicuius rei gerendae. 66. 5.

σύνοδος conuentus amicorum. 24. 3.

συνοικεῖν τῇ ἑαυτοῦ ἀδελφῇ. 129. 15.

συνταράττειν ὅλην τὴν πόλιν. 33. 12.

συντιθέναι machinas conſtruere, fraudes aduerſus aliquem, e. c. reum, comparare. 3. 14.

συντρίβειν τὴν κλεῖν. 30. 1.

συνωμότης. 112. 10.

σφαγεὺς graſſator, latro, ſicarius. 37. vlt.

σχέτλιος] ὁ σχετλιώτατος πάντων ſceleratiſſimus. 62. 2.

σχολῇ multo minus. 44. 2. 51. 11. lente, per otium, remiſſe. 85. 3.

σῶμα] ἔτε τῦ σώματος, ἔτε τῶν ὑπαρχόντων ἐμοὶ ἐφεισάμην. 80. 13. τὸ σῶμα αὐτῶν μὴ αἴτιόν ἐϛι, et τὸ σῶμα τυγχάνει ἀναίτιον ὄν. 87. 14. et 15. ἄτιμοι εἰς τὸ σῶμα. 36. 1. ὁ ἀγὼν ἐν τῷ ἐμῷ καθέϛηκεν. 52. 18. τῦ σώματος ταλαιπωρία. 84. 5.

σωτηρία] τραπόμενοι ἐκ ἐπὶ τιμωρίαν, ἀλλ' ἐπὶ σωτηρίαν. 69. vlt. ἀξιῶ τὰς τῶν ἐμῶν προγόνων ἀρετὰς ἐμοὶ σωτηρίαν γενέσθαι. 71. 8. ſaluti mihi fiant, ſalutem mihi conſciſcant. μεταδιδόναι καὶ ὑμᾶς ἐμοὶ τῆς σωτηρίας. 71. 12.

τάλαντον] τάλαντα ἀργυρίε. 67. 5. cur ἀργυρίε additur? num talenta in aere etiam in vſu erant? et illa ſimpliciter talenta appellabantur? vt neceſſe eſſet, vbi talenta in argento aut in auro deſignarentur, ἀργυρίε et χρυσῦ expreſſe addi. non videtur. ἀνηνέγκαμεν χίλια ταλάντα εἰς τὴν ἀκρόπολιν. 92. vlt. γήμας ἐπὶ δέκα ταλάντοις. 117. 14.

ταμίας] ταμίαι τῆς θεῦ καὶ τῶν ἄλλων θεῶν. 36. vlt. τῶν ἱερῶν χρημάτων. 65. 5.

τάσσειν τὸν φόρον. 116. 6. διὰ τὸ χιλίας [ſcil. δραχμὰς] τετάχθαι ἀποτίσαι. 120. vlt. quod a lege conſtitutum ſit, vt —

ταχὺς] ταχίϛην τῦ παρόντος κακοῦ μετάϛασιν. 78. pen.

τειχήρεις ἐγενόμεθα obſidebamur. 99. 6.

τειχίζειν] ἐτειχίσαμεν τὸν πειραιᾶ. 91. 18.

τεῖχος]

τεῖχος] συγκαταskάπτειν τὰ τείχη. 51. 2.

τεκμήριον] τεκμηρίοις χρὴ τοῖς πρότερον γενομένοις χρῆσθαι περὶ τῶν μελλόντων ἔσεσθαι. 91. 3.

τέλειος] καθ' ἱερῶν τελείων ὀμνύναι. 48. 8. 49. 9.

τελετὴ peractio sacrorum Eleusiniorum, initiatio. περὶ τῶν γεγενημένων κατὰ τὴν τελετήν. 55. 5.

τελευτὴ] τελευτὴν ὑπερβάλεσθαι τὸν βίον ποιεῖσθαι. 125. 1.

τέλος] τέτων τὸ τέλος ἐστὶ παρ' ὑμῖν. ad finem perducere penes vos est. 109. 8. τέλος ἔχει [scil. ὁ ἀγών] 115. 6. τέλος vectigal πριάμενος μὴ καταβάλλειν. 45. 6.

τέμνειν τὴν χώραν deuastare agrum. 50. pen. 93. 10. 98. 12.

οἱ τετρακόσιοι. 37. 9. 80. vlt.

τηλικοῦτος] οὓς τηλικαύτας ποιεῖται τῶν ἁμαρτημάτων ὑπερβολὰς. 123. 8.

τιθέναι παράσασιν. 60. 3. θέσθαι καλῶς τὰς γενομένας πρὸς ἀλλήλας διαφορὰς. 70. 4. τὰς βελὰς ἀκύρους ἔθεσθε reddidistis inualidas. 89. 9. γνώμην τίθεσθαι περί τινος. 99. 7.

τιμᾶν τὴν πόλιν ἀπὸ τῶν ἑαυτοῦ πόνων. 129. 10.

τιμωρία] τραπόμενοι ἐκ ἐπὶ τιμωρίαν, ἀλλ' ἐπὶ σωτηρίαν. 69. vlt. τιμωρίαν ποιεῖσθαί τινος ἔτε δημοσίαν, ἔτε ἰδίαν. neque publice, neque priuatim plectere. 121. 8.

τιμωρὸς vltor, vindex. θεοὶ σφῶν αὐτῶν πρεσήσαντο τιμωρὸν γενέσθαι Κηφίσιον. 69. 1.

τις elliptice abest. 28. 3.

τοιοῦτος in laudem. ὡς ἐδείς πω τοιοῦτος γεγένηται. 124. 14.

τοῖχος paries porticus Poeciles dictae, in quo leges exaratae fuerunt. τὰς νόμους εἰς τὸν τοῖχον ἀναγράφειν. 40. pen.

τολμᾶν audere, a se impetrare, se quasi vincere et expu-

expugnare, et inuito ſibi aliquid extorquere, vt agat, quod nolit. *über ſein Herz bringen.* 84. 17. 131. 4.

τολμηρὸς] τολμηροτάτη γυνὴ. 63. 4.

τοξότης ſagittarius, ſed apud Andocidem eſt ſeruus publicus, aere publico emtus, arcu armatus, qui alitur publice ad tutelam et ſecuritatem vrbis. vulgo francice *Archer*, arcuarius, nobis *Häſcher* et *Knecht*. Hi Athenis erant omnes genere Scythae, primitus trecenti numero, poſtmodum mille et ducenti. 92. 2. 93. 5.

τράπεζα] ἀλιτήριος, ὃς αὐτῆ τὴν τράπεζαν ἀνατρέπει. 64. 11. domum et fortunas et proſperitatem gloriamque.

τρέπειν] ὅποι γὰρ ἂν τραποίμην. quoquo me verterem. 83. 10. ἐκ ἐπὶ τιμωρίαν, ἀλλ' ἐπὶ σωτηρίαν τραπόμενοι. 69. vlt.

τρέφειν ἀλιτήριον ἐν τῇ οἰκίᾳ. 64. 11.

τριακόσιοι ἱππεῖς, et totidem Scythae. 92. 2.

τρὶς ψευδομαρτυριῶν καὶ ψευδοκλητείας ἑάλοντες infamia notabantur. 35. vlt.

τρόπαιον] ποιᾶσθαι τῶν πολεμίων [id eſt κατὰ τῶν π.] τρόπαια ὑποδεικνύειν. 73. 7.

τρόπος] ἐκ αὐτὸς τοῖς νόμοις, ἀλλ' ὑμᾶς τοῖς αὐτῆ τρόποις ἀκολεθεῖν. 121. 15.

τρόχος equuleus, vel rota genus tormenti, ἀναβιβάζειν ἐπὶ τὸν τρόχον. 22. 7.

τυγχάνειν προθύμων καὶ ἀγαθῶς ἀνδρῶν. bona quadam ſua fortuna iudices adipiſci beneuolos et frugi. III. 12. ποίων τινῶν τῶν Λακεδαιμονίων τυγχάνοντας. quomodo animatos erga nos Lacedaemonios. 99. 3.

τύραννος] qui p. 53. 7. et 88. 9. appellantur οἱ τύραννοι, hi ſunt Piſiſtratidae. παρέχειν τὲς μὲν λόγες δημαγωγῆ, τὰ δὲ ἔργα τυράννε. 126. 9.

τύχη ſic nude, de aduerſa fortuna. ἡ πᾶς τύχη χρησαμένη [ſubaudi δυσχερεῖ τινι] καμῆσα ἀπέθανε. 59.

59. vlt. ἔχε τύχη ἀγαθῇ. habe tibi, quod bene vertat. 60. 5.

ὑμεῖς] ἐν ὑμῖν ἦσαν οἱ λόγοι hi sermones habebantur in concione vestra, h. e. publico in loco, palam. 19. 10.

ὑπακοὺειν respondere ad interrogata. 56. 4. et deinceps saepius.

ὑπάρχειν] τίνων. ὑπαρχόντων αὐτοῖς. quibus et quanti ipsi cum vitiis vrgeantur. 44. vlt. ἀπέδοτε τὴν ὑπάρχουσαν ἀρετήν. 54. 17. οἱ ὑπῆρξαν τῆς ἐλευθερίας ἁπάσῃ τῇ ἑλλάδι auctores et principes libertatis, quibus eâ debetur vt primis impulsoribus atque effectoribus. 71. 6. ὑπάρχει αὐτοῖς, *das haben sie davon*, hoc eos veluti praemium manet, λόγον αἰσχρὸν ἔχειν. 85. 5.

ὑπεισάγειν εἰς τὴν οἰκίαν ἑταίρας. 118. 1.

ὑπεραυξάνειν] φυλάττεσθαι χρὴ τῶν πολιτῶν τὰς ὑπεραυξομένας. 125. 3.

ὑπερβάλλειν plus liceri. *überbieten*. 66. 2. et pen. τελευτὴν τοῦ βίου ὑπερβάλλουσαν ποιεῖσθαι. inuenire vitae finem mirificum et paene portentosum. 125. 1.

ὑπερβολὴν τοσαύτην ἐπιθυμίας ἔχουσιν tam ardenter, tam immaniter cupiunt. 105. 12. ὑπερβολὰς τηλικαύτας ποιεῖται τῶν ἁμαρτημάτων. 123. 8.

ὑπερορία solum quodcunque peregrinum, quaecunque ditio est extra fines atticos. τὰ σφέτερ' αὐτῶν ἐκ τῆς ὑπερορίας ἐκ ἀπολαμβάνειν. 107. 3.

ὑπέρχεσθαί τινα se alicui submittere, ei adulari. 122. 9.

ὑποδεικνύειν τρόπαια πολλὰ τῶν πολεμίων. 73. 7. ἃ δὴ μάλιστα τὴν ἑαυτοῦ δύναμιν ὑπεδείξατο. 115. 5.

ὕπόδικός τινος obnoxius poenae. 128. 8.

ὑπολείπειν πρόφασιν. 97. 12.

ὑπολογίζεσθαι οὐδὲν nil pensi habere. 129. 15.

ὑπομέ-

ὑπομένειν manere in vrbe, exitum iudicii opperiri, non defugere periculum, sed sustinere. 60. 11. 115. 9.

ὑπομιμνήσκειν. 34. 4.

ὑπονοεῖν τὰ λεγόμενα. 5. 9. τὰ θεῖα suspicari de diis, h. e. de eorum natura, vita, moribus opinari, eosque ex humanis probabili coniectura colligere. 69. 8. ὑπονοεῖν εἰώθατε καὶ δυσχεραίνειν περὶ τῶν ἑτοίμων suspicari, ne minus firma, minusue idonea sint. 106. 18.

ὑποτίθεσθαι comminisci, mente sibi confingere, suspicari, meditari, designare, vel etiam auspicium, principiumue facere, exemplum edere, quod alii deinceps imitentur. 19. vlt. ὑπεθέμην [pro προεθέμην] ὑμῖν τῷ λόγῳ verbis, oratione proposui, h. e. ob oculos posui. 94. 5.

ὑπέργημα ministerium, seruitium, officium. 83. vlt.

ὑψηλὸς] αὕτη ἡ εἰρήνη τὸν δῆμον ἦρεν ὑψηλόν, vt Latini vsurpant, sublimen sustulit, h. e. in sublime. 92. antep.

φαίνειν] πάντοθέν μοι κακὸν ἐφαίνετο ἑτοιμαζόμενον. 83. 10.

φανερὸς] φανερὰ οὐσία bona immobilia. 59. 1. ἐδεῖς ἐκ τῶ φανερῶ τὸν δῆμον ἔσωσε. 106. 1.

φείδεσθαι] ἔτε τῶ σώματος, ἔτε τῶν ὄντων ἐφεισάμην. 80. 13.

φέρειν] ἀπεκομίσθην οἴκαδε φερόμενος ἐπὶ κλίνης. 30. 2. τῆς πόλεως εὖ πραττόσης, καὶ τὰ ἴδια σφῶν αὐτῶν ἄμεινον ἂν φέρεσθαι. 76. 1. λύπας ἐμοὶ ἔμελλεν οἴσειν. 78. 15. ἃ ὑμῖν ἔμελλε ταχίστην οἴσειν τοῦ τότε παρόντος κακῶ μετάστασιν. 78. pen. χάριν, οὐ μῖσος, τῷ δυστυχήματι φέρεσθαι aufferre ab infortunio suo. 79. vlt. χάριν ἑτέρῳ φέροντες deferentes, h. e. in alius gratiam. 87. 10.

φθόνος]

φθόνος] ἐ γὰρ φθόνῳ μᾶλλον, ἢ οἴκτῳ ἄξιά μοί ἐστι τὰ γεγενημένα. 78. 1.

φίλος] προνοίᾳ τῶν φίλων. 27. 17. φίλους τοὺς κρείττους ἀφιέντες ἀεὶ τοὺς χείρους αἱρούμεθα. 103 5.

φιλότης] φιλότητα ἐθέλοντες ἀντὶ διαφορᾶς ποιεῖσθαι. 104. 2. ἀφ' ὧν μοι ξενίαι καὶ φιλότητες πρὸς πολλοὺς καὶ βασιλέας καὶ πόλεις. 72. 8.

φιλοχρήματοι, qui sint. nempe, non parci, sed prodigi. 129. 2.

φονεύς. 28. pen.

Φορβάντιον vel Φορβαντεῖον. fanum Phorbantis. 30. 6.

φόρος προσῆκε κατ' ἐνιαυτόν. 93. 16. φόρους τάττειν ταῖς πόλεσι. 116. 6.

φρήν. φρένες.] συμφορὰ τῶν φρενῶν. dementia, furor 78. 5.

φρικώδης. 15. 8.

φρονεῖν] εἴς τινα μὴ εὖ φρονεῖν animo erga quem inimico et infesto esse. 76. antep.

φροντίζειν] φροντίζοντας τοῦ ὀνόματος, τοῦ δὲ πράγματος ἀμελοῦντας. 126. 10.

φυγήν τινος καταγινώσκειν. 53. 13.

φυλακή] qui legibus et magistratibus parere recusat, is μεγίστην φυλακὴν τῆς πόλεως ἀνῄρηκε. 121. 11.

φυλάττειν acriter observare, inuigilare, ne quis aliena surripiat. *einem auf die Finger sehen.* 67. 7. φυλάττεσθαι χρὴ τῶν πολιτῶν τοὺς ὑπεραυξομένους. 125. 3.

φυλέτης. 74. pen.

φῶς ἡλίου ὁρᾶν. 33. 11.

χαίρειν] χαιρήσειν. 51. 5.

χαλκεῖον officina fabri ferarii. 20. 9.

χαλκεύς] ὁ στρατηγὸς ὁ χαλκεύς. 19. 18.

χάρις] ἀπαιτήσειν ὑμᾶς χάριν τούτων τῶν ἔργων. 73. 13.

73. 13. ἄπονος χάρις. 86. 12. ἑτέρῳ φέροντες χαριν. 87. 10. χάριν, ἰ μῖσος, εἰκός με φέρεσθαι. 79. vlt.

χειμών] ὥραν χειμῶνος πλεῖν τὴν θάλασσαν. 68. 8.

χεὶρ] αἴρειν τὴν χεῖρα. 109. 10.

χέρνιβον] χέρνιβα καὶ θυμιατήρια χρυσᾶ τῆς πόλεως. 127. 4. et 7.

χορευτὴς] ἐξάγειν τῶν χορευτῶν τὸν ἀγωνιζόμενον ξένον. 121. vlt.

χρέος] χρεῶν ἀποκοπαὶ. 42. 15. χρέα ἀπολαμβάνειν nomina debita redigere, *Schulden eintreiben*. 96. 6.

χρῆμα] ἄτιμοι εἰς τὰ χρήματα ratione facultatum tantummodo, non autem quoad perſonas item. 36. 1. καταβάλλειν τὰ χρήματα, [ſubaudi τὰ ὀφειλόμενα] 35. 12. 67. 2. penſiones debitas pecuniarias dependere. ταμίαι τῶν ἱερῶν χρημάτων. 65. 5. ἐκλέγειν τὰ χρήματα. 67. 1. διαχειρίζειν τὰ χρ. 73. 8. ἀδενὸς δέχεσθαι χρήματος *die Welt nicht nehmen*, *und* — mereri nolle quouis pretio — vitam nolle mereri. — 76. 16. δωρεὰς εἰς χρήματα μεγάλας *Geſchenke an Gelde*. 86. vlt. ἑλληνοταμίαι τῶν κοινῶν χρημάτων. 107. 4. πράττεσθαί τινα χρήματα. 126. 7. κατεργαζόμενος ταῦτα ἀπὸ τῶν ὑμετέρων χρημάτων. 129. 7.

χρῆσθαι καὶ συνεῖναί τινι familiariter aliquo vti. 25. 9. 60. pen. τύχη χρησαμένη ἡ παῖς καμοῦσα ἀπέθανεν. 59. vlt. τοῖς πομπείοις χρῆσθαι. 127. 1. πολλῇ τῇ νίκῃ χρῆται ſaepe et ad rauim iactat ſuam victoriam. 128. 10.

χρονίζειν] χρονισθέντος τοῦ πολέμου in diuturnum, vel longum extracto. 102. 15.

ψεύδεσθαι] ψευσθεὶς τῆς ὥρας in temporis menſura aeſtimanda cum erraſſet, autumans iam inſtare diem, tametſi nox adhuc eſſet concubia. 19, 3. ἅπερ ἐγὼ αὐτὸν

αὐτὸν δ' ψεύσομαι. qua in re eum haud fallam, *ich halte mein Wort.* 61. 9. ψευσθῆναι τῆς αὐτῶν γνώμης ſpe ſua excidere. 85. vlt.

ψευδοκλητίας τρὶς ὄφλειν. ter in iudicio damnari falſae ſeu ementitae citationis. 35 vlt.

ψευδομαρτυρία] ψευδομαρτυριῶν τρὶς ὄφλειν. ter condemnari teſtimonii falſi dicti. 35. vlt. ψευδομαρτυριῶν ἑάλωσαν. 4. 3.

ψήφισμα ἀδὲν μήτε βουλῆς μήτε δήμου νόμου κυριώτερον εἶναι. 42. 5. ἐξαλείφειν. 36. 12. ἀποδιδόναι reſtituere in integrum, reuocare in vſum, poſtquam abrogatum fuiſſet. 87. 6. ἀφαιρεῖσθαι tollere, abrogare. 87. 10.

ψῆφος] τοσέτων δικαζῶν ἀδὲ διακοσίας ψήφους μετέλαβε 9. 7. ψήφῳ καὶ λόγῳ. 49. 2.

ὠδεῖον 19. 15.

ὠνεῖσθαι liceri, offerre certum aes. 66. 6.

ὠνὴ redemtura vectigalis. ὠνὴν ρίασθαι ἐκ τοῦ δημοσίου 35. 11. 45. 1. τὰς ἐπικαρπίας ἐκ τῆς ὠνῆς ἐκλέγειν die Acciſe vermöge des Pachtrechtes einfodern. 45. 2.

ὥρα] ψευσθεὶς τῆς ὥρας weil er ſich in Anſehung der Zeit verrechnet hatte. 19. 3. ὥραν [in accuſatiuo abſoluto, aduerbialiter, pro ἐν ὥρᾳ, vel καθ' ὥραν] χειμῶνος πλεῖν τὴν θάλατταν. 68. 11.

ὠφέλεια] σπεύδειν τὰ ἐναντία τῇ ἑαυτοῦ ὠφελείᾳ. 76. 3.

INDEX HISTORICVS AD ANDOCIDEM.

Acumenus. 9.
Adimantus. 8.
Aeginetarum bellum cum Athenienſibus. 92. 5.
Aegiſthus exemplum inceſtus. 64. 123.
Agariſte mulier. 8.
Agatharchus pictor. 119. ſqq.
Ageſilaus. 97.
Agyrrhus. v. Argyrius.
Alcibiades accuſatus de profanatis religionibus. 6. 7. tota quarta oratione agitatur a p. 111. ad p. 133.
Alcibiades Phegueſius. 32.
Alciſthenes. 18.
Alcmaeon. 24.
Alcmaeonides. 8.
Alexippus. 9.
Amiantus Aegineta. 32.
Amias.
Amorges Satrapa. 103.
Andocides, auus noſtri. 72. 92.
Andocides noſter duo purgat crimina, alterum proditorum arcanorum ſacrorum Cereris Eleuſiniae, alterum Hermarum mutilatorum, totiusquae vitae ſuae rationem reddit oratione tota prima. ſecunda quoque nonnulla de ſe commemorat.
Andrii exemplum hominum Athenis contemptorum. 74. 2.
Androcles. 14.
Andromachus. 6.
Antidorus. 18.
Antiphon. 8.
Anytus. 74.
Aphepſion. 22.
Archebiades. 7.
Archelaus Samius. 81.
Archidamus. 18.
Archippus. 7.
Argiui oratione tertia paſſim.
Argyrius. vel Agyrrhius potius. 65.
Ariſtides. 116.
Ariſtogiton, ſocius Harmodii. 49.

Ariſtomenes. 7.
Autocrator. 9.
Axiochus. 8.
Bacchus. 19.
Boethus. 47.
Boeoti. 95. 97.
Callias Alcmaeonis. 24.
Callias Didymii. 129.
Callias Hipponici f. 55. ſqq. 117. ſqq.
Callias Teleclis. 20.
Callides. 63.
Catanaei. 104.
Cephalus, aduocatus Andocidis. 74.
Cephiſius accuſator Andocidis. 17. 34. 45. 60.
Cephiſodorus. 8.
Chabrias imperator vetuſtus. 53.
Chaeredemus. 26.
Charicles. 18. 50.
Charippus. 18.
Charmides. 8. 24.
Chii. 128.
Chryſias (niſi potius Chryſis eſt) 63.
Cimon. 129.
Cleogenes. 47.
Cleonymus. 14.
Cleophon. 73.
Conon. v. Cimon. 100.
Corinthii orat. tertia paſſim.
Critias. 24.
Damon. 8.
Demophantus. 47.
Diacritus. 26.
Didymius. 129.
Dinomache mater Alcibiadis. 130. 4. vbi indicatur tacito nomine.
Dioclides. 19.
Diogenes. 7.
Diognetus. 7.
Diognetus alius. 8.
Diomedes. 125. ſq.
Dracontis theſmi. 39.
Egeſtani. 104.
Elei. 125.
Epheſii. 127.
Epichares. 46.
Epilycus. 58. ſqq.
Eucles. 56.
Euclides archon. 42. 43. 45. 46. 49.
Eucrates, Niciae imp. frater. 24.
Euctemon. 18.
Euphemus. 20. 24.
Euphiletus. 18. 26. ſqq.
Eurydamas. 18.
Eryximachus. 18.
Eurymachus. 18.
Glaucippus. 18.
Glaucon. 63.
Gniphonides. 8.
Harmodius, ſocius Ariſtogitonis. 49.
Hellenotamiae. 107.
Hephaeſtodorus. 8.

Hiceſius. 7.
Hipparete, Calliae ſoror, vxor Alcibiadis. 117. 14. vbi tacito nomine indicatur.
Hipponicus auus. 64. 117.
Hipponicus nepos. 62. fine.
Ionias (ſi bene habet) f. Hippias. 7.
Iſchomachus. 61.
Iſonomus. 8.
Iſotimides. 4. 34.
Lamachus. 0.
Leager. 59.
Leogoras proauus Andocidis. 53. 72. 88.
Leogoras pater Andocidis. 20. 72.
Leon. 46.
Lesbii. 128.
Lydus. 8. 9. 10.
Lyſiſtratus. 26.
Macedones. 133.
Mantitheus. 22.
Medi.
Megacles. 130.
Megarenſes. 93.
Melii. 123.
Melitus. 7. 18. 46.
Meneſtratus. 18.
Menippus. 87.
Miltiades. 91. 129.
Niciades. 7.
Nicias. 6. 112.
Niſaeus. 24.
Oedipus. 64.
Panaetius. 7. 26.
Pantacles. 8.
Patroclides. 36. 38.
Phaeax, cui Taylor tribuit totam illam orationem, quae quarta eſt in Andocideis, res a ſe geſtas breuiter commemorat. 133.
Phaeder. 8.
Pherecles. 8. 18.
Philipp s. 9.
Philocrates. 8. 23.
Phrynichus. 24.
Piſander. 14. 18. 82.
Piſiſtratidae. 53.
Plato. 18.
Polyeuctus. 18.
Polyſtratus. 7.
Polytion. 7.
Pythonicus. 6.
Quadringenti. 37. 80.
Scamandrius. 22.
Scythae. 92.
Smindyrides. 8.
Solon. 47. 55.
Speuſippus. 9.
Stephanus. 9.
Syracuſani. 104.
Taureas. 24. 121.
Telecles. 21.
Telenicus. 18.
Teucer. 8. 17.

Theodorus. 18.
Theſſali contemti Athenis. 74
Thraſyllus. 74.
Timanthes 18.
Tiſamenus. 39.
Tiſander. 103.
Tiſarchus. 8.
Xerxis in Graeciam expeditio. 53.

Hoc in indice ſi nomina hominum diuerſorum inter ſe commiſſa ſunt, quod ſuſpicor interdum factum eſſe, rogo veniam, et vt id partim feſtinationi meae, partim obſcuritati et ambiguitati rei imputetur.

INDEX GEOGRAPHICVS AD ANDOCIDEM.

Aegeis tribus. 30.
Ακρόπολις. 21.
Ἀνάκειον. 23.
Cherſoneſus. 91. 93. 96.
Corinthus. 100.
Cynoſarges. 29.
Cyprus. 64. 86.
Decelea. 50.
Delium. 117.
Eleuſin. 55.
Eleuſinium. 55.
Euboea. 93.
Ἡφαιστεῖον, Vulcani templum. 20.
Hippodamia, forum Piraeei. 23.
Imbrus. 95. 96.
Iſthmus. 65.
Italia. 133.
Laureum. 19.
Lechaeum apud Corinthum. 98.
Lemnus. 95. 96.
Leuce, locus Athenis. 65.
μακρὸν τεῖχος. 23. 91. 93.
Marathon. 54.
Megara. 91. 93.

Moloſſia. 133.
Munychia. 38.
Naxus. 93.
Odeum. 19.
Olympia. 65. 125.
Olympium locus Athenis.
Orcheſtra. 19.
Orchomenus. 95.
Pallenium. 53.
Pegae. 91.
Phegus. 32.
Phorbanteum. 30.
Phyle. 38.
Piraeeus ſaepe.
Samus. 80.
Scyrus. 95. 96.
Sicilia. 133.
τεῖχος μακρὸν. 23. 91.
Themacus demus. 9. 31. 12.
Theſeum. 23.
Theſprotia. 133.
Tholus. 23.
Thurii. 117.
Troezen. 91.

IO. GOTTFRIED HAVPTMANNI

LIBELLVS

DE ANDOCIDE

ORATORE ATTICO.

CAPVT I.

Andocidem veterem Oratorem Atticum paucis verbis designat.

Andocidae vitam, de recentioribus, praesertim *Menckenii* a) *Freytagii*sque filius b) adtigerunt: erit tamen, cur singularem illius commemorationem, de fontibus, et nos hauriamus. Fuit Andocides nobilis Athenienſis (γένους εὐπατριδῶν), Leogorae filius, eius, qui pacem aliquando, Lacones inter et Athenienſes, compoſuit; ſi credimus *Hellanico*, deducens a Mercurio genus c). Iſtud vel inde probat *Plutarchus* d), quia praeconum progenies ad ipſum pertineret: καθήκει γὰρ εἰς αὐτὸν τὸ κηρύκων γένος. Διὸ καὶ προεχειρίσθη ποτὲ μετὰ Γλαύκωνος σὺν ναυσὶν εἴκοσι Κερκυραίοις βοηθήσων διαφερομένοις πρὸς Κορινθίους. Propinquiorem familiam ipſe nominat orator e), pago Cydathenienſis aut Thurienſis (δῆ-

a) *Io. Burch. et Frid. Ott. Menckeniorum bibliotheca virorum militia aeque et ſcriptis illuſtr.* p. 39. ſeqq. b) in *oratorum et rhetorum Graecorum, quibus ſtatuae honoris cauſa poſitae fuerunt, decade* §. 8. p. 14-18. c) *Plut.* in *Alcibiade* p. 201. ed. 1620. et ἐν τοῖς βίοις τῶν δέκα ῥητόρων p. 834. *Tzetzes chil.* VI. hiſt. 49. *Photius bibl.* cod. CCLXI. d) de X. orr. p. cit. e) p. 8. et 14. ed. Ald.

μον Κυδαθήναιος ἢ Θρεὺς), olympiade LXXVIII, 1. archonte Theogenide, natus: ſic vt Lyſiam aetate, non annis centum, vt *Plutarchi* vulgaris contextus habet, neque viginti, prout aliquis emendat, ſed nouem antecelſerit. Naſcebatur enim olympiadis LXXX. anno 2. Lyſias: illumque facilius, quam hunc, recentiori tempore, naſci potuiſſe, patebit vtriusque contrarias orationes adtente legenti. Magis habet *Plutarchus*, cur, tanquam intemperantem, luxuriosum, noctuque vagantem, accuſet (ἀκόλαστον ὄντα, νύκτωρ κωμάσαντα); quamuis, ab exemplo ſingulari, ad conſuetudinem, vix valeat conſecutio. Potiſſimum eſſet, cur eum ambitioſum et impium f) adpellaremus: ni ſe ſic, in orationibus ſuis, defenderet, vt et hic dubia ſupereſſent. Inter aequales habuit Socratem: quos vero magiſtros audierit, non conſtat. Iuuenis iam in re publica claruit: ſi quidem, quod *Photius* ait, ob egregiam eius adminiſtrationem, nauibus fuit praefectus (εὐδοκιμῶν ἐπὶ τοῖς πολιτεύμασιν Ἀνδοκίδης, ἐπέθετο ναυκληρίαν). Hanc enim praefecturam, quod iam e *Plutarcho* didicimus, ac *Thucydides* g) in primis memorat, vna cum Leagri filio Glaucone, quo tempore naſcebatur Iſocrates, olymp. LXXXVI, 1. obtinuit; adeoque prius, quam bellum Peloponneſiacum, proprie dictum, inciperetur. Contradicere videbitur *Lyſias* h), qui negat, eum vnquam, extra vrbem, in militiam profectum eſſe, ueque equitem, neque ſcutatum, neque triremi praefectum, neque claſſiarium, nec ante, nec poſt ciuitatis calamitatem, licet iam annos quadraginta ſuperaſſet; cum alii, ſuo ſumtu, triremes pararent, iisque praeeſſent. At nouimus αὐξήσεις accuſantium: potior ergo nobis hic erit

f) *Lyſias or.* V, 16. ſq. vel p. 55. ed. *Tayl.* min. g) L. I. p. 13. ed. Camer. h) V, 15. vel p. 54.

erit a partium ſtudiis alienorum auctoritas. Vt tamen aliquatenus *Lyſiae* fidem liberemus; ad ipſius Peloponneſiaci belli tempora, teſtimonium illius adſtringimus. Hiſce noſter et exercuit in re publica ſiniſtra, et habuit ſimilia fata Dicitur a *Plutarcho* i): εἰς τὰ τῆς Δήμητρος ἀμαρτῶν μυστήρια Duplex, aduerſus Cereris myſteria, peccatum, ipſe deſcribit *Andocides* k); aliter tamen *Lyſias*. Accuſabatur initio, ſcilicet Olymp. LXXXI, dum Alcibiades, vna cum Nicia Larnachoque collegis, claſſi praefectus, in Siciliam mitti debebat, praeter illum ipſum, non tam noſter, quam parens; quod celebrationi priuatae myſteriorum, quae coniurationem aeque deſignaret, adfuiſſet quidem, ſed, ob aetatem forte, dormiuiſſet. Non potuit tunc infra ſeptuageſimum annum adtigiſſe Leogoras, qui, iudicio traditus a Speuſippo, coram ſex mille Athenienſium iudicio, tanquam iniuſtum, eum ideo deinceps accuſauit, vicitque feliciter. Ipſe vero noſter in primis, deferebatur περὶ τῆς ἱκετηρίας, ὡς καταθείη ἐν τῷ Ἐλευσινίῳ. Quid fuerit ἱκετηρία, fruſtra diſcere laborabimus, ab oratoris interprete *Miniato*. Nam is, quem ad modum omnino paſſim falſus eſt, vel obſcurum explicat per haud minus obſcurum, *iceteriam* vocauit; a vocabulorum Graecorum indicibus deſtitutus, qui potius referunt ἱκετρίαν. Erat autem oleae ramus, lana velatus, qualem alioqui ſupplices geſtabant: quem quidem, Eleuſiniis in ſacris, in ara poſuiſſe, capitale fuit, vel etiam inſigni mulcta luebatur. Orator hoc nomine ſe purgat, et id ipſius inimicorum opus fuiſſe, non ſine teſte, profitetur. Eminentius crimen fuit, in cuius, itidem cum Alcibiade l), ſuſpicionem venit, omnium propemodum Hermarum,

i) p. 834. k) or. I. p. 4. ſq. 15. l) *Corn.* in *Alcib.* 3. 2. ſq. *Plut.* in *Alcib.* p. 202. in *Nicia* p. 531.

vna nocte, deiiciendo vel mutilando, facta laesio. Cum paucis, grandior Mercurii statua, quae, quod ante domum Andocidae foret, Andocidea m) nominabatur, illaesa mansit; idemque cumulauit suspicionem. In primis cum adpareret, id non sine magna multorum consensione factum esse, nec ad priuatam, sed ad publicam rem, pertinere: magnusque multitudini timor hinc esset iniectus, ne qua vis repentina populi libertatem opprimeret n). Quoniam igitur populari statui non adeo fauere noster credebatur, (μισόδημος καὶ ὀλιγαρχικὸς): cum amicis Alcibiadis, licet eius alioquin inimici, per Dioclidem et Teucrum, delatores, in custodiam et vincula, populo flagitante, dabatur o). In carcere, consuetudinem et amicitiam aluit cum Timaeo quodam, inferioris dignitatis, sed intelligentiae singularis et audaciae, viro. Persuadet is Andocidae, *Plutarcho* teste p), semet ipse, cum paucis aliis, vt deferat: impunitatem enim, e plebis scito, confitentibus permitti, sed exitum iudicii, secus vbi fecerit, potentibus maxime terribilem fore; quo fiat, vt satius videatur, mentientem liberari, quam innocentem, eodem de crimine, necari; paucisque dubiis irae populi condonatis, plures eximios homines eripi periculis. Accommodari poterit *Plutarchi* testimonio *Lysias* q), qui, nostrum anno circiter in vinculis fuisse, memorat; acceptaque publica fide, si verum indicium videretur, propinquos et amicos detulisse. Sed *Andocides* ipse r), Charmiden, Aristotelis cuiusdam filium, patruelem suum, et a pueris amicum

m) Nescimus cur, hac occasione, nostrum non Andociden, sed Androcyden, adpellet *Aug. Buchnerus* in *obss.* ad *Corn.* l. c. dum, rationem huius correctionis, addit nullam. n) *Corn.* l. c. §. 3. o) *Plut.* in *Alcib.* p. 201. p. 202. q) V, 7. fin. vel p. 50. init. r) p. 8. sq.

cum, impulsorem, vnam vero noctem in carcere mansionis, nominat, patrem se plurimosque cognatos eripuisse, demonstrans. Conciliabitur hic aduersarius cum oratore nostro; si quidem indicem arbitremur detentum fuisse captiuum, donec perfecta fuerit inquisitio, reliquis interea liberatis: quoniam Athenienſibus erat militandum; neque, rem illam priuatam antea perfici, permittebant hostes, imminentes occasioni. Certe, coniecturam illam fulcit *Andocides* s): dum impetum Boeotorum, militarem ciuium profectionem, amicos dimissos, testatur; de sua vero liberatione nihil quidquam addit. Sed, qua ratione consuasores, et amicitiam in carcere contractam, iungere queamus, non tam adparet. Refert quidem alibi duplicem accusationem, quam et res ipsa declarat, *Plutarchus*, si certus est libelli de oratoribus auctor t): priorem, de Cereris sacris violatis, et Mercurii statuis fractis (θραῦσαί τι τῶν ἀγαλμάτων), quo tempore, seruum ad quaestionem dedere nolens, audierit male; posteriorem, non multo post expeditionem classis in Siciliam missae, vbi fuerit ea lege liberatus, vt, sacra qui violassent, indicaret. Et hic dicitur ipsum patrem detulisse, quem iam vinctum eripuerit, admodum profuturum ciuitati pollicitus: quod et acciderit re vera; cum multos, aliis criminibus obnoxios, coargueret Leogoras. Nihilominus eadem nobis difficultas haeret: dum vtique, rebus, quae circumstant, spectatis, haud posteriorem innuerat *Plutarchus*. Adhaec, vituperauit eos *Andocides* u), qui, quasi patrem detulerit, ipsum criminarentur. Sed, in ea defensione, quae, post liberatam a Thrasybulo rem publicam, olympiade LXXXXIV. facta fuit; erat quidem superstes pater v), adeo

s) p. 8. 10. t) p. 834. u) p. 5. med. v) *Andoc.* p. 10.

adeo tamen decrepitus, vt minimam ſane ſpem praeberet. Ergo, ſi quid adferendum, quod ibi prius nominatur, duplex fuiſſe noſtri quoque periculum, videtur: alterum de myſteriis priuatim celebratis; alterum de truncatis Hermis. Verumenimuero, cum, alteram infamiam alteri ſolum adſperſam eſſe, *Cornelius* x) memoret: nec ita figere poterimus pedem, inque medio, quidquid hoc eſt, relinquere cogemur. Poſtea, ſi *Lyſiae* y) credimus, vinculis quidem noſter liberatus, ſimul autem, foro templisque remotus, animum ad nauale mercaturam adpulit: paſſimque profectus, in Sicilia, Italia, Peloponneſio, Theſſalia, Helleſponto, Ionia, Cypro, plures turbas excitauit; multosque reges, quibuscum verſatus eſt, in fraudem adduxit, adulando z). Certe, cum regibus quibusdam aliisque multis illuſtribus viris, hoſpitii ius contraxit a). Quo ſimul tempore, conſobrinam ſuam, Ariſtidis filiam, clanculum rapuit, regique Cypriorum, amico et hoſpiti ſuo, dono miſit. Hoc autem ipſi cum crimini datum iri cerneret, in inſulam Cyprum, vt hinc eam reduceret, proficiſcebatur; ſed a rege captiuus detinebatur. Cum vix inde clam erupiſſet, Athenasque rediſſet, quo tempore quadringenti tyranni rei publicae praeerant, ab iisdem iterum in vincula coniectus, aegre ſe ſubduxit. Hinc exſul Elida b) petiit, ibique vixit, cum triginta tyranni ciuitatem tenerent: vbi, ſe Thraſybuli iungens amicis, cum

x) l. c. 3, 2. 6. conf. hoc et ſequens caput fere totum. y) V, 8. p. 50. z) *Lyſ.* V, 2. p. 46. a) *Plut.* l. c. b) Si tunc potius Eleum inſulam petiſſet: videremus, qua ratione facilius, inter internas Samiorum turbas, quod in oratione περὶ ἀδείας p. 20. refert, remigibus et frumento, claſſem Atticam iuuare potuerit. Sed Elis erat quaſi commune refugium, quo et, cum aliis, Alcibiades ſe recepit, *Corn.* VII, 4, 4.

cum iisdem, in patriam rediit. Aliquanto post, pacis ergo, Lacedaemona legabatur, cumque se male gessisset, omnia timens, rursus aufugiebat. Sic eius fata fere *Plutarchus*, et ex eo *Photius*, commemorauit: aliter passim, aequalis, sed aduersarius, *Lysias* c). Hic ipse de consobrinae raptu silet: narrat autem, illum, cum ad Citiensium regem d) nauigasset, proditionis conuictum, inque vincula coniectum fuisse; praeterque mortem, quotidianam flagrorum ignominiam exspectasse, metuentem, ne, membrorum extremis partibus, viuus mutilaretur. Euasit tamen, hoc teste, periculum istud, inque patriam rediit, quadringentorum turbis sedatis (ἐπεὶ τῶν τετρακοσίων θεὸς λήθην ἔδωκεν). Eo cum venisset, in carcerem coniectus et habitus ignominiose (ἐδέθη καὶ ἠτιμάσθη), rursum liberatur. Hinc, ad Euagoram II. e) Cypri regem, nauigabat, admissoque facinore relegabatur (ἀδικήσας εἴρχθη). Vagatus passim, ad popularem Athenarum statum rediit: vbi, bis eodem de crimine postulatus, denuo corpus in vinculis habebat, et facultates eiusmodi periculis consumebat; dum inimicorum et sycophantarum exponebatur libidini. Nihilominus, cum ciuibus tunc agebat, gratiam captabat, in senatum ingrediebatur f), et ita se gerebat, vt, eum haud admodum iacuisse, pateret. Videretur ergo tunc etiam, vt Lacedaemona legationem obiit; quod *Plutarchus* ait, sumtus choro cyclio, dithyrambicum ad certamen, in tribus suae gratiam, suppeditasse, victoriaque potitus, tripodem, e Porini regione, sublimi lo-

c) l. c. c. 8. sq. p. 50. sq. d) Citium erat vrbs Cypri: nam ea tunc insula plures reges habebat. *Thucyd.* I, 112. *Diod.* Sic. XV, 2. sqq. XIX, 79. *Corn.* V, 3, 4. e) quem et *Isocrates* singulatim laudauit, conf. *allgem. Welthist.* T. VI. p. 612. sqq. f) c. 10. p. cit.

mi loco, dedicaſſe: ni dubium moueret, aduerſus Alcibiadem orationis, quod vel, de poſterioribus eius facinoribus, ſilentium indicabit, ante bellum Siculum habitae, clauſula. Non enim ſolum commemorat auctor, ſe legatum in Theſſaliam, Macedoniam, Moloſſiam, Theſprotiam, Italiam, Siciliam profectum, quosdam diſſidentes conciliaſſe, quosdam beneuolos Athenienſibus effeciſſe, quosdam ab hoſtibus liberaſſe; ſed etiam, impendentem de ſuo ſumtus, fortitudine, lampade, tragoedis viciſſe. Quem autem ad modum hic orationum Andocidae finis Chaeronenſem philoſophum; ſic Atticum ſimul oratorem initium primae, ni fallimur, confutat. Inimicos enim ipſos, per ſermocinationem, ibi loquentes inducens, eos, ait, coniectaſſe futurum, vt, in Cyprum, vnde venerit, et vbi pariter tunc valuerit plurimum, nauigaret potius, quam diceret, vel innocentiſſimus, cauſam. Ceterum, vt in eius vita plura dubia manent; ita, de poſtremis fatis, omnino conſtat nihil. Sunt, qui ſtatuam ipſi poſitam eſſe contendant: quod vero perquam nobis ambiguum videtur; cum antiquiorum nemo fecerit illius mentionem. Si priſcus fuerit Hermes, quem capite truncatum, aere curauit exprimendum *Fuluius Vrſinus* g), et cui titulus adſcribitur: Ανδοκίδης Λεωγόρε Αθηναιος· noua naſceretur ambiguitas; vtrum eius honori, an ignominiae, quod Hermas truncaſſe deferebatur, fuerit collocatus. Sed, nobiliſſimum ipſi perpetuumque monumentum, quatuor collocant orationes: de quibus alioqui ſingulatim dicemus.

g) in *illuſtrium imaginibus, e marmoribus, numis et gemmis expreſſis* (Antwerp. 1598. 4.) p. 73.

CAPVT

CAPVT II.

Orationem Andocidae primam paucis verbis designat.

Orationes Andocidae tres forte deperditas, quatuor reſiduas, nouimus. Illae ſunt, πρὸς τὸς ἑταίρους, ἀπολογία πρὸς Φαίακα, et κατ' Ἀρχίππου, quibus additur a nonnullis, ὁ περὶ τῆς ἐνδείξεως λόγος. Earundem prima proceres in populum concitaſſe dicitur, inter alia fingens, effoſſas ac diſſipatas a ciuibus fuiſſe reliquias Themiſtoclis a). Altera ſe defendit, aduerſus inſignem aliquem inimicum b). Tertiae coniecturam *Lyſias* c) mouit, quo teſte noſter, apud regem ſacrorum, accuſauit Archippum, quaſi Mercurialem ſtatuam, ſibi gentilitiam, violaſſet: quam cum is integram oſtenderet, Andocides, metuens periculum, ſe pecunia data redemit. Extremam quidem a ſuperſtite περὶ μυστηρίων, diſtinguit *Plutarchus* d); adlegat etiam *Harpocration* e); quibus ducibus, *Heinr. Valeſius* f), I. A. *Fabricius* g) aliique ſeiungunt. Cum tamen de vtraque priorum, quas adhuc hodie verſamus, tanquam de pluribus, ille Chaeronenſis loquatur; cum vocabulum adlegatum prima ſuperſtitum praeferat h); cumque ſaepius ibidem ἐνδείξεως i) mentio

a) *Plut.* in *Themiſtocle* ſub fin. b) *Plut. in X. or.* p. 835. opp. ed. 1620. c) or. V, 4. d) l. c. e) voc. ζητητὴς, qui ſimul docet Andociden aliquando ζητητὴν fuiſſe. f) ad *Harpocr.* p. 36. a. ed. L. B. 1683. g) *B. Gr.* II, 26, 3. fin. h) p. 4. ed. Ald. noſtrae §. 29. ἦσθα ζητητὴς ὦ Διόγνητε κ. τ. λ. 72. ſqq. et 114. ſqq. vbi quoque τῶν ζητητῶν officia deſignantur, et, occultioribus exſiſtentibus ſceleribus, electio memoratur. i) 15. 20. 36. 41. 51-57. 67. 77. 151. 155. *Lyſ.* V, 5. p, 48. Idem ſorenſe verbum, ab aliis accuſationum generibus, ſeiungitur, v. *Pollux* VIII, 6. *Taylor lect. Lyſ.* c. 6. p. 693. Excludebantur autem ab indicio non honeſti *And.* I, 131.

tio fiat: cur res, praeter neceſſitatem, multiplicemus, haud adparet. Facta vero praeſertim erat ἔνδειξις, (εἰσαγγελία, μήνυσις,) quod aperte dicitur, de myſteriis vſu priuato profanatis, a Cephiſio, quem Cephiſiam dicens *Lyſias* k), haud iniuria vocatum in ius iri, pronuntiat. Accedebat ἔνδειξις, de Hermis mutilatis, et Eleuſiniis ſacris peruerſe celebratis, vbi forte δευτεραγωνιστῶν Lyſias, in oratione κατ' Ἀνδοκίδ ἀσεβείας, vel, vt in antiquiore editione inſcribitur, ἱεροσυλίας, aeque, per alium, accuſatorem egit. Ambobus aduerſariis orationem ſuam oppoſuit Andocides: quam luculentam nominans *Taylor*, alieno nomine περὶ τῶν μυστηρίων inſigniri, putat; cum ſolum περὶ τῆς ἐνδείξεως ſit relinquendum. Nos quidem, nec illam inſcriptionem, quae maxime primam partem denotat, et a *Plutarcho* iam agnita fuit, improbaremus. Dicta vero cauſa putatur l), non diu poſt ſublatos triginta viros, poſtridie τῶν μυστηρίων. Solonis ad legem, referente rege ſacrorum m) de iis, qui, proximis in religionibus, quidquam peccauiſſent: et Eleuſine quidem, in qua regionis Atticae ciuitate, oratio Lyſiana habita videtur, licet Andocidae defenſio facta fuerit Athenis n). Decennio ante, prior cauſae dictio acciderat; haec poſterior euenit certe, nondum omnino firmiter conſtituta republica, poſtquam ante triennium ab exſilio redierat Andocides, et nauigationi deditus fuerat. Res tota narratur a *Lyſia* o), tempusque ſimul innuitur. Accuratius autem omne conſtabit: ſi oratio-

k) V, 13. p. 53. ed. *Tayl.* min. l) dubium quidem hic mouent triennium praeſentiae; quod Batrachum indicem antea fuiſſe memorat *Lyſias* V, 14. p. 53. ſq. XXX. tyrannorum tempore; foedus Laconum cet. m) Hoc officium ſacrorum regis exponit *Lyſ.* V, 2. p. 46. n) *Andoc.* I, 1. 172. o) *Lyſ.* V, 2. 6. ſq. 16. fin. *Andoc.* I, 7. ſq. 98. 137.

orationem ipſam vni velut obtutui ſubiiciamus. Tanto magis incitamur ad hoc faciendum, cum eadem plurima contineat, quae, tam ad hiſtoriam Graecorum, quam ad antiquitates, reſpiciunt. Principem haec ſuo iure locum obtinet in collectionibus, Aldina, Stephaniana, Hanouiana, quas accuratius conferendo, nouam publicae luci praeparauimus, ſolum bibliopolae cuiuscunque diligentioris ſumtus exſpectantem. Diſtinximus hic orationem, in capita XXXIII. membraue minora CCLXXV. Quae poſteriora, quia, veluti praeuia ſolicitudine, inter adlegandum ſpectamus: cum Aldinae paginis, quarum interim ſpatia, ſeu partes, hinc facile diiudicabuntur, ſtrictim comparemus. Ita vero paginam 3. incipit oratio; p. 4. membrum noſtrum minus 16.; p. 5. membrum 33.; p. 6. membr. 51. p. 7. m. 68. p. 8. m. 87. p. 9. m. 98. p. 10. m. 111. p. 11. m. 128. p. 12. m. 140. p. 13. m. 157. p. 14. m. 175. p. 15. m. 191. p. 16. m. 211. p. 17. m. 233. p. 18. m. 250. p. 19. m. 269. Sed ad rem potius accedamus. Primordio ſtatim orator de nota ſingulis hoſtium ſuorum ſaeuitia queritur: licet ipſe, nulla neceſſitate coactus, ſed cauſae ſuae confiſus, redierit. Vnde, ſecundum ius fasque, iudicium precatur. Quam uis enim crediderint hoſtes, ad dictum diem, ſe non adfuturum; quod ſalua re familiari fugere poſſet, inque Cyprum, vnde venerit, reuerti: remanſiſſe tamen, eadem de re, patriaeque caritate permotum et ſententiam ipſis, de capite ſuo ferendam, permiſiſſe. Poſcit ergo tanto benigniorem audientiam, et cognitionem, ex indiciis aduerſariorum, in hancce cauſae de myſteriis dictionem inductus; quam enarrando praeſertim expoſitum iri, iudicat. (§. 20.) Itaque fit initium narrationis, a congregatione ciuium, ducibus exercitus in Siciliam mittendi legendis, olympiade

XCI. facta p). Pydonicus Alcibiadem ibi, myſteriorum priuatim, Polytionis in aedibus, quae deinceps Bacchi fanum factae fuere, celebratorum, accuſauit. Erant autem indicia diuerſa, quorum primum Andromachus, alterum Teucer, inquilinus, de truncatis Hermis etiam narrans, tertium Agariſta Alcmaeonidae coniux, vltimum Lydus, Phereclis ſeruus, fecerat. Poſtremus deferebat ſimul noſtri patrem, Quem vero cum Speuſippus accuſaſſet; ita vincebatur, vt nec ducentos calculos obtineret. Id ipſum roboratur teſtibus, vt calumniatores refutentur, qui patrem indicatum a noſtro fuiſſe detulerant: cui potius fugam diſſuaſerat filius; inde nec a Speuſippo citatus teſtis, neque, cum liberaretur parens, quod, ex lege, ſi quid tale commiſerit, haud euitari potuiſſet, punitus. Dum poſtea rem totam, cum praemiis indicum, exponit, ſe penitus innocentem eſſe, merasque ſpargi calumnias ab accuſatoribus, qui ſint condemnandi, ſe liberandum, prae ſe fert. Altera pars defenſionis, de truncatis Hermis, continet hinc factae ſignificationis partim repetitionem, partim illuſtrationem, partim quoque confutationem. Repetitur autem eo pertinens Teucri delatio, cum nominibus delatorum, iuncto ſimul indicio Dioclidae, de deiectis Hermis, qui trecentos huius criminis reos in ſenatu faciebat. Profitebatur enim, ſuum ipſius ſeruum, cum ex Laureo mane quidquam adferre debuiſſet, plenaque luna deceptus, ad veſtibulum Bacchi veniſſet, illos, ab Odeo deſcendentes verſus Orcheſtram, vidiſſe. Cum ergo, tot homines veritus, inter columnam et baſin, in vmbra conſediſſet, plurimos agnouiſſe, de facie non ignotos. Poſtea deliberans, annon, priuata praemia publico centum minarum praeferre, iuuaret; cum reis pactum

p) *Thucyd*, L. VI. p, 147. 153. 162. ed. Camer.

pactum feciſſe dicitur, qui duo polliciti fuerint talenta. Sed, non ſtantes promiſſo, concitarunt eum ad rem totam ſenatui ſignificandam Quippe XLII. homines de facie noſſet is accuratiſſime, quos inter et duo ſenatores adpellabantur. Itaque, dum adſentiebatur conſilium Piſandro, ſtatim omnes eſſe cruciandos arbitrato, collegae duo vix impetrarunt, vt a ſe ſponſores acciperentur. Quos cum ſtitiſſent, actutum, equis ſumtis, profecti ſunt ad hoſtes. Interea ſenatus, clanculum egreſſus, reliquos, Andociden praeſertim et eius cognatos, adripuit, vniuerſamque ciuitatem ac militiam, diuerſis in locis, per totam noctem, congregauit. Dioclides autem, tanquam patriae ſoter, in Prytaneum bigis vehebatur, honorandus et coronandus: licet, iniuſtis modis, familiam euerteret Andocidae; quod hic ipſe feciſſe putatur, apud *Lyſiam* q). Contra noſtrum excitauit Charmides ad rem indicandam, ſeque pariter ac ſuos eripiendos. Erant quippe ſimul ligati, Charmides ille, filius Ariſtotelis, ex Andocidae patris ſorore; Taureas, aeque neceſſarius patris, et eius filius Niſaeus, alius adfinis, qui ſororem vnicam Andocidis habuit in matrimonio; praeter ceteros. Inde, dum quatuor virorum meritam calamitatem, iniuſtae trecentorum innocentum, et proxima partim cognatione iunctorum, immo totius patriae, perniciei praeferebat noſter, rem omnem oſtendit: quod aduerſus accuſatores tuitus, ſingulorum ad conſcientiam prouocat. Quapropter etiam liberationem, ex iis periculis, honeſtam expetit: cum inhoneſtae mors praeſtet; ipſeque ſit parricida, niſi veritatem rei, mendaciumque Dioclidae, ſignificaſſet. Indicium autem Andocidae fuit; Euphiletum, inter pocula, ſe repugnante, cum aliis, iniiſſe conſilium

q) V, 7. fin. p. 50.

Hermas deiiciendi. Cum id ergo tum non actutum procederet: in Cynosarge postea cadens Andocides, crus atque caput, adlisit et conuulsit, vt domum in lecto ferri cogeretur. Ceterum Euphiletus, Andocidem esse rediturum arbitratus, sodalibus fore persuasit, vt is, ad aedes paternas, Hermam deiiceret, qui solus inde manserit illaesus. Postea, sceleratis maxime veritis, quod conscius Andocides, neque tamen socius esset: ad eum, proximo die, venerunt Melitus et Euphiletus, omnia minitati, si proderet; polliciti, sin reticeret. Cum igitur opus eorum hic esset abominatus; silentii spem fecit, nemini temere molestiam creaturus. Hoc vt confirmaretur, famulum ipse tradidit, heri de valetudine, tormentis adhibitis, interrogandum; neque minus famulas iunxere senatores et quaesitores. Quo facto Dioclidem accersunt, qui mox se mendacem, perque Alcibiadem Phegusium et Amiam Aeginetam persuasum fuisse, profitetur. Hi fugiebant, Dioclides interficiebatur: sed Andocidae neeessarii de vinculis liberabantur; qui fugerant, reuocabantur; et Athenienses magno metu plurimisque suspicionibus liberabantur. Quod et ipsum confirmabant testes. Pars III. de legibus agit, ab Andocide violatis. Quippe Cephisius eum detulerat, secundum legem; accusauerat vero deinde, secundum prius factum psephisma. Quod nec ipsum in Andociden quadrabat; cum eos interdiceret sacris, qui egerint impie, fuerintque professi. Fac autem quadraret; abrogatum illud actutum fuit, secuta lege. LYSIAS r) quidem, ad legem hic prouocat, singulatim de nostro latam, sed, vt accusator forte, rem detorquens in deterius. Hac de lege certe nihil Andocides; id contra memorat, Athenienses, olympiade LXXXXIII. cum vrbem,

r) V, 17. p. 55.

bem, ad Aegos classe superata, Lysander obsideret, Patroclidis suasu, de concordia seruanda et infamibus recipiendis, constituisse. Recitatur, hac occasione, tam huius, quam Tisameni psephisma, simulque temporum istorum et malorum historia breuiter enarratur. Additur lex, de legibus ab Euclide, (qui fuerat alter Archon ἐπώνυμος, olymp. LXXXVIII.) latis, solum adhibendis; neque minus omnis ciuitatis ius iurandum, de vitanda vindicta. Simul obseruatur, secus vbi foret, ipsos accusatores, Cephisium, Melitum, Epicharem, apertioribus de criminibus, quae singulatim adpellantur, esse redarguendos. Inde, per exsecrationem ac vehementiorem interrogationem, accusatur Cephisius, qui nostrum, vt et LYSIAS s), a foederibus ac legibus remotum voluit, cum ipse potius esset, ab ipsa vita, per leges, exclusus. Praesertim §. 173. sqq. ἑταιρέσεως seu turpis amoris crimen, in accusatorem coniiciendo, refellitur; vnde, per leges, ipsi nec sese defendere, nedum alios accusare, liceat. Hinc argumenta nectuntur, ad absolutionem Andocidae commouentia: 1. accusatores inique leges ac decreta populi confundunt; 2. ciuitati noxium erit Andociden damnasse; postquam eadem iurauit, fugitiuos recepit, honestauit ignominiosos, columnas infames eruit, ac sic porro; 3. eius modi condemnatione calumniatores prouocabuntur; 4. concordia, publicumque bonum, vtique veniam requiret. Subiicitur, de consensionis illius vtilitate multiplice, communis locus. Initium fit, a tyrannorum tempore, iuxta Pallenium, nostri proauo Leogora et huius socero Charia, vel, vt MINIATVS vertit, Chabria ducibus, deuictorum: ex quo necati plures, plures abacti, nec pauciores ignominiosi habiti; sed post, ante pugnam

s) V, 12. p. 52. sq.

Marathoniam, omnes omnino reſtituti, neque deinceps vmquam notati. Quod ad rem praeſentem, haud ſine adhortationibus, accommodatur, vt, laudabilibus maioribus laudabiliter imitandis, et ipſi, conſenſu conſtantiaque, ciuitatem amplificent poſteri. Pars IIII. a §. 195. nouam habet alius accuſationis propulſationem, quaſi virgam oleaginam (ἱκετήριαν) t), Eleuſiniis ſacris, in ara, poſuerit Andocides, ideoque ſit morti tradendus. Res tota fuſius enarratur, fraudulenter virgam eſſe poſitam, vt in perniciem adduceretur orator: cum et ipſae ſtatuae numinum circumductae fuerint, ad inquirendum. Concludit ergo, ſe numinum clementia liberum eſſe, ſi vel poſuiſſet: probat autem ſimul, ſe poſuiſſe nequaquam. Quippe Callias tunc quidem, licet ſtatuas numinum geſtaſſet, ſemet audiſſe profeſſus eſt, Andociden collocaſſe; cui vero reclamarit actutum, non ſine conuicio, Cephalus: tum, quia ſupplicium iſti crimini conſtitutum diceret, quod lex, inſculpta columnae, non niſi mille drachmis mulctaret; tum, quia nominaret Andociden, ex quo perceperit, auſus adpellare neminem. Vnde potius apertum fuerit, ipſum Calliam poſuiſſe. Fecit autem hic iſtud, ira vindictaque commotus. Nimirum, Epilycus, Tiſandri filius, auunculus noſtri, ſine maſcula prole mortuus in Sicilia, duas reliquerat filias; quarum altera penes noſtrum, apud Leagrum altera fuit: cum vterque, proxima cognatione, iunctus eſſet defuncto. Quam Leager ſecum habebat, ſibi ſeu filio deſtinarat Callias; Andocides contra praerogatiuam amplectebatur. Videns id Callias, Cephiſio

t) comm. noſtra *de Andocide* p. 3. Nihil quidem habet ea de re *Lyſias*, qui ſolum V, 17. p. 55. cum impius, et a ſacris remotus, ad religionem Cereris intraſſet, e ſacro gutturnio manus eum abluiſſe, memorat.

fio mille drachmas dedit, vt noſtrum accuſaret: animaduertens vero litem intentam Andociden haud ſubterfugere; virgam poſuit, vt, ſine iudicio, poſſet actutum necari. Ceterum, praeter opes oblatas Leagro, idem acceſſit ad Lyſiſtratum ducem et Epicharem, quos oratori nouerat amicos eſſe, vt illi perſuaderent, mitteret Epilyci filiam ſibique cederet: ſic enim non modo lites forenſes omiſſum iri; ſed aeque ſe polliceri, coram amicis, ſatisfactionem. Ab iis tamen, quod iſte non exſpectauerat, reſpondebatur. Hac occaſione data, de Calliae coniugiis filioque, parum honorifica proferuntur: quae quidem, cum ad rem haud adeo pertineant, praeterimus. Licet hinc orator ipſe colligat, hominem tam abominandum, ſupplicia, non audientiam, mereri. Corroborantur hactenus dicta, §. 236. ſqq. vel inde, quia, triennio iam e Cypro reuerterit, et Athenis habitarit, ipſis huc vsque non impius viſus: cum et fratrem et hoſpites alios religionibus imbuerit; ad Eleuſinia ſacra ſit ingreſſus ibique ſacrificarit; immo, qui nunc ſint accuſatores, ipſum muneribus publicis commendarint, vt in Vulcani ſollemnibus gymnaſio praeficeretur, ἀρχιθέωρος in Iſthmiis et Olympiis ludis eſſet, et, in vrbe, ſacrarum opum quaeſtor; iam vero demum ab iisdem habeatur profanus. Hocce porro, cur vel archontum in iudicio fiat, cauſſam addit §. 238. ſequentem. Argyrius, Archon, quem neſcimus an ſuo nomine vocet, cum aliis, etiam in ſubſelliis accuſantium praeſentibus, vectigalis quinquageſimae partis u), tribus circiter annis ante conducti, particeps fuit: noſter autem, redemtionis eorum pretium, ſex talentis, ad ſenatum ingreſſus, auxit; neque tamen, cum ſociis ſuis, damnum, ſed paruam aliquam vtilitatem, habuit. Inde

u) *Lycurg.* 6, 6. not. q.

factum est, vt eum remouere cuperent isti, ne sibi maneret impedimento. Precatur ergo iudices Andocides, vt se potius absoluant: quo, simul in posterum, bene mereri de patria queat, et homines eius modi coercere, vel emendare. Parte V. §. 245. refellitur etiam eorum specioſa ratio, quasi deus Andociden ideo de periculis naualibus liberarit, vt accusante Cephisio perderetur x). Respondet autem noster, pericula quidem nautica diuina: forensia vero talis generis humana esse; potiusque contrarium sequi. Cum enim, hiberna tempestate nauigans, ab ipso numine, liberatus sit: oportere tanto magis, vt ab hominibus conseruetur; praesertim in ea ciuitate, cuius semper fuerit, consensione communique salute quaerenda, non autem poenis, amplificari. Sequitur inde conclusio §. 255. qua precatur Andocides, et propter maiores suos, vt hos imitandi calcar adiungant, misericordia sua. Quippe tantos maiores haud minimam sibi partem vindicare publicae salutis: quam et ipse sit hoc studiosius et efficacius curaturus; quia plurimis excitetur modis, simulque, cum regibus ac populis multis, hospitium amicitiamque sustentet. Contra, si se perdant, omne pariter ipsius genus esse funditus periturum, Andocidaeque et Leogorae domum, aut auitam et paternam, opprobrio futuram, quam elapso se, vel in exsilium pulso, Cleophon, lyrarum opifex, sit inhabitaturus. Nec se quidquam in ciuitatem, nec in se ciuitatem peccasse: domum ipsius antiquissimam, et omnibus indigentibus esse communem: adflictorum neminem gratiam ibi frustra quaesisse. Denique coronam imponit peroratio, quam omnibus DEMOSTHENIS praefert NIC. CAVSSINVS y). Hic ipsi maio-

x) conf. *Lysias* V, 9. sq. p. 51. y) *de eloqu. sacra et hum.* I, 25.

maiores excitantur, pro noſtro deprecantes eiusque ſalutem quaerentes: dum viuum ſiſtere queat nullum, mortuis patre fratribusque, liberis autem nondum generatis. Igitur, horum omnium loco, tamquam ancoram ſacram, complectitur Athenienſes, obſecrans, ne Theſſalos et Andrios, inopia ciuium, recipere, hos autem perdere, malint. Adhaec, ſi quibus adficere beneficiis queat, pollicetur; ſed poenitentiam, vbi ſe perſuaderi patiantur ab aduerſariis, haud defuturam eſſe, comminatur. Poſtremo, conuocat optimum et amiciſſimum quemuis, ad conſultandum ac ſententiam de ſe dicendam, Anytum nominatim, Cephalum, Thraſyllum, tribules et alios. Patebit ex hoc ſpecimine, quantum bonae frugis, in oratione iam ſtrictim expoſita, lateat. Gerae 23. Febr. 1755.

CAPVT. III.

Altera commentatio de ſcriptis Andocidae.

Poſtquam, altero nunc menſe, primam orationem Andocidae, breuiſſimis verbis, deſignauimus: iam ad reliquas progrediemur.

Or. II. περὶ τῆς ἑαυτῶ καθόδου, ſeu περὶ τῆς ἀδείας, vt HARPOCRATIO a) vocat, impunitatem reditus ſui monſtrat, defendit, expetit. Diuiſimus eam in capita V. membraue minora LVIIII. Incipit autem §. 1. ed. Ald. p. 19. §. 12. p. 20. §. 30. p. 21. §. 51. p. 22. Vituperat quidem orator accuſantes, tamquam inuidos maxime, bonique publici negligentiores: cum, impetu iuuenili, ſeu perſuaſionum abreptus pondere, quae fecerit, potius miſericordiam, quam

a) v. ὀρρωδᾶν, quod habet *Andoc.* II, 13. *Gui*. *Canterus nouar. lect.* VIII, 4. *Plutarchus in* X. *oratt.* de hac etiam oratione, tamquam de pluribus, loquitur p. 835. *Opp.*

inuidiam mereantur, §. 13. ſqq. Quia partim perſuadentibus contradicere, partim innocentem patrem perdere, noluerit: hinc elegerit iſtud, quod ſibi ſoli moleſtiam diuturnam, ipſis autem Athenienſibus, celerrimam, e praeſenti malo, liberationem adtulerit. Igitur, optimum ipſe factu iudicans, ibi potius, vbi minime vellet, quam in vrbe, verſari, receſſit. Dum in patriam reuerti cupiebat, §. 20. ſqq. ſenſit, aut ſe vitam facile perditurum, aut inſigni ciuitatem adficere beneficio debere. Ideoque, nec pepercit corpori, nec opibus, ſed remiges, ad copias Atticas, Sami congregatas, quo tempore turbas internas habebant Samii, Thraſybulo iuuante populum b), adduxit; cum iam quadringenti rerum eſſent Athenis potiti. Paternus autem hoſpes Archelaus, quia, quaecumque vellet, efferri et inferri permiſerat: praeterea frumentum et aes adtulit Andocides §. 23. ſqq. Hoc aere conducti viri poſtea Peloponneſios claſſe vicerunt; et tum, Thraſybulo duce, ſoli ſeruarunt vrbem. Rediens Athenas orator, omnia praeter opinionem inuenit, §. 26. ſqq. Aduectus enim naui, ſe collaudatum iri putabat: ſed, cum non nulli quadringentorum ipſum veniſſe cognoſſent; captum ſine mora, ſenatui ſtiterunt, et adſiſtens Piſander c) indicauit noſtrum, quaſi frumentum ac remiges hoſtibus adduxiſſet d). Ita, cum hic ſe periturum animaduerteret; ad aram ſtatim aduolauit, et ſacra fuit amplexus, numinum opem ſibi gratulaturus §. 29. ſqq.: licet interim vincula, et alia permulta mala,

b) *allgem. Welthiſt.* T. VI. p. 654. ſq.

c) de quo v. *Corn. Nep.* VII, 5, 2. ſqq. conf. *Thucyd.* VIII, 68.

d) Talem et ipſum Thraſybulum initio iudicabant ciues, *Corn.* VIII, 2, 6. ſq. *Iuſtin.* V, 10, 1. ſqq.

la, perpeti cogeretur. Hocce meritum §. 34. sqq. cum ceterorum meritis, tamquam cum minori maius, comparatur. Nihilo minus aliud eminentius coniungitur §. 37. sqq., quod adhuc solus quingentorum senatus in occulto norit. Sed eorum, quae liceat ac deceat enuntiari, non nihil memoratur §. 40. sqq. Scilicet, cum, e Cypro, frumentum aduehi nullum, prae se quidam ferrent: ipsa re tales confutauit Andocides. Porroque ciues facit certiores, decem et quatuor onustas frumento naues, adpulsum in Piraeeo iri; quas paullo post indidem plures ac frequentes sint consecuturae. Desiderat ergo §. 45. sqq. reddi sibi et instaurari psephisma, quod, Menippo pronuntiante, securitatem ac tutelam sibi praestiterit, et adhuc in curia sit scriptum; quod vero deinceps, alterius cuiusdam gratia, derogarint: ideoque nec relinquatur aliquid, quo male dicere queant homines Andocidae. Pollicetur autem §. 52. sqq. futurum, vt emendet, si quae fuerint, peccata; sententiam corrigat, quam nunc aliam omnino foueat; immo quamlibet referat gratiam, et aemuletur maiores. Vt, exempli gratia, proauus paternus, Leogoras §. 55. sqq., seditione contra tyrannos pro populo mota, dum reconciliari et vna imperare poterat, cum populo fugere maluit et adfligi, quod auditorum in primis seniores nequeat latere. Sic et ipse noster omnem abiicit indignationem; licet, quam dedissent antea securitatem, iterum abstulerint: quia non sit mirum, de libertate lapsos in seruitutem CCCC. tyrannorum, aduersus Andociden peccasse, §. 58. sq. Quem igitur ad modum illas sententias abolerint: ita pariter, in hocce consilio, porro nihil esse debere cum inimiciffimis commune.

Oratio III. siue suasio *περὶ τῆς πρὸς Λακεδαιμονίους εἰρήνης*, habet apud nos capp. X. membra minora LXXXXI. Memb. 1. incipit ed. Ald. p. 22. m. 5. p. 23. m. 24.

m. 24. p. 24. m. 42. p. 25. m. 62. p. 26. m. 82. p. 27. Adfertur initio ſtatim propoſitum, iuſtam pacem eſſe bello praeſtantiorem, maxime cum Spartanis ineundam. Ad obiectionem §. 2. euerſum ita rem publicam iri; ſtatim reſpondetur, eam valituram, ſi nunquam cum Lacedaemoniis populus Atticus pacem pepigiſſet; nunc aliter iudicandum, exemplis prioribus. Illuſtratur id §. 5. ſeqq. exemplo Perſici belli, cum in Euboea inſula eſſet exercitus Athenienſium. Hi tunc habebant Megaram e), fontes atque Troezena: nihilo minus pacem deſiderabant, ac Miltiadem, Cimonis filium, iudicio teſtarum expulſum, inque Cherſoneſo verſantem, πρόξενον et interpretem pacis, Lacedaemona mittebant. Quo facto, pax annorum quinquaginta f), qua vero ſolis decem ac tribus annis vſi ſint, conſtituebatur. Neque tamen ideo ſubigebatur populus: potius portum Piraceum moenibus includebant; murum magnum ad boream exſtruebant; C. triremes fabricabantur; CCC. equites, et CCCC. Scythas ſagittarios, conducebant. Quae fuerint omnia pacis Laconicae fructus. Alterum exemplum §. 9. ſqq. cum, propter Aeginetas, bellum gerere coepiſſent Athenienſes; et vtrimque plurima mala toleranda fuiſſent: inuenti ſunt X. viri, quos inter auus noſtri Andocides. Hi, plena Spartam poteſtate legati, denuo pacem effecerunt. Neque tunc populi ſtatus euerſus eſt: quin tale moliti comprehendebantur; diuitique potentia plurimum efferebatur ciuitas. Eodem. quippe tempore, triremes alias C., et naualia ſtruxerunt, itemque murum magnum auſtralem, quippe ma-

e) ita *Cic. ad diu.* IIII, 5: noſter autem et *Thucyd.* L. IIII. τὰ Μέγαρα.

f) conf. *Aeſchines de falſa legat.* et *Meurſius Ath. Att.* III, 11.

pe maritimum ad portus. Tertium exemplum §. 14. ſeqq. cum, propter Megarenſes, bellarent: Nicias, Nicerati filius, pepigit pacem, iterum opibus et aliis vtilitatibus abundantem; qua ſimul Cherſoneſum tenebant Attici, Naxum item, Euboeae plurimum, et alias regiones. Exemplum quartum §. 17. ſq. cum iidem, ab Argiuis perſuaſi, bellum inſtauraſſent; vbi noſter pacem ſemper commendarit. Obiicitur quidem, ex hac ipſa poſtrema pace, XXX. tyrannos inſtitutos eſſe; multum Athenienſium, hauſta cicuta, periiſſe; neque paucos in exſilium fugiſſe. Sed reſpondetur §. 20. ſqq. aliud eſſe σπονδὰς, quas victis imponant victores, aliud, inter aequales, pacem. Oſtenduntur igitur huius praerogatiuae, quod nunc Lemnum, Imbrum, Scyrum teneant; exſules recipere neutiquam cogantur; naues habeant, quot velint, et eiusdem generis alia. Obiectioni nouae §. 26., quaſi bellum eſſet neceſſarium, reſpondetur §. 27. ſqq. cauſſas iam belli non iuſtas fore: cum potius iniuſte tulerint opem Boeotis; quidquid deſiderent, obtineant; ac ſi debellare velint Lacones, id neque ſocii ſint paſſuri, neque Perſae. Pace contra §. 34. ſqq., ſingulis Graecis communem pacem ac libertatem comparari; cui vel Lacones ſtudeant, quamuis iam ter victores; ſcilicet, ex quo ſocios omnes Corinthi; Boeotos, Ageſilao duce; cumque Lechaeum occuparent, Argiuos omnes, Corinthios, et Athenienſium ac Boeotorum quicumque praeſentes erant, fuderint. Eosdem conditiones proponere §. 37. ſqq. pacis ſat aequae, quam et Boeoti recipiant, Orchomenum ſuis legibus vti permittentes; quamuis, id ne fieret, annis quatuor geſſerint bellum, plurimos fortes viros amiſerint, et magnas impenderint facultates. Nouum argumentum mouens §. 42. ſqq. a fide Laconum, bello Peloponneſiaco praeſtita: cum ipſi deinceps Athenienſes, abductis ab amicitia

Laco-

Laconum Boeotis Corinthiisque, Corinthiacae calamitatis auctores fuerint, regem Artaxerxem in eos concitarint, classique Cononem praefecerint, qui maritimo principatu Lacones priuarit. Talia perpessos, quaecunque foedere iuncti permittant Athenienſibus largiri. Quaeritur ergo §. 47. ſqq. ad quam aliam pacem efficiendam, accedere legati debeant? quid praeterea ſit conſultandum? quid ſit, cur Atticos inuitent Argiui? quanti Corinthum aeſtiment, cum Boeoti porro participes eſſe belli nolint, faciantque pacem,; quibuscum tamen antea foedus pepigerint Athenienſes, vt viribus coniunctis valerent? Opponentes §. 53. ſqq. Corinthum eſſe cuſtodiendam, et Argiuos foedere nectendos, interrogantur: num, Argos vbi Lacones inuadant, auxilia ſint ferenda, nec ne? dum vtrumque noxium ſit futurum ciuibus ſuis. Hinc examinantur Argiuorum ſermones §. 56. ſqq., qui iunctam ſecum et cum Corinthiis militiam deſiderent; ſuam vero regionem ſociorum copiis, neutiquam aperiant. Scilicet, iſti patriam ſe pacem alere profiteantur: quam tamen inuideant aliis; quia, prorogato bello, Corinthi ſperent occupationem. Quae cum ita ſint, aut cum Argiuis contra Lacones pugnandum; aut cum Boeotis communi pace fruendum: quorum prius ſemper noſter formidarit. Sed, eſſe vulgo malum Athenienſium § 60. ſqq. prae potentioribus elegiſſe debiliores, et maluiſſe gerere bellum aliorum gratia, quam ipſos frui pace: quod exemplo cum Perſis actorum illuſtratur. Cum enim magni regis amicitiam in perpetuum adſeruiſſet Atticis Epilycus, Tiſandri filius. auunculus noſtri: potius, ab Amorge, ſeruo regis fugitiuo, perſuaſi ciues, illius potentiam nihili fecerunt, et amicitiam huius fugitiui praetulerunt: quo facto Lacedaemoniis, aduerſus Athenienſes bellantibus,

bus quinquies millia talentorum, rex ille ſuppeditarit; donec Atticam potentiam omnino deſtruxerint. Sic et §. 62. cum Syracuſani pacem et amicitiam orarent; Aegeſtanis et Catanaeis praelatis, infelix bellum ciues maluerunt. Idem valituram Argiuorum legatorum perſuaſionem §. 63. ſqq. quod tot iam cum Lacedaemoniis bella doceant. Diſſuadetur ergo §. 67. bellum iſtud: aeque vero diſſuadetur §. 68. ſqq., in firmanda pace, caeca feſtinatio; cum ſpatium quadraginta dierum habeant deliberandi. Neque minus confutantur, §. 75. ſqq. quibus parum videatur, ob naues ac moenia, paciſci: dum, quantum inde iam natum boni ſit, edocetur. Vnde Laconum legati §, 82. ſqq., Athenis tunc, vt Argiui, praeſentes, prouide ſint audiendi; et, quidquid praeſertim ſalutare, concludendum.

Oratio IV. κατὰ Ἀλκιβιάδ̃ cap. IX. ſeu membris minoribus XCVI. a nobis diſtinguitur, quorum membr. 1. ed. Ald. p. 27. m. 8. p. 28. m. 32. p. 29. m. 50. p. 30. m. 68. p. 31. m. 86. p. 32. incipit. Continet autem vituperationem, defenſionem et accuſationem. Initium fit a querelis, de difficultate ciuilium in rep. munerum adminiſtrandorum. Ipſum propoſitum habet §. 5. non ſe; ſed, ſi quis, Alcibiadem oſtraciſmum mereri. Vituperatur autem P. I. §. 6. ſqq. generatim lex de oſtraciſmo, tanquam contraria iuri iurando ciuitatis, et admodum noxia, nec iniqua minus. P. II. §. 15 ſqq. captationem beneuolentiae praemittit, et odii ciuium atque ſeditionis (μισοδημίας ac στασιωτείας) ſuſpicionem, ab Alcibiade (§. 40.) conflatam, remouet; quae ſint talis hominis notae, et qua ratione neutiquam in ſe conueniant, perdocendo. P. III. longiſſima, §. 22. ſqq., Alcibiadis vitam perſtringit, vt in iſtum, tunc abſentem g), eiusmodi ſcelera reiiciantur. In tranſitu memo-

g) conf. §. 30. et *Buchner* ad *Corn.* VII, 3. 2.

memoratis aliis criminibus, quae de tributis ac vectigalibus admiserit §. 25. fqq., non praeter laudem Aristidis, indicantur. Additur eius auaritia simul et superbia: §. 33. fqq. Prioris exemplum vxor praebet, Hipponici filia, Calliae soror h), quam cum, X. talentis dotatam, duxisset, mortuo, dum Delio bello dux erat, socero, decem alia simul expressit i); neque minus tamen eiecit coniugem, et insidias struxit adfini §. 37. quo pariter huius facultates obtineret. Superbiam designant, aurae popularis captatio §. 39. fqq., acta cum Agatharcho pictore §. 42. fqq., cumque Taurea ἀντιχορηγῷ §. 50. fqq. Accessit intemperantia et impudentia §. 54. fqq. qua de Meliis captiuam duxit, et ex ea filium genuit. Hic vero, per προλήψιν, Alcibiadis gloriatio de Olympica victoria §. 59. fqq. refellitur, re ipsa distinctius narrata, tamque Diomedi, quam vrbi, facta iniuria commemorata. Eadem ad alteram profectionem Olympicam extenditur §. 69 fqq. vbi tentorium Persicum Ephesii, duplo maius, quam publicum, tendebant, victimas et pabulum Chii comparabant; vinum et alia Lesbii donabant. Cum igitur §. 74. fqq. Calliam Didymii filium, et Cimonem Miltiadis, iudicio testarum, eiecerint: certe nec huic esse parcendum, opinatur Andocides. Conclusionem vero facit §. 76. fqq. instituta comparatione, inter se et Alcibiaden; cuius praeterea maternus auus Megacles, et paternus Alcibiades, indidem exsularint. Idem ad legislatoris mentem accommodatius fore §. 78. fqq. cum iste potentior sit magistratibus ac legibus, orator autem noster quater in iudicio publico comparuerit, ac fuerit absolutus; licet accusatores habuerit acerrimos et eloquentissimos §. 84. sq., qui duos, eadem in cau-

h) *Dav. Chytraei chronol. hist. Her.* et *Thuc.* p. 185.
i) erat enim ditissimus Hipponicus *Corn.* VII, 2, 1.

in cauſſa verſatos, dederint neci. Ne meritorum commemorationem §. 92. ſqq., Andocidis ipſi vitae iam inſertam, hic repetamus. Vnde tandem concluditur, eiusmodi ciues, haud eiectionem, ſed conſeruationem, mereri. Gerae 13. April. 1755.

CAPVT IV.

De Orationibus Andocidae commentatio tertia.

Indicauimus orationes Andocidae, ſecundum ordinem, quem editiones praeferunt. Sin tempus, quo dictae videntur, expendamus; omnino fuerit diuerſus. Hac enim ratione, primum vltima locum occupabit; altera ſuum retinebit; tertium prima, penultima ſumet extremum. Aduerſus Alcibiadem oratio, videtur olympiade XCI. ineunte dicta: quod vel inde patet, quia, de poſterioribus Andocidae fatis nihil ibi reperimus; ipſe potius ad iuniores ſe refert, δημηγορῶσι δὲ οἱ νεώτεροι §. 54.; ac, tunc ὀλιγαρχικὸν et μισόδημον habitum ab Alcibiade fuiſſe, contendit §. 40. Nec meminit quidquam poſteriorum Alcibiadis geſtorum· quem potius nihil oppoſiturum ait, praeter Olympiam victoriam §. 59. Habuit tamen iam tum liberos Alcibiades, in choro verſantes §. 50.; maxime filium admodum nequam, e ſerua. Fuiſſe ſimul dicuntur §. 57., a quibus, tanquam incomparabilis, extolleretur. Sic et Andocides, ſe quater, a ſummis oratoribus, qui neci dederint alios, accuſatum §. 84., nihilo minus, legitimo certamine iureque, viciſſe, commemorat §. 80. 83. Quae cum ita ſint, non potuit diu ante Siculum bellum eadem oratio haberi: neque tamen eſt, cur, poſt claſſem contra Syracuſanos miſſam id accidiſſe, putemus. Etenim Lacedaemoniorum, quibus Alcibiades poſtponitur, honorifica fit mentio §. 65. et tale bellum, tanquam res forte futura, deſignatur §. 30. Indidem, nec ſuppoſita vi-

detur oratio: quoniam nihil ibi miſcetur, de myſteriis domi celebratis, de Hermis deiectis, de ſacerdotum exſecrationibus, atque reliquis, quae vel *Cornelius* adtulit, momentis. Περὶ τῆς ἀδείας et περὶ τῶν μυστηρίων orationes, olympiade XCIV., habuit Andocides; vt XCVI. legationem ſuam Laconicam ſedulo commendauit. *Taylor* quidem, ἐνδείξεως λόγον, paulo poſt XXX. tyrannos habitum eſſe, memorat: ſed nos illud, a decemuiris reip. curandae pulſis, euenisſe, vel e ciuitatis iureiurando, comprobamus §. 139. 153. ſqq. Nec abſurdum nobis videtur, in duas hanc ipſam orationem diſpeſci. Reperimus enim illic ſuperſtitem patrem §. 120. ſq.: hic vero defunctum §. 269. Ita quidem, forſitan ad §. 125., peroratio prioris, ac περὶ τῆς ἐνδείξεως orationis prima pars, deſideraretur. Attamen, ſi patrem, primo loco nominatum, exceperis, et §. 121. ad poſteriores ſolum accommodaueris: haec pariter difficultas euitari poterit. Vbi diſtinxerimus priorem partem; περὶ μυστηρίων, tempore περὶ ἀδείας orationem antecedere, vel vtrobique de Piſandro, cum dicta, tum non dicta, nobis perſuadere videntur. Eandem, ſimul περὶ καθόδε vocatam, fuit cum dubium naſceretur, anne potius filio noſtri vindicare deberemus. Scilicet, iuuentuti peccatum tribuitur, et πατρὸς πρόπαππος, qui or. I, 185. πρόπαππος, adpellatur. Actutum vero dubium exemit; quod eadem vtrobique narrantur, inque praecipitem iuuentutem coniiciuntur, et quod aperte, liberos ſe non generaſſe, prae ſe fert orator I, 269. Quae cum ita ſint, ὁ πατρὸς πρόπαππος, non abauum indicabit, ſed e paterna parte proauum. Laconicam legationem ſi conſideramus; variis temporibus, varii mittebantur. Mittebant eo, cum ciues, nondum conciliatis in Piraeeo verſantibus; tum apud Eleuſinios tyranni, quorum conſilia, per Pauſaniam impediebantur, inuidia Lyſan-

Lyſandri. Sequebantur alii, poſt libertatem a Thraſybulo redditam, ipſius Pauſaniae mandato, tam e Piraeeo, quam e reliqua ciuitate, pacis ergo, legati: quos reuertentes Spartani XV. vna cum Pauſania, comitabantur αὐτοκράτορες, ad pacem aequis conditionibus firmandam. Ea, quam vltra ſeptuaginta natus annos Andocides obiit, legatio, poſt Cononis, qui Lacedaemonios ad Cnidum ſuperauit, victoriam incidit §. 45. Sed, ab Athenienſibus, initio conditiones pacis repudiabantur: et obiiſſe videtur orator, cum, olymp. CI., poſt multas in vicem calamitates, reconciliatio fieret. Obiici quidem poterunt, quae *Lyſias*, aduerſus Andocidem a), de Lacedaemoniis immiſcet. Sed, hi rationem etiam habuiſſe noſtri creduntur: partim quoniam auus olim pacem pepigerat b); partim quoniam, vel antea ſemper, optime de Spartanis ſenſerat ipſe, quod in eius orationibus paſſim obſeruabitur. Ita vero, vel inde patet, non eſſe ſpernendam, ad hiſtoriam Graecam, Andocidae lectionem: et ad reliquas etiam orationes accommodari debere, quod de prioribus memorat *Boeclerus* c); dum ibi multa reperit, ad illorum temporum hiſtoriam integrandam, pertinentia. Nos quidem hoc ipſum, ſingularibus proluſionibus, oſtendemus; quibus et tyrannidem Piſiſtrati filiorumque, et liberae Graeciae bella, et Athenarum, Andocidis aetate, conditionem, deſignabimus. Iam, vt ſaliuam moueamus, quod, in aliis *Fabricius*, prae ceteris, egit, in noſtro nemo, vel hominum et locorum nomina miſceamus. Sunt autem * — Vel vltima nomina, nec alia minus, docebunt, anti-

a) V, 12. p. 53. init. ed. Tayl. min. b) III, 9.
c) *de ſcript. Gr. et Lat.* (Argent. 1708.) p. 23. ſq.
*) Indicem omiſi, quem ſupra p. 530. ſqq. dedi et plenio-rem et melius ordinatum. R.

quitates ſimul Atticas hinc accipere lucem. Inſignem autem praecipue forenſes atque ciuiles nanciſci, ſeorſum pariter dabimus comprobatum. Scilicet, cum adpareat, inſtitutum, quo memorabilia ſcriptorum Atticorum, cum auctoribus eo pertinentibus, vni lectorum obtutui ſiſtebamus, quibusdam minus probari, ſiccumque videri; maluimus actutum, in ceteris, ad magis ſingularia deſcendere, tarditatisque ſubire notam, quam, et oſtentationis forſitan et ταυτολογίας titulo, moleſtiam exhibere; potius ad aliorum genium nos accommodando, quam nobis ſapiendo ſolis. Hic interim, vel verbum, oratoris de ſtilo, iungemus. Deſcribit eum *Plutarchus* d): ἔστι δὲ ἁπλῆς καὶ ἀνατάσκευος ἐν τοῖς λόγοις, ἀφελής τε καὶ ἀσχημάτιστος. Cum hoc, vt paſſim, *Photius* e) conſentit: ἔστι δὲ ἐν τούτοις ὁ ἀνὴρ ἁπλῆς τε καὶ ἀκατάσκευος, ἀφελείας τε φίλος, καὶ τῷ ἀσχηματίστῳ σχηματιζόμενος. Poſtrema verba docent, ſimplicitatem illius fuiſſe laudabilem, et digniſſimam oratore. *Cauſſinus* f) ergo, cuius noſtrum facimus iudicium, habet omnino, cur lacertos ipſi vindicet, atque ſententias ſatis vehementes, quibus ſubinde, vel cum oratorum principe quouis, de praerogatiua contendat. Itaque nactus eſt imitatores, non Graecorum modo primarios, verum aeque Romanorum. Ipſa C. Gracchi ἀπορία, qua vel inimicis expreſſiſſe lacrumas dicitur, ex Andocideis fontibus g) fluxit. Hinc, licet aduerſus Andociden ſcriberet *Theodorus* Byzantinus h); haud admodum dolendus eſt eius operis interitus. Sed moleſte ferendum, quod *Valerii Theonis*, in Andociden, commentarii i) non tulerint aetatem. Idque tanto magis; quoniam,

d) *de* X. *orat.* p. 835. e) *Cod.* CCLXI.
f) I, 25. g) I, 268. ſqq. ed. Ald. p. 18. ſq.
h) v. *Suidas* voc. Θεόδωρος. i) *Suidas* voc. Θέων,

niam, de recentioribus etiam, ſolus fere *Palmerius* k), oratoris noſtri pauca quaedam, illuſtrauit. Erit tamen forte, quo defectus aliquatenus ſuppleatur. Iam vnum reſtare putamus. Mentionem, proluſionis initio, fecimus editionum Andocidae. Commentationem II. Lycurgeam excitare poſſem, vt haſce cognoſcendi cupidis aliquatenus ſatis facerem. Quoniam vero prima potiſſimum eſt rariſſima, neque ſemper integra, cuius rei ſpecimen, proxima *de Palamede* proluſio nota d), ſuppeditauit: hac occaſione, collectionem eam fuſius deſignaſſe, non abs re videtur. Tres habemus operis Aldini tomos. Primus, Aprili menſe luci publicae datus, inſcribitur: λογοι τετων των ῥητορων. Ανδοκιδε. Ισαιε. Δεινάρχε. Αντιφῶντος. Λυκέργε. Γοργίε. Λεσβώνακτος. Ηρώδε. *Orationes infra ſcriptorum rhetorum* cet. Alter, IV. Non. Maii: Ισοκρατες λογοι. Αλκιδαμαντος κατα Σοφιςων. Γοργιε, ελενης εγκωμιον. Αριςειδε παναθηναικος. τε αυτε Ρωμης εγκωμιον. *ISOCRATIS ORATIONES* cet. vbi quidem Iſocratis orationes ſeorſum finiuntur, menſis Aprilis indicio; reliquae, ſub antea dicto die, iunguntur. Tertii, pridie Nonar. Maii poſt dedicationem ſignati, titulus eſt: λογοι τετωνι των ῥητορων. Αἰσχίνε. Λυσίε. Ἀλκιδάμαντος. Ἀντισθένες. Δημάδε. Ἀνδοκίδε. Ἰσαίε Δεινάρχε. Ἀντιφῶντος. Λυκέργε. Γοργίε. Λεσβώνακτος. Ηρώδε. Ἔτι αἰσχίνε βίος. Λυσίε βίος. *ORATIONES HORVM RHETORVM* cet. Hic autem, ad primum adlegatae tomum, deſiderantur. Vnde primus vulgo poſtremum occupat locum: et generatim vnum opus conficitur; quod et literarum, quas vulgo *cuſtodes* dicunt, confuſio demonſtrat. Fuit autem inſtitutum Aldi primum, vt videtur, antiquiorum decem

k) in *exercitationibus ad ſcriptores Graecos* p. 667. ſq.

oratorum Atticorum orationes publici facere iuris. Itaque, primum occupantibus locum, Andocideis inscribitur: λογοι, των δεκα ρητορων. Altera collectio, Stephaniana percenſetur in *Lycurgo* noſtro l). Tertiae titulus eſt: *oratorum Graeciae praeſtantiſſimorum*, Antiphontis, Andocidis *et* Iſaei *orationes xxx., cum ciuilium tum criminalium cauſarum, Iureconſultis ac Rhetoribus vtiliſſimae, Interprete* Alphonſo Miniato *Bononienſi. Nunc primum Graece et Latine editae*, Hanouiae CIↃ IↃↃ XVIIII. 8. mai. Sed ſingulatim *Andocidis de pace cum Lacedaemoniis facienda oratio Gr. et Lat. ex interpr. Andr. Pulnaei*, prodiit Pariſiis CIↃ IↃ L VII. et iterum, cum verſione *Guil. Canteri*, ad calcem *Ariſtidis* Baſil. CIↃ IↃ LXVI. fol. Gerae 6. Martii 1757.

CAPVT V.

Rem publicam atticam Andocidae ductu deſignans.

Inſignis in Attica republica viri ſimul recordor, Andocidae noſtri. Non incommodum fuerit, ex orationibus illius, Athenienſium πολιτειας a), cui tantum debet Romana, quantum Romanae noſtra, conſtitutionem et antiſtites paulum illuſtraſſe. Gubernationem adamabant Attici, patrios ad ritus accommodatam b); eſſeque grauiſſimum arbitrabantur, ſi quid eius diſſolueretur, aut vel caperet detrimentum c). Neque tamen ideo ſemper eadem forma manſit. Habemus nimirum, aetate diuerſa d), μοναρχιαν, ὀλιγαρχιαν, δημοκρατιαν. Imperium vnius, maxime cum in tyrannidem eſſet conuerſum, admodum odioſum

l) p. 15. ed. II.
a) II, 20. *Antiph.* VI, 1. b) I, 141. c) III, 2.
d) *Lyc.* 2, 3. not.*) *Iſocr. panath.* p. 578. ſqq. ed. Wolf. *Aelian. V. H.* III, 17. V, 13. *Pauſan.* I, 3.

ſum fiebat ciuitati e). Paucorum et optimatum ditio idem vulgo nomen adoptabat, perque quadringentorum et triginta virorum ſaeuitiam, haud minoribus odiis exponebatur f). Ex quo vero ſingulares proluſiones iſta momenta hiſtorica propoſuerunt: hic modo rempublicam omnino liberam ſpectemus. Δημοκρατεμένη πόλις g), veluti per eminentiam, vocatur Attica. Quippe dum, eam qui laederet, publicus actutum hoſtis declarabatur h), et impune, quid? propoſito praemio, necabatur. Hinc inuidiae maximae, quam Andocides ipſe ſenſit, exponebantur, quibus vitio dabatur, quod imperium populare, clam inuertere ſtuderent i). Vidit vero magiſtratus et habitatores libera ciuitas, variis honorum gradibus modisque diſtinctos. Bene *Lycurgus* k), conſtitui rempublicam, ait, ab archonte, iudice, priuato ſeu ciue. Crebram facit mentionem ἀρχόντων, *Andocides* l); vſus quidem vocabulo ſenſu magis generali. Singulatim ita dicti fuere nouem; quorum princeps ἐπώνυμος, quod anno daret nomen m). Huius erat, temporibus Bacchо et Apollini feſtis (Διονυσίοις καὶ Θαργηλίοις) praeeſſe; vexationis lites inter coniuges n). item parentes et ingratos liberos, dirimere; quaeque ſunt alia, quibus ſubinde ſimul reliquos archontas adhibebat o). Alter, ſiue rex ſacrificulus, Eleuſinia Lenaeaque ſacra curabat, ibique peccata, in regia porticu, iudicabat p),

e) IV, 43. f) I, 133. 172.

g) I, 150. ſq. coll. II, 2. III, 3. IV, 45. *Lycurg.* Comment. I. n. 4. or. 2, 3. *Xenoph.* Ἀθηναίων πολιτεία tota fere.

h) I, 167. ſqq. III, 24. *hiſt. Graec. ſpec.* I. p. 7.

i) II, 56. IV, 64. k) 19, 2.

l) I, 153. 167. ſqq. 265. IV, 48. 50 *Antiph.* XIV, 116. 119. *Diog.* Laërt. in *Solone* I, 58. vel I, 2, 9.

m) I, 142. *Pauſ.* III, 11. p. 232. ed. *Kühn.*

n. IV, 35. o) IV, 36. *A. Er.* 1751. p. 206.

p) I, 133. 197. *Antiph.* XV, 75. 83-90. *Pauſ.* I, 3. init.

iunctis quidem adsessoribus, vel vniuerso quandoque senatu q). Praeterea, de caede causas, quas, ex antecedente cognitione, vel alias, occupare poterat, sistere solebat r) Areopagitis, quibus, cum adduxisset reos, adsidebat posita corona, pro conditione criminis, sententiam primo loco dicturus. Tertius πολέμαρχος s), cuius curia vocabatur ἐπιλύκιον· indeque λυκαμβὶς ἀρχὴ polemarchus ipse, in CRATINI comoedia, quae νόμοι inscribitur. Officium, vel nomen designat, initio certe, cum partibus στρατηγῶν t), militare potius, quam ciuile fuisse u): licet sacra Dianae venatricis et Martis Enyalii, neque minus ἐπιταφικὰ certamina, curaret; ac peregrinorum et iniquilinorum, vt ciuium princeps, in lites inquireret x). Ceteri sex θεσμοθέται nominabantur, iuris nimirum, atque legum vindices, primariis iudiciis adhibendi y), ne quid minus legitime fieret. Iidem ergo παρανόμων γραφὴν z) intendebant; accusatores ac testes falsos, itemque corruptos iudices, puniebant; quaeque sunt alia. Hinc et singulare tribunal habebant a), ac senatum, immo populum vniuersum, vel extra ordinem, congregabant b). Eligebantur archontes, per fabas, siue calculos, qui partim albi partim nigri fuerunt, in loco Pnyce, sic ab agmine denso confluentis populi nominato c). Post ius iurandum praestitum, myrto

q) I, 197. sq. r) I, 133. *Antipho* XV, 75. sq. 83-90. *Meurs. de arch. Ath.* I, 9.

s) I, 24. vbi quidem Ἀλκιβιάδου πολεμάρχου legimus.

t) *Ant.* van *Dale dissertt.* VIII. diff. V. c. 3. *Io. Gebauer de strategis Graecor ciuili munere perfungentibus*, 1751. 4.

u) *Pollux.* I, 10, 4. x) explan. *Aristoph.* ad *Vespas*; *Harpocr.* v. πολέμαρχος, *Possard de Ath. mag.* c. 22. sq.

y) I, 134. z) I, 35. 128. cet.

a) Dicebatur illud τὰ ἀρχεῖα. b) I, 56. *Petiti comm. in legg. Att.* p. 111.

c) *Eduardi Corsini fasti Attici, in quibus Archontum Athe-*

mytro vel hedera coronabantur, et ita deinceps incedebant d), a Demosthene communis corona ciuitatis adpellati, neque minus μύρρινοι· vt ambire talem magistratum μυρρινᾶν e). Eorum officia fusius exponit POLLVX f). Ante Olympiadem LXXXVII, mense Gamelione, magistratu decedebant nouemuiri; mox autem, et ciuilis annus et ἀρχοντικὸς, incipiebat Hecatombaeone g). Post intra XXX. dies, administrati muneris rationem reddere cogebantur τοῖς λογισταῖς, vel εὐθύναις, a quibus ipsa dicebatur εὐθύνη h). Logistae duo fuerunt, senatus et administrationis publicae cuiusuis obseruatores i). Euthyni siue euthynae decem, nouemuiris, praeter παρέδρους, quos ipsi sibi iunxerunt, aderant, si quid peccatum esset, correctionis ergo k); quem admodum adsessores, siue paredri, bini primariorum, praetoris, regis et imperatoris, auxilii et consilii gratia l). Patere videtur ex oratore nostro, logistas et euthynas, in λογιστηρίοις congregatos, in archontum rationibus perquirendis, occupatos fuisse m): ni plane, posthabito POLLVCE,

nienſium ſeries, philoſophorum, aliorumque illuſtrium virorum, aetas, atque praecipua Atticae hiſtoriae capita, per Olympicos annos diſpoſita, deſcribuntur, T. I. p. 21. ſqq.

d) II, 35 *Lycurg.* 30, 23. ad formam a genere concludendo. e) *Heſych.* et *Suidas.* Eiusdem generis magistratus apud Spartanos ephori *Lyc.* 28, 2. not.**), apud Cretenses κόσμοι, nominabantur *Meurſ. Creta* III, 9. 167. ſqq. ed. Amſt. 1675. f) VIII, 9. ab init.

g) *Antiph.* XV, 88. prol. noſtra *de anno Graec.* p. 4.

h) ἄρχοντες ὑπεύθυνοι IV, 71. conf. *Lyſias* p. 82. ſq. 138. 236. ed. Tayl. min. *Ariſt. polit.* IV, 16. iudicium εὐθυντικὸν vocat, quod in rep. Romanorum exsulare conqueritur *Tullius de legg.* III, 3, 7. ſqq. i) *Pollux.* VIII, 9, 13.

k) *Harpocr.* voc. εὐθύναι *Pollux* VIII, 9, 16.

l) *Pollux* VIII, 9, 5. *Harpocr.* v. πάρεδρος.

m) I, 133. ὅσων εὐθυναί τινες εἰσι κατεγνωσμέναι ἐν τοῖς λογιστηρίοις ὑπὸ τῶν εὐθυνῶν ἢ τῶν παρέδρων. Respicit huncce

colligere malimus ex ANDOCIDE, logiſtas et archontum primariorum paredros eosdem fuiſſe, θεσμοθετῶν maxime rationibus praefectos. Diſtinguit tamen et HARPOCRATION, qui paredros ipſos rationem reddidiſſe narrat; logiſtas vero X. numerans, nihilo minus ab euthynis ſeiungit, qui pariter adſeſſores habere potuerunt. Sic, itidem εὐθύνην alii magiſtratus dederunt n), ipſique triginta tyranni ac decemuiri, deinceps odium commune, publicamque vindictam, hoc modo, vitarunt o). Archontes ſingulatim, rationem eam fugientes, exiſtimabantur inhoneſti p); laudabiliter munere functi, iungebantur Areopagitis. Horum, velut omnis iuris ciuilis inſpectorum, erat, legum, congregationum, magiſtratuum, criminum, belli demum ac pacis, ſupremam gerere curam q). In Areopago ſedebant, vbi iudicium primum capitis actum eſſe putabatur r): vbi ſimul, vt in ſanctiſſimo conſilio, quo quilibet quaeſtu vitam ſuſtentaret, diligentiſſime perquirebatur, et praemia decernebantur optimo cuiuis s). Erat autem perpetuus ille magiſtratus. Ita nimi-

locum *Harpocration* in λογισταὶ καὶ λογιστήρια, ſimul memorans, quod, λογιστὰς et εὐθύνους inter ſe fuiſſe diuerſos, docuerit *Ariſtoteles* πολιτείᾳ. Philoſophus idem operis laudati L. VII. ſub fin. prytanibus tribuit ἐπιλογισμούς τε καὶ ἐξετάσεις, καὶ πρὸς εὐθύνας τῶν ἀρχόντων. *Gu. Poſſardus* autem *de Athenienſium magiſtratibus* c. 17. monet, quod εὔθυνοι dicti ſint alias χρεωστὰι *debitorum exactores*, κυβερνῆται *rectores*, διορθῶται *emeadatores*, εὐθυντῆρες *directores*, δικασταὶ *iudiciales*, aut λογισταὶ *rationum magiſtri*.

n) *Aeſchines* in *or. contra Cteſiphont.* p. 430.

o) I, 153. ſq. p) I, 128. 133. hinc, et aliis functi muneribus, expetebant vltro, *Lycurg.* Comm. I. §. 6.

q) I, 144. r) *Plin. H. N.* VII, 56. *Pauſ.* I, 28. p. 68. IIII, 5. poſt init. s) *Val. Max.* II, 6, 4. 5.

t) in or. *Demoſth. contra Leptinem* p. 586. *Pollux* VIII, 10. init.

nimirum, de thesmothetis, VLPIANVS t): δεύτερον δὲ ἐδοκιμάζοντο διὰ τὸ ἐκεῖθεν εἰς τὴν Ἀρείου πάγον ἔρχεσθαι, εἰ μή τις μεταξὺ διεβέβλητο, ἕως δὲ θανάτου ἔμενον οἱ Ἀρειοπαγῖται. Diuersi fuerunt a thesmothetis νομοφύλακες, siue ἔπαρχοι, quos et a numero τοὺς ἕνδεκα vocauere u). Soliis illi, e regione archontum, in spectaculis, insidebant: Palladi pompam adornabant: leges et populi congregationes iuuabant: in νομοφυλακείῳ crimina puniebant; a negantibus, veritate, tormentis adhibitis, expressa. Pertinet eo sollemne verbum ἀπάγειν x): nec immerito τοὺς ἕνδεκα, quos, cum XXX. tyrannis, ab obliuiscendis iniuriis excipiebant, eodem trahere poterimus y). In capitales quoque causas inquirebat ἔκκλητον concilium Ll. virorum ἐφετῶν, de quo nulla daretur ἔφεσις, *prouocatio*, Draconis institutum, cui vero Solon z) Areopagum praefecerat. At tamen, potius considerari meretur, insignis ille quingentorum senatus a), vnde quinquaginta legebantur πρυτάνεις, atque ex his iterum decem πρόεδροι, quorum qui curam arcis et illius clauium habebat (τὰς κλεῖς τῆς ἀκροπόλεως πιστευθεὶς) praeses (ἐπιστάτης) b) vocabatur. Illi prima valebant inquisitione, multarum et sanctiorum rerum et ciuilium. Hinc apud eos accusabantur, qui mysteria publicasse crederentur c); qui Hermas truncasse, et sic porro d). Deferebantur ad eosdem, quae rei publicae summam, ipsasque leges

u) *Lyc.* 16, 6. not. ***) *Pollux* VIII, 9, 7. 20. CIC. *de legg.* III, 20, 46. sq. *Postell. de mag. Ath.* c. 6. et 10. *Hekel.* ad hh. II, 10. *Heinr. Mükhe de nomophylacibus apud Athen.* (Vitemb: 1754. 4.)

x) I, 182. *Antiph.* XIIII, 177. *Lysias* XIII, 4.

y) I, 153. *Ael. V. H.* V, 13. *Kühn.* ad h. l.

z) *Meurs. Solon.* c. 15. a) I, 133. *Pollux* VIII, 10. p. 407. sq. b) I, 166. c) I, 23. d) I, 134.

ges illius e), contingere viderentur. At, pro cauſſarum grauitate, vel ſoli πρυτάνεις f) rem inquirebant, vel, conuocatus ab iisdem, vniuerſus quingentorum ſenatus g), adhibito pariter quandoque populo h). Difficultate publica premente, vigilantiam, diſtinctis partibus atque ſtudiis, idem ſenatus impendebat i), ad quem, ſi recte coniicimus, legum ſimul cuſtodes, etſi de communi ſententia ſeorſum memorati, pertinebunt. Dicitur certe ſenatus comprehendiſſe reos, et adligaſſe lignis, immo cruciaſſe k): quamuis etiam, de miniſtris, per quos illud fecerit, explicari poſſe narrationem, non diffiteamur. Ceterum, annus Atticus, in primis forenſe, cenſuum, tributorum ac vectigalium. tempus, ad πρυτανείας computabatur l). Nec annus ſacer excludi debet, maxime, quod ipſi ſenatores in curia, tum Ioui conſultori, tum conſultrici Mineruae, priusquam ciuilibus negotiis accingebantur, ſollemnia facerent ſacra m). Praeterea, verſabantur vulgo prytanes in Tholo, domo curiae vicina n). Deducimur, hac occaſione, difficiliorem ANDOCIDIS ad locum o), non e communi ſententia, quam antea propoſuimus, ſed e SVIDAE narratione, quam haud parum vacillare putat EMMIVS p), facilius illuſtrandum. Quippe SVIDAS duo numerat epiſtatas, priorem forte ductum e prytanibus, alterum ex proëdris; illum clauium aedis in qua pecuniae publicae condebantur, publicique ſigilli cuſtodem, qui, quoties prytanes ſenatum aut populum congregabant, ſorte proëdros deſignarit, de tribu qualibet, excepta ſua,

e) I, 143. f) I, 114. 197. g) I, 87. ſqq. 115. 197. h) I, 117. 143. 166. II, 37. i) I, 91. ſqq. *Lycurg.* II, 3. k) I, 88. 114. l) I, 128. m) *Ant.* XV, 89. ſq. n) I, 91. o) I, 166. p) in *deſcr. reip. Athen.* p. 27. ſq. ed. Lugd. Bat. 1626.

ſua, rurſumque ſortitus ſit antiſtitem alterum, e proëdris, ſiue primariis adſeſſoribus, et hunc demum fuiſſe, qui negotium tractandum propoſuerit. Aderat ſimul ſcriba, qui tabellis agitata mandaret, quae poſtea ſaepius ad totum ſenatum, conuocatum ex lege, referebantur. Hic iterum deliberabat, ſenatorum ſingulis, quibus videretur, ad ſententiam dicendam, ſurgentibus. Dictis ſententiis, ab vno prytanum, aut alio ſenatore, decretum, addito ſcribentis nomine, conſignabatur; clara voce recitabat r; ac, fabis albis aut nigris in vrnam coniectis, tamquam occultis ſenatorum ſuffragiis, monente quidem epiſtata, roborabatur vel infringebatur. Sed, erit commodior hac de re dicendi locus, quando leges Athenienſium, B. c. D., tangemus. Iam obſeruaſſe ſuffecerit, quod X. tribus, quarum πρυτανευούσης nomen huius modi decretis praefigebant, fuerint q): Ἐρεχθὶς, Κεκροπὶς, Αἰγὶς, Πανδιωνὶς, Ἀκαμαντὶς, Ἀντιοχὶς, Λεοντὶς, Οἰνὶς, Ἱπποθοωντὶς et Αἰαντὶς r). His, aetate recentiore, iungebantur Ἀντιγονὶς et Δημητριὰς, poſt Ἀτταλὶς et Πτολεμαὶς, adulationis ergo, dictae. Tertia cuiuslibet tribus pars τριττὺς, ἔθνος, ſiue φρατρία, vocabatur s). Erant autem et iis φυλοβασιλεῖς, δήμαρχοι, τριτύαρχοι, φρατρίαρχοι t). Reges illi tribuum ſacrificuli, nobiliores fuere, ſacrorum et commodorum ſuae partis curam gerentes. Δημάρχοις aliquatenus ſuberant δημόται u). Cuiusque gentis (ἔθνες) genera (τριακάδες), XXX. numerabantur: eiusdem autem

q) *Pollux.* VIII, 9, 31. *Harpocrat.* paſſim, vbi Ἐρεχθηὶς, Αἰγηὶς, Πανδιονὶς, Οἰνηὶς cet. r) in *Andoc.* Ald. ed. l. c. eſt Ἐαντὶς. s) *Ioach. Perionii de Rom. et Graec. mag.* p. 335-342. ad *Io. Sarii Zamoſci de ſenatu Rom. LL.* II. Argent. 1608. 8. t) *Pollux* VIII, 9, 30. ſq. u) I, 143. *Ant.* XV, 29. *Lyſias* p. 120. ed. Tayl. min. *Emmius* p. 51. ſq.

autem generis participes γεννῆται x), ὁμογάλακτες cet. solebant dici y). Praeter tribus, secundum censum, Atticus populus seiungebatur, in IV. classes, nimirum πεντακοσιομεδίμνων x), ἱππέων, ζευγιτῶν. θητικῶν a): neque minus, ad nobilitatem, in εὐπατρίδας, *nobiles*, ἀγροίκους, *rusticos*, δημιουργούς, *opifices* b); vt distinctionem in ciues c), quibus officia d) iuraque singularia e) fuerunt, et in inquilinos f), compendii gratia, praetereamus. Scilicet in magistratibus percensendis subsistimus, qui potissimum, e ditioribus et nobilioribus, legebantur g). Fiebat illud, αἱρέσει, vel κλήρῳ. Prior maxime legum latoribus, sed posterior senatoribus et iudicibus, constituendis, accommodabatur h), adhibitis fabis i). Lecti vero, de iustitia seruanda, legibusque tuendis, iurabant k): secundum quale ius iurandum, in tribunali, quoque suffragia ferri debebant l). Quin et eligentibus iurandum erat m), immo toti ciuitati n); praecipue cum, a dissidiis, quasi recens, partes conciliarentur o). Internoscebantur magistratus, σχήμασι, λόγοις καὶ τιμαῖς p). At tamen

x) *Harpocr.* γεννῆται. y) *Lyc.* 19, 2. not.*) *Pollux* VIII, 9, 31. fin. *Postell. de mag. Ath.* c. I. sq. *Hekel. obss.* p. 10. sq. 14. sq. z) qui principes erant συμμοριῶν *Emmius* p. 38. sqq.

a) *Arist. de rep.* L. II. sub fin. *Plut.* in *Solone*. *Pollux* VIII, 10. p. 408. sq. ed. Ff. 1608. *Perion.* p. 290. sqq. *Meurs. Solon.* c. 14. b) *Dionys.* Hal. A. R. L. II. *Meurs Theseus* c. 18. c) I, 148. 249. IIII, 58. 78. *Ant.* VI, 1. tabulas ciu. tangimum *de nom. Graec* p. 3. sq.

d) I, 252. 261. 271. II, 23. 38. IV, 2. 10. sq. *Lyc.* 16, 4. 34, 3. sq. e) I, 160. IV, 64. II, 46. *Lyc.* 36. 2.

f) I, 30. 261. *Lycurg.* 11, 6. not. * 34, 4. not. *)

g) *Pollux* VIII, 9, 17. *Harpocr.* voc. θῆτες.

h) I, 140. 143. IV, 8. i) I, 166. k) I, 3. IV, 6. 21.

l) I, 18. sq. 62. m) I, 143. n) IV, 6. sqq. *Lyc.* 18, 1. 6-9. 31, 4. o) I, 153. sqq. p) *Pfeiff. ant. Gr.* II, 8.

men, honorem etiam onus habuiſſe, tanta ciuitatis in licentia, facile patebit q). Sed, quem ad modum, per ἐκφυλλοφόρησιν, ſenatu mouebantur indigni r); ſic et, praeconiis et ornamentis variis, qui bene rem publicam geſſerant, adficiebantur. Gerae 24. Sept. 1758.

CAPVT VI.

Alcibiadem Andocideum ſiſtit.

Andocideum adpellamus celebrem illum Athenienſium ducem, cuius vitam, praeter alios, *Plutarchus* a) et *Cornelius* b) iam deſcripſerunt c), vt oſtendatur, non eorum modo narrationes iri repetitum; ſed, ex orationibus praeſertim Andocideis, hiſtoriam Alcibiadis nunc illuſtrari debere. Duas autem illam in partes diuidimus. Alcibiadis enim celebre genus d), cum oratoris genere coniunctum, ſpectamus; ac deſignamus vitam. Stirps Piſiſtrateam adtingit. Ab eam perſequentibus nominatus Thraſymedes, in Troiano bello cum Antilocho fratre verſatus, cuius imaginem et monumentum ſanctiſſime ſeruabant *Meſſenii* e), filium habuit Sillum, Alcmaeona nepotem, pronepotem Megaclem, Olympiade XLVII. victorem f) Huius filius Alcmaeon, amicus Croeſi, Olymp. LV. clarus g), genuit Megaclem, aemulum et eiectorem Piſiſtrati

q) IV, 1. r) *Pollux* VIII, 5. *Pfeiff.* II, 14.

a) T. I. p. 182. ſqq. conf. et *Suidas* T. I. p. 178.

b) n. VII. c) imaginem eius exhibet *Gronou. in Theſ.* T. II. tab. LXVII. tres autem et alios nominat *Io. Meurſ. Att. Lect.* VI, 12. d) *Iſocr.* περὶ τοῦ ζεύγους p. 836. ed. 1551. Illud ipſe pariter ad Euryſacen, vt Euryſacis ad Iouem, retuliſſe fertur. e) *Pauſ.* IV, 31. ſub fin. 36. init. conf. II, 18. ſub fin. f) *Herodotus* VI, 125. explanator *Pindari* ad *Pythic.* od. 7, 12. Celebratur et Megaclis familia, duabus Pythiis, Iſthmiis quinque victoriis. g) *Herod.* L. I. p. 11. L. VI. p. 195. *Schmid.* ad *Pind.* p. 272. ſqq. *Iſocr.* l. c.

ſtrati. Nepotes fuere Cliſthenes, ſimiliter Cliſthenis, principis Sicyoniorum h), ex Agariſte nepos, Piſiſtratidarum aduerſarius i), aemulus Iſagorae, et Hippocrates, cum Piſiſtrati patre non confundendus k). Hippocratis liberi vocantur Agariſte, Xantippo Ariphronis filio l), Miltiadis aemulo, Perſarum ad Mycalen victori, nupta, Periclis oratoris ac ducis mater, atque Megacles, Dinomaches et Euryptolemi pater, iudicio teſtarum ab vrbe remotus m). Ad eandem poſteritatem pertinere videntur, Alcmaeonides et eius vxor Agariſte, quae et Damonis fuit n). Vt huius forte maioribus adnumerari poteſt Damon, cum Ariſtagora, Periclis oratoris magiſter. Pericles autem, Olymp. LXXXVII. a. IIII. defunctus o), fratrem habuit Ariaphronem, filios Xantippum, Paralum et Periclem, qui, dux felix, nihilo minus iniuſte periit Athenis. Euryptolemi filia Iſodice nupta Cimoni putatur. Dinomachen p) vero duxit Alcibiadis q) filius Clinias, qui propria triremi pugnauit ad Artemiſium, ad Coroneam a Boeotis interfectus. Horum parentum filius erat Alcibiades noſter r), qui coniugem habuit Hippareten, Hipponici filiam s), Calliae ſenioris τοῦ Λακκοπλούτου neptem. Callias Elpinicis, quam aeque Cimon

h) *Pauſ.* p. 72. 129. 133. 814. 894. ed. Kühn.

i) *Iſocr.* p. 838. k) *Dav. Chytraei chronol. hiſtor. Her. et Thuc.* p. 173. l) *Pauſ.* p. 59. 221. 705. m) *Andoc.* IV, 76. n) I, 33. Mentionem et antiquioris multo Damonis facit *Pauſ.* VII, 2. p. 524. et 3. ſub fin. o) conf. *Pauſ.* p. 59. 71. p) *And.* IV, 76. *Plut.* iuit. *Alcib. Liban. declam.* IX. et XXIX. Sed *Plin.* XXXIV, 8. Demaraten. vocat.

q) *And.* l. c *Meurſ. lect. Att.* VI, 12. ex *Lyſia* et *Harpocrat.* filium Alcibiadis Axiochum, nepotem Cliniam facit. Sed obſtat *Lyſiae* XIII, 10. it. *Plato* in *Euthydemo* p. m. 270.

r) *Plato* Alcib. I, init. *Aelian. V. H.* II, 1. fin.

s) *Corn.* VII, 2, 1.

Cimon frater duxit t), maritus, et μισοτύραννος, qui ſolus Piſiſtrati facultates emit, filio ſimul vſus videtur Myronide, Thebanorum atque reliquorum Boeotorum victore u). Sed Hipponici coniux, ex eodem, nam Pericli quoque nupſit, peperit Calliam diuitem x), amicum Alcibiadis y), Athenienſium ad Artaxerxem de pace legatum, qui Graecis omnibus libertatem et αὐτονομίαν adquiſiuit, nihilo minus, ob munus a rege acceptum, damnatus z). Hic vxorem duxit Chryſiada, Glauconis filiam a); deinceps Iſchomachi b) filiam c), annoque peracto poſterioris ipſam matrem, adiunxit d). E prima ſuſcepit Hipponicum e), alium ex vltima, cui filiam Epilyci petiit f). Dubium vero num Hipponicus an tertius quidam, an alius neceſſarius, Callides adpelletur apud *Andocidem* g); vbi nobis quidem primum videtur. Apud eundem memoratur Callias Alcmaeonis filius, Euphemi ac Teleclis pater, atque Taureas Niſaei parens, oratoris patrueles h). Huius ſimul auia paterna Critiaeque mater fororeſ fuerunt: vt mater ſororem habuit Ariſtotelis praefecti coniugem, quae Charmidem peperit. Dicta vero Leogorae coniux, Tiſandri filia, Epilyci, quoque memorati, ſoror i), cuius et neceſſarius, filius forte Glauconis, Leager k), praeter oratorem, filium peperit, quem is ſacris initiauit l). Ita, familiam inter Alcibiadis

t) *And.* IV, 75. *Corn.* V, 1, 2. ſqq. *Chytr.* p. 177.

u) *Thucyd.* L. I. *Diod.* Sic L. II. *ed, Corſini faſti Attiei* diſſ. VIII. §. 11. p 342. diſſ. IV. §. p. 115.

x) *And.* I, 198. 202. 205. 233. ſqq. *Lyſias* XVIII, 13. p. 170. ſq. ed. Tayl. *allgem. Welthiſt.* V, 243. ſq.

y) *Polyaen.* I, 40, 1. p. m. 57. ſq.

z) *Vbbonis Emmii appendix de rep. Attica* p. 367. ed. Elzeu.

a) *And.* I, 224. 227. b) quem ditiorem putaba t, quam fuit, *Lyſ.* XVIII, 13. c) *And.* I, 220. d) 220. ſqq.

e) 224. f) 219. 231. g) 226. h) 95. i) 206.

k) 208. ſqq. l) 237.

biadis et Andocidae, nexu ſpectato, regredimur ad priorem, quem, virtutibus atque vitiis pariter inſignem m), iure ſuo, facem Siculi belli nominant. Tutores hic nactus, eximios viros, Periclem n) et Ariphronem, in illius aedibus educabatur o), Zopyro Thrace paedagogo p), Socrate doctore pariter et amico q). Corpus habuit pulcherrimum r), animum fortem s), callidum, contentioſum t), intemperantem u), ſuperbum x), et ad omnes caſus accommodatum y), eloquentiam cui vix reſiſtere poterant auditores z). Aetatem primam Plutarchus ſatis perſequitur: qui lyrae ſtudium adiungit, ceteris pariter Athenienſium adoleſcentibus, ad eius imitationem, probatiſſimum a). Fallimur? an eodem accommodari poteſt, quod Cleophon λυροποιὸς, Andocide pulſo, domum ipſius fuiſſe poſſeſſurus, dicatur b)? Socrati tam adhaeſit Alcibiades, vt eius honeſtus amor, omnes aliorum, Anyti c) nominatim opulentiſſimi, repelleret amores. Huius liberalitatem ipſe compenſauit Alcibiades; dum ei perſuaſit, vt, in forum deſcendens, vectigalia licitando, publicanos ſuperaret, cumque praedes poſcerentur, dedit cautionem, vt inde publicani compellerentur, ad ta-

m) *Val. Max.* III, 1. ex. poſtremo. n) *Plato Alcib.* I. init. et II. p. 229. *Iſocr.* p. 838.

o) *Corn.* VII, 2, 1. p) *Plato* p. 222. q) *Xenoph. ἀπομνημ. Plato* in *Gorgia* p. 330. *Alcib.* I. init. *Corn.* VII, 2, 2. ſq. *Suid.* in Ἀλκιβιάδης *Aelian. V. H.* II, 5. IV, 21. IX. 29. XI, 12. ſed conf. etiam IV, 15. *Iſocratis βουσιρις* p. 526.

r) *Aeliam. V. H.* XII, 14. *Corn.* VII, 1. s) *Plato* p. 221. ſqq. 232. *Iſocr.* p. 840. t) *Plato* in *Protag.* p. 293.

u) *And.* IV, 33. 88. 91. *Lyſias* XIII, 6. ſq.

x) *Aelian. V. H.* IV, 16. y) *Plato Alcib.* I. fin. *Corn.* VII, 1. 3. ſqq. 11. *Micrael.* p. 233. z) *Corn.* VII, 1, 2. ſq. 6, 4.

a) *Plato* l. c. p. 216. ſq. *opp.* Baſ. 1556. conf. in *συμποσ.* p. 191. b) *And.* I, 264. c) I. fin.

ad talentum Anyto largiendum d). Sed, ad ipsam vitae tutelam, amoris cum Socrate contentio surrexit. Cum enim, ambobus fortiter ad Potidaeam pugnantibus, interiisset noster, nisi philosophus eum defendisset: ad Delum contra, cum Athenienses fugerent, hostibus a tergo prementibus, solus obstitit Alcibiades, ne Socrates occideretur e). Quoniam vero, nostri socer, dux ibi fuit interfectus f): coniugium eius, hac occasione, recordamur. Simul in memoriam venit Horatianum illud, de natura, licet expellas furca, semper tamen recurrente. Nimirum, pugno percussisse dicitur Hipponicum; sed, id male ciuitatem habere, dum videbat, eum domi conuenisse, suppliciterque poposcisse poenam. Ille contra cum filiam dedisset, decem talentorum dote g); hic decem alia, velut e pacto, cum filios genuisset, a Callia coniugis fratre, tunc extorsit. Nihilo minus honestam, temperantem et amantem mariti feminam, pellicibus, tam seruis quam liberis, tam peregrinis h) quam Atticis, sic adflixit, vt ad fratrem ea discedere cogeretur. Hoc autem cum negligeret Alcibiades, porroque luxuriaretur: ipsa demum ad archontem accessit, diuortii litteras ex lege petitum. At maritus, socios et amicos sibi iungens, vi coniugem e foro, contemtis magistrati-

d) illustrabit haec *Andocides* I, 238-244. IV, 25-30.

e) *Plato* p. 194. De aliis fortitudinis speciminibus v. *Isocr.* p. 840. 842. sqq.

f) *And.* IV, 34. Pericles apud *Xenophontem* in ἀπομνημ. L. III. p. 447. ed. Steph.: ἀφ' οὗ ἤτε σὺν Τολμίδῃ τῶν χιλίων ἐν Λεβαδείᾳ συμφορὰ, καὶ ἡ μεθ' Ἱπποκράτους ἐπὶ Δηλίῳ ἐκ τούτων τεταπείνωται μὲν ἡ τῶν Ἀθηναίων δόξα πρὸς τοὺς Βοιωτούς κ. τ. λ. *Thucyd.* L. IV. *Diod.* Sic. L. XII. *Hesych.* Δήλιον *Plut.* in *Nicia Pruf.* p. 217. 724.

g) *And.* IV, 34. sq. *Isocr.* p. 840. conf. de opibus huius familiae *Lyf.* XVIII, 13. h) *And.* IV, 54. sq.

bus atque legibus, deduxit. Immo, clanculum adfini machinatus est mortem, et eius quoque facultates diripere laborauit: qui vero publice nomen illius detulit, populoque donauit opes; si quando sine liberis moreretur i). Aliorum pariter coniuges rapuit noster, et vi, contra leges, patrauit plurima k). Spectant eodem, Agatharchus pictor, et Taureas, oratoris patruelis. Illum, inuitatum ad se, domum vniuersam pingere coëgit, neque dimisit, vsque dum, deceptis custodibus, fuga sibi quaerebat libertatem l). Nihilo minus is, quasi laborem deseruisset imperfectum, hinc accusabatur, inque seruili prope versabatur timore m). Porro Tauream, in chorea superiorem ac victorem, pugno percussit Alcibiades; ac, licet spectatoribus indignatis, adeo tamen, vel auctoritate vel gratia, valuit apud iudices, vt, ius iurandum minoris quam ipsum facientes, honorem ei decernerent n). Scilicet magnificus, liberalis, astutus ac violentus o), praeter eloquentiam, cui resisti vix posset, eo rem perduxerat, vt, quidquid ageret, excusarent, immo laudarent, admirarentur et aemularentur p), non ciues modo, sed ipsi peregrini: maxime dum simulare didicerat ac dissimulare; quaeque patrabat ipse, reprehendebat in ceteris et accusabat q). Erat quidem, asper ille philosophus, Timo, qui, *matte virtute*, *adolescens*, eum adloqueretur, *tuam auctoritate potentiam auge: nam huic rei publicae magnam inferes perniciem* r). Erant et alii, qui, cum ANDOCIDE, vituperarent. Verum enim vero, tamquam calumniam, opprimebat, quidquid

i) 35-39. k) 23. 38. sqq. 57. 88. sqq. l) 43.
m) 44. sqq. n) 50. sqq.
o) 81. sed conf. *Isocr.* p. 844. sqq. p) 46-49. 53. 56.
q) 40. r) consentiunt *Andocides* IV, 57. et *Lys.* XIII, 9.

quid obſtaret, admiratio. Euexit gloriam, alendis equis, ad Olympium certamen, haud ſegnis, quibus praeclaras etiam victorias adeptus eſt s). Nominatim, incerta vicit Olympiade, τεθρίππῳ t) · deindeque, incerta Nemeade, pariter equis u). At, nec illud, Andocidae ſi fides habetur, ſine fraude factum. Diomedis enim equos, apud ἀγωνοθέτας Eleorum valens, abreptos adhibuit, et omnes ſimul audentes reiecit x). Adhaec, cum ab inſpectoribus vaſa petiiſſet, ad pompam comparata, publicis, tamquam ſuis priuatis, vtebatur quotidie y). Nihilo minus, iterum eo venientis, honos erat maximus, qui, variis a ciuitatibus, praeſtabatur z). Quid? ipſa patria. publicum in Prytaneo victum, cum praemiis variis, dedit a). Vti victor duas tabulas publice ſuſpendit, quarum in altera Olympias et Pythias eum coronantes exhibebantur; in altera vero Nemea, gremio ſedentis impoſitum, habens Alcibiadem, conſpiciebatur b). Ad rem publicam accedenti c), non nihil contentionis cum Phaeaco, nobiliſſimo ciue, plus cum Nicia, fuit; cuius maxime cum Spartanis pacem interrupit d), bello praefectus, et popularem ſtatum reſtituens Argiuis, amicitiamque Patrenſium concilians Athenienſibus e). Stetit a Niciae partibus, cum haec agerentur, Andocides, pacem atque Lacones collaudans plurimum f). Licet autem, adfectatae ſimul tyrannidis g), accuſaretur Alcibiades, et parum abeſſet ab oſtraciſmo h), largi-

 gitio-

s) *And.* IV, 59. *Iſocr.* p. 840. ſqq. t) *Thuc.* VI, 16.
u) *Paus.* I, 22. x) *And.* IV, 59-66. y) 67. ſq.
z) 69. ſq. a) 71. ſqq. Idem accidit ex Aſia reuertenti *Corn.* VII, 6, 3. b) *Athenaeus* L. XII. c) *And.* IV, 31. ſqq. 40. d) *allgem. Welthiſt.* P. V. p. 342-349.
e) *Iſocr.* p. 832. f) *And.* III. tot. IV, 26. 65. ſqq.
g) IV, 40. ſqq. 58. h) 5.

gitione tamen k), meritis et eloquentia, tantum profecit, vt non tunc modo rei bellicae ſummam teneret, ſed aeque deinceps, Ol. LXXXXI., ſubigendae Siciliae deſiderio captis Atticis, cum Nicia Lamachoque, gubernandam acciperet claſſem l). Obnitebantur quidem Nicias, Socrates philoſophus, Meton aſtrologus, et omina non pauca m): ſed euicit Alcibiadis opinio, variis et ipſa fictis ominibus conſpicua. Propter Adonia, ſiue myſteria Cereris, domi celebrata m), neque minus, ob Mercurii ſtatuas capitibus truncatas, accuſabatur mox nominatim Alcibiades, cum in eo iam eſſet, vt e Pyraeeo ſolueretur claſſis. Negabat ille quidem: ſed, cum Prytanes inquirerent, teſtimoniis non vnius vrgebatur n). Erat in primis Androcles demagogus o), qui comprobare ſtuderet, Polytiona facem ferentis p), Theodorum praeconis, Alcibiadem *ἱεροφάντου* partibus, ad vinum eſſe functum q). Praeterea nominabant Niciadem, Melitum, Archebiadem, Archippum, Diogenem, Polyſtratum, Ariſtomenem, Ioniam, Panaetium, quaeſtore criminum Diogneto r), nec alios minus s). Truncatarum Mercurii ſtatuarum ſimul mentionem fecit Teucer t). Dioclides, praeter ceteros, de iisdem referebat; qui vero poſt, Alcibiade Phegueio et Amia Aegineta perſuadentibus, ſe mentitum eſſe, profitebatur u). Inter eius modi turbas, et pericula publica, non ignorans Alcibiades ciuium ſuorum conſuetudinem, poſtulabat, vt, ſi quid agi

k) 72. ſq. l) I, 21. *Thucyd.* L. VI. *Corn.* VII, 3, 1. *Iuſtin.* IV, 4. *allgem. Welsh.* P. V. p. 355-460. m) *Andoc.* III. 62. n) I, 22. *Lyſias* XIII, 10. *Corn.* VII, 3. tot *Iuſtin.* V, 1. et obſſ. var. ad h. c. o) *And.* I, 23. ſqq. p) I, 55. q) *Iſocr.* or. *περὶ ζεύγους* p. 828. *Dio* Chryſ. *or.* XVIII. *Suidas* in *ἐξωρχησάμην* *Pauſan.* I, 1. p. 7. *Vitruu.* V, 9. r) *Plut.* in *Alcib.* s) *And.* I, 27. ſqq. *Lyſias* XVII, 3. t) 32. ſqq. u) 30. fin. x) 98-122.

agi de se vellent, quaestio de praesente potius haberetur x). Inimici vero profectum adgredi maluere, quam praesentem y). Itaque, cum ei nuntius a magistratu mitteretur, vt domum, ad caussam dicendam, rediret: initio parere visus, conscensa triremi, Thurium venit. Hinc autem, deceptis custodibus, in Peloponnesum, vna cum sociis, traiecit, et Elidem, mox Thebas, accessit z). Porro, cum audiret, se capitis in patria damnatum, et, bonis publicatis, Eumolpidas sacerdotes, a populo coactos, vt se deuouerent; Lacedaemona demigrauit z). Accepta fide, consuluit Spartanis, vt Agin cum exercitu mitterent, ad opem Syracusanis ferendam, vtque Decelam vrbem, moenibus ac praesidio, munirent, quo nihil accidere potuit Athenienſibus magis infestum a). Vlterius quidem Andocideae narrationes, ad Alcibiadem pertinentes, non progrediuntur: sed facile supplebunt LYSIAS b) et ISOCRATES c) reliqua; quorum ille reprehensiones, vt ANDOCIDES, forte nimias, cumulauit; hic, nomine scilicet filii, fere modum in laudibus excessit. Apud ISOCRATEM ergo filius profitetur, ab iisdem, et patrem esse pulsum, et statum popularem, CCCC. constitutis, euersum d). Isti nimirum, cum, ad societatem ineundam, frustra vocassent populo fidelem, confictis huius modi criminibus, euertisse dicuntur. Ipse vero, licet antea Laconum imitator e), cum, de adulterio cum vxore Timaea suspectus

x) *Corn.* VII, 4, 1. y) *Isocr.* l. c. *Thuc.* VI, 5. 10. *Diod.* XIII, 5. z) *Aelian. V. H.* XIII, 38.

a) *Lyſ.* V, 17. *Isocr.* p. 828. sqq. it. p. 222. sqq. *Corn.* VII, 4, 2-6 *Micrael.* p. 229. sq.

b) *And.* I, 176. *Iustin.* V, 1, 3-11. 2, 1. sqq. Sed conf. etiam *Isocr.* p. 830. it. 395. 417. 719.

c) or. XIII. sq. d) περὶ τοῦ ζεύγους p. 826-850. Alios laudatores nominat *Corn.* VII, 11. Thucydidem, Theopompum, Timaeum. e) p. 826. sqq. 844.

Agidi, periculis exponeretur, ad Perſas dilapſus, patriae caritatem reconciliare laborauit, nec inuitum habuit ſatrapam Tiſſaphernem f). Alibi quoque rebus feliciter geſtis, quod fuſius exponit PLVTARCHVS, reuertit in patriam glorioſus g). Mox autem, cum Cymen et Andrum non cepiſſet, nouam incidit in accuſationem h), ac, Tydeo, Adimanto, Menandroque ſuffectis, in Thraciam fugit i), et in oppido Phrygiae Tymandra, XXX. tyrannorum inſtinctu, periit k). In tenui fortuna filium reliquit l), nec adeo celebrem reliquam poſteritatem, cuius LYSIAS fecit mentionem m). Gerae pr. Cal. Nouemb. 1758.

CAPVT VII.

De legibus atticis ſingulatim ab Andocide memoratis.

Illuſtris inuenitur apud *Andociden* locus a), de legibus Atticis generatim, aetate ſua, reſtitutis, ſiue roboratis. Exhibetur enim pſephiſma, de ciuitate ſecundum patrias conſuetudines gubernanda, legibusque Solonis et Draconis ſcitis obſeruandis, aliis autem ſupplendis. Nimirum, dimiſſo quingentorum ſenatu, creabantur eo tempore Io. legumlatores, qui, ſub Areopagitico ſenatu, tabulis inſcriberent, vel inſcribi curarent per adminiſtros b), quae ſanciri volebant, et, ad heroum ἐπωνύμων ſtatuas, publice luſtranda, propone-

f) *Corn.* VII, 1, 3. g) *Iuſtin.* V, 2, 4-14.
h) *Lyſ.* XIII, 8. ſq. *Iſocr.* p. 832-836. *Xenoph. H. Gr.* I. I. *Plut* p. 209. *Diod.* Sic. XII, 69. *Corn.* VII, 5. ſq. *Iuſtin.* V, 3. ſq. *Pauſ.* VI, 3. fin.
i) *Iſocr.* p. 844. *Corn.* VII, 7, 1. ſqq. *Iuſtin.* V, 5. ſq.
k) *Corn.* VII, 7, 4. ſq. 9. 1. ſq.
l) *Corn.* VII, 9, 2. ſq. 10. tot. *Iſocrat.* p. 846.
m) *Lyſ.* XIII, 11. *Iſocr.* p. 848. ſqq. n) XIII, 7.
a) I, 140-146. b) *Antiph.* XV, 71. p. 130. ed. Ald.

ponerent c), singulatim autem archontibus eius mensis traderent. Neque solum Areopagitae, quingentique, per populares (δημότας) lecti, quos singulare iusiurandum obligabat, explorauerunt: sed quilibet priuatus, si quid ipsi bonum videretur, in curiam ingredi, deque legibus consilium praebere, potuit. Perlatarum curam itidem Areopagitae d) sustinuerunt, vt, adprobatis et in muro descriptis, accuratissime reliqui magistratus vterentur; immo singuli, porticum transeuntes, legendo saepius, cognitas sibi redderent atque perspectas e). Ita vero, nec vti licebat lege, nisi scripta, nec psephismate, nisi litteris consignato f). Spectabant eo duae leges, de legibus. Harum altera g), cum talibus, tum priuilegiis h) interdixit, neque vel psephisma, senatu, populo, lege potentius esse, vel ab vno latam legem valere, voluit; ni, Athenienſium sexies mille, clam latis calculis, comprobaretur: altera praecepit, vt ea solum essent rata certamina forensia, vel arbitria, quae reip. libertati conuenirent, leges autem ab Euclide latae adhiberentur i). Sed, huius archontis leges, ad legitimarum contentionum rationes pertinuisse, simulque prauos debitores cohibuisse, videntur k). Vel inde patet, insignem accurationem Athenienses legibus adiunxisse l); nihilque ferme non iisdem includisse: saepius vt vrgeretur,

c) Sic et *Demosth. contra Leptinem* p. 589: ὅτι ἐν τοῖς δικαστηρίοις νομοθετεῖν δεῖ, ὅτι πρὸ τῶν ἐπωνύμων ἐκτιθέναι τὸν μὴ ταῦτα ποιοῦντα ὑπεύθυνον εἶναι γραφῇ.

d) Hinc, inter eos, archon rex dictus, de homicidio statuta recitasse, legitur *Antiph.* XV, 75. 89.

e) *Ant.* XV, 89. f) *And.* I, 147. sq. 152.

g) I. 149. h) *Antiph.* XIV, 31.

i) *And.* I, 150. sqq. *Demosth. or. in Timocratem* et *Vlpianus* ad h. l. *Meurs. de Arch. Ath.* III, 14.

k) I, 151. 160. IV, 21. l) I, 3. 124. sq. *Antiph.* XIV, 32. sqq. XV, 3. p. 126. fin. ed. Ald.

ſecundum ordinarias leges iudicari debere m); ſingularique laudi duceretur, ſi quis νόμιμος eſſet n). Commendat vero nominatim ANDOCIDES, ad rem ſacram, ciuilem ac domeſticam pertinentes. Primi ſunt generis, contra ſacrilegos leges; alterius contra proditores, tyrannos, malorum conſultores, homicidas, fures, item de concordia, choragis, indiciis, teſtibus, oſtraciſmo; poſtremi tandem, ad turpes amores, diuortia, liberos, quae ſpectant. Ita quidem erat lex Solonis, vt, poſtridie myſteriorum confeſſum ſenatus Athenis, in Eleuſinio o), celebraret, ibique diiudicaret, ſi quod ſacrilegium factum, vel alias religioni contrarium admiſſum fuiſſet p). Fiebat illud, ad indicium, regeque ſacrificulo praeſide. Poena fuit, pro diuerſitate criminis, nex, aut exſilium perpetuum q), aut mulcta certe. Prioribus erant intentiores; quippe, profanis eiusmodi, pollui putabant innocentes r). Inde, nec oſſa ſacrilegorum in Attica patiebantur. Docet id XENOPHON s): κατὰ τὸν νόμον κρίνατε, ὅς ἐστιν ἐπὶ τοῖς ἱεροσύλοις, καὶ προδόταις. Ἐάν τις ἢ τὴν πόλιν προδιδῷ, ἢ τὰ ἱερὰ κλέπτῃ, κριθέντα ἐν δικαστηρίῳ, ἂν καταγνωσθῇ, μὴ ταφῆναι ἐν τῇ Ἀττικῇ· τὰ δὲ χρήματα αὐτῶν δημόσια εἶναι. Proditores t) ac tyranni denuo coniungi ſolebant, et in eadem ſentina verſabantur u). Impune ſcilicet, vt hoſtes

m) I, 156. *Antiph.* I, 5. p. 100. 43. p. 102. VI, 1. XV, 5.

n) *Antiph.* III, 23. o) *Pauſ.* I, 14. p. 35. ſup. ed Kühn. vocat, τὸ Ἀθήνησιν ἱερὸν καλούμενον δὲ Ἐλευσίνιον.

p) I, 197-204. *Antiph.* XIV, 19. *Meurſ. Eleuſinia.*

q) I, 241. 245-251. *Lyc.* 16, 8. 12. r) *Ant.* II, 11. 19.

s) *hiſt. Gr.* L. I. ante fin. p. 264. ed. Steph. conf. *Lyc.* 30. tot *Meurſ. Them. Att.* II, 2. in *opp.* ed. Io. Lamii (Florent. 1744.) T. II. n. 1.

t) *Ant.* XIV, 19. 196. ſq. *Lyc.* ὑποθ. 5. 13, 2. 29, 2. ſq. *Lyſias* XXX, 7. ſq. u) I, 167. ſqq.

hoſtes publici, necabantur, ac direptorum bonorum decima pars conſecrabatur Mineruae. quid? ſe tales, vbi poteſtas eſſet, interfecturos, iurare ciues cogebantur, praemio ſimul dimidiae bonorum partis propoſito; ſique perierit interfector, aeterno poſteritatis honore. Sed, interfecti cadauer, in barathrum, e pſephiſmate Canoni, proiectum fuiſſe, narrat Euryptolemus x): et iisdem candidatis mortis, qui patriam defendere nollent, adnumeratos, e lege, probat LYCVRGVS y). Immo lex ilia iubebat, vt publicorum malorum conſultor, aeque periret, ac, qui ſcelus ipſe patraſſet z). Sic et homicidis par pari referebatur, ni tempeſtiue fugerent, atque perpetuum exſilium praeferrent a). Docet id Patroclidae pſephiſma b): neque minus alias indicatur, liberorum praeſertim fuiſſe, parentum necem vindicare c); qui locus, cum vindice ſanguinis apud Hebraeos, comparari meretur. Plura huc pertinentia memorat ANTIPHON, in eiusmodi cauſſis, exercitationis ergo d), ſaepe verſatus. Pertinet eo, quod, in homicidii magna ſuſpicione, negans exquirere debuerit homicidam, aut ipſe ſubire poenam e): quod adprobans, ſe vel iuſte vel non ſtudio necaſſe, fuerit abſolutus f); licet alia pariter obuerteretur legi poſteriori g): quod inſigne reo praeſidium fuerit, alter vbi rixas coepiſſet h); dum auctor con-

x) ap. *Xenoph.* l. c. coll. *Plaut. Rud.* II, 7, 12.
y) 32, 6. z) *And.* I, 161. ſq. a) *Ant.* XIV, 152.
b) *And.* I, 133. c) I, 162. Sic et parentes necem liberorum vindicabant *Ant.* VI, ὑποϑ. idemque deinceps proxime cognati faciebant.
d) inde tamen, a rhetoribus, plures eſſe confictas leges, *Fabricius* prae ſe fert, *B. Gr.* II, 14, 16. *bibliogr. ant.* 15. 6. cet. quod in re ficta concedi poteſt, in re ſeria non aeque; quamuis et illic admodum dubitemus. e) III, 3.
f) VII, 16. X, 6. g) IX, 14. h) X, 1. 7. XI, 3-10.

contentionis primariam ex lege poenam merebat i); vt laudes de homicidiis legum k), et eiusmodi iudiciorum, ad leges patrias institutorum l), praeter cetera, fileamus. Iure quidem, in tanta licentia, certe vitam ciuium tuebantur, eoque spectantes vel seueras Draconis leges, confirmabat Solon m). Idem contra reliquas, nominatim leges de furtis, quarum quodque capitis poenam habebat n), facilius oblitterauit o). Sequebatur autem postea furtum, infamia patrantis et liberorum, cui poenae simul δωροδόκοι, bellici desertores, et ignaui, praeter alios, subiiciebantur p). Fures autem serui, vel herorum furtum occultantes, si negarent; ad confessionem cogebantur, variis tormentis q). Ad concordiam instaurandam, inter publica praecipue dissidia, mentem atque leges accommodabant, id quod vel laudatum Patroclidae psephisma, cum iis, quae sequuntur, ostendit r). Pertinet enim hic locus ad internam pacem, Persici Peloponnesiacique belli tempore, sollemnibus statutis roboratam. Inter publica merita, propter impensas ideo faciendas, illustris erat χορηγία s), quam iure pariter instituta varia fulciebant. Generatim ea nominat ac defi-

i) XIII, 15. sq. k) XIV, 35. sq. l) XIV, 116-121. 226.

m) *Plut.* in *Solone Aelian. V. H.* VIII, 10.

n) *Lycurg.* 16, 7. o) *Gell.* XI, 18. Quamquam *Diog.* Laert. I, 57. vel 2, 9. Soloui tribuit: ἃ μὴ ἔδου μὴ ἀνέλῃ· εἰ δὲ μή, θάνατος ἡ ζημία. Paulo distinctius rem eam proponit *Gottfr. Schmidius* in *Solone legislatore* §. 55-60.

p) *And.* I, 129. q) *Ant.* VI, 6. r) *And.* I, 132-152. 186. sq. s) *Antiph.* III, 23. IV, 12. XIV, 95. XV, 20. *Lys.* or. XVIII, 8. 12. 16. 18. XX, tot conf. *Io. Meursii Orchestra, siue de saltationibus vett. liber singularis* in *Opp.* T. V. p, 189-272. *Hekel* ad *Postell.* p. 19. sq. *Lyc.* 351 14. not. i). Immo meritum illud, publicis haud raro monumentis, commendabatur *Aristot. polit.* VIII, 6. ante fin. vbi mentio fit tabulae, a Thrasippo dedicatae, qui Ecphantidae tribui χορηγὸς fuerat.

deſignat noſter, Alcibiadis atque Taureae contentiones enarrans t). In foro valuerunt indicia, quorum, in capitali cauſſa, licentiam lex ita frenauit, vt indici vero, ſi vel ſimul reus eſſet, ſecuritatem; aperte falſo, necem ſanciret u), Non admodum diuerſa teſtium conditio fuit. Falſorum tamen, vt et ter factae ψευδοκλητίας x) poenam, infamiam habuere y). Coniunxit etiam vtrumque, cum eiusdem generis criminibus, THEOPOMPVS z), aiens, πλήρεις εἶναι τὰς Ἀθήνας διονυσοκολάκων, καὶ ναυτῶν, καὶ λωποδυτῶν, ἔτι δὲ ψευδομαρτύρων, καὶ συκοφαντῶν, καὶ ψευδοκλητήρων, Praeter iam dictas poenas, legibus definitas, oſtraciſmum contingunt, quae legis illius ad auctorem vituperandum dicuntur; quippe qui iuriiurando populi ſenatusque contraria ſanxerit a) Is forte iam tum fuit ignotus. Certe Theſea SVIDAS et EVSEBIVS, Lyſonis filium Achillem PHOTIVS, Cliſthenem AELIANVS b), Hippiam HERACLIDES c), alios alii nominant d). Conditiones de teſtarum iudicio legis erant, vt adeſſent in concione non minus quam ſex mille ciues, vtque ſuffragium ferentes aetate non minores annis ſexaginta. Sunt qui perhibeant, ita primum eiectum auctorem Theſea fuiſſe e); forte, quia vulgo, malum conſilium conſultori peſſimum, arbitrantur. Sed, nec domeſtica poſthabuit Solon: dum

t) IV, 48. ſqq. u) I, 45. ſq. x) conf. *Harp.* v. ψευδοκλησία. y) *And.* I, 129. Inde teſtes ὑπεύθυνοι. *Demoſth.* περὶ παραπρεσβείας· αὐτὸς ἐγὼ συγγραψάμενος καὶ κατασήσας ἐμαυτὸν ὑπεύθυνον μαρτυρήσω. Scilicet non ſola voce; ſed ἐν γραμματείῳ μαρτυροῦντες. z) ap. *Athen.* L. VI.

a) *And.* IV, 6-13. b) *V. H.* XIII, 24, 3.

c) *de politiis* ap. *Cragium de rep. Laced.* p. 501. conf. *hiſt. Graecae ſpecimen.* I. p. 7. ſq.

d) *Sam. Petitus ad LL. Att.* p. 368. Ex hoc opere *ſylloge legum Atticarum Meurſianor. operum* T. II. n. I. iunxit *Io. Lamius.* e) *Meurſ.* in *Theſeo* c. 249. p. 12. ſq. ed. 1648.

dum AESCHINES iure: τὸν γὰρ τὴν ἰδίαν οἰκίαν κακῶς οἰκήσαντα, καὶ τὰ κοινὰ τῆς πόλεως παραπλησίως ἠγήσατο διαθήσειν. Καὶ ἐκ ἐδόκει οἷον τ' εἶναι τῷ νομοθέτῃ, αὐτὸν ἄνθρωπον ἰδίᾳ μὲν εἶναι πονηρὸν, δημοσίᾳ δὲ χρησόν. Οὐδ' ᾤετο δεῖν ὁ νομοθέτης τὸν ῥήτορα ἥκειν ἐπὶ τὸ βῆμα, τῶν λόγων ἐπιμεληθέντα πρότερον, ἀλλ' οὐ τῶ βίῳ, Rei familiaris incrementa, maxime turpes amores euertunt. Hos ergo lex impedire ſtuduit, qua, talibus implicito, nec ſe defendere, nedum alios accuſare, licuit f). Conſentit et hic AESCHINES *aduerſus Timarchum*, vbi ſic infamis, πεπορνευμένος ἢ ἡταιρηκὼς dicitur. Neque minus cauſſas habebant Attici, cur, diuortia publico certe iudicio fieri, vellent. Ita coniux, maritum intemperantem relinquere coacta, venit ad archontem, apud quem, ex lege, litteras diuortii poſuit g). Impenſius autem de liberis ſolicita fuit ciuitas κουροτρόφος h). Cum enim Attici noſſent, impietatem eſſe maximam, haud omnem operam et aetatem, retribuendis parentum beneficiis, addicere; nedum aduerſus eos peccare i): poenam eiusmodi ſcelerum infamiam conſtituerunt k). Sic igitur habet lex Solonis l): Ἐάν τις μὴ τρέφῃ τὲς γονέας ἄτιμος ἔστω. ἀλλὰ καὶ ὁ τὰ πατρῶα κατεδηδοκὼς, ὁμοίως· καὶ ὁ ἀργὸς ὑπεύθυνος ἔστω παντὶ τῷ βελομένῳ γράφεσθαι. Vel hoc exiguum ſpecimen perpendentibus, *Athenas aequis legibus floruiſſe* m), patebit: non modo qualium conditio-

nem

f) *And.* I. 173. ſq. conf. *Diog.* Laert. I, 55. vel 2, 7.

g) *And.* IV, 35. ſq. h) comm. noſtra *de inuentutis ap. ant. Graecos inſpectoribus et curatoribus* et quos adleg. ad *Lycurg.* 3, 12. i) *Lycurg.* 22, 6. k) *And.* I, 129.

l) *Diog.* Laert. l. c. it. 9. et 12. vbi Solonis inter regulas: νοῦν ἡγεμόνα ποιοῦ· μὴ κακοῖς ὁμίλει· θεοὺς τίμα· γονέας αἰδοῦ m) *Phaedr.* I. 2, 1. *Andr. Lud. Koenigsmanni* diſq. ad h. l. in *Hamb. verm. Bibl.* Vol. II. p. 598. ſqq.

nem iam ARISTOTELES n) olim descripsit, aequitate liberorum ciuium dignis; verum etiam, vt κατὰ τάξιν καὶ εὐσχημοσύνην omnia fierent, nec tam facile summum ius in summam iniuriam conuerteretur. Iisdem vsibus inseruiet ψηφισμάτων commemoratio, pariter apud ANDOCIDEN haud infrequens. Vt hoc vel non nullis exemplis corroboremus; primae solum orationis filum sequamur. Commemoratur ibi o) Cleonymi psephisma, quo praemium indiciorum cIↃ drachmae, et Pisandri, quo cccIↃↃ constitutae fuerunt: vnde nouum conflatum fuit, quo primario rei maxime capitalis, et ad publicam salutem euertendam pertinentis, indici maius illud, alterum alteri, concederetur. Aliud erat psephisma p), quo sacris interdicerentur irreligiosi, qui confessi forent (ἀσεβήσαντες καὶ ὁμολογήσαντες). Adduntur hic actutum plurima, tum expuncta, tum recens constituta, de publicis debitoribus, de magistratibus rationem administrationis non reddentibus, de condemnatis ad mulctam, de crimini peculatus obnoxiis, de sponsoribus publicis, de diuersis infamiae generibus, quibus fraudulenti debitores, fures, donis corrupti, desertores ordinis, timidi, falsi testes, impii liberi, mali ciues aliique, subiecti forent: quales autem constitutiones auctore Patroclide, populus abrogarat, simulque, Tisameno duce, meliores et aequiores fuerat amplexus. Longum esset omnia commemorasse, vel ipsa psephismata hinc excerpsisse. Sufficit, ex eodem orationis contextu, iam confirmasse, quod in dubium non nulli vocare videntur, omnino differentiam inueniri, legem inter ac psephisma, quorum hoc maxime suffragiis

n) *polit.* III, 9. 13. (p. 212. *H.* T. II. opp. ed. Lugd.) IV, 4. ad fin. o) §. 54. sqq.

p) §. 125-152. 180.

giis populi nititur q), illa legum latoris, auctoritate pollentis, voluntate; licet, ἐκκλησίας calculis, plerumque corroboranda. Saepius et pſephiſma peculiare factum r), aut tempus, aut hominem s), aut exceptionem a lege ſingularem contingebat, lex autem, latius omnino patebat: quamuis haud ignorem, neque negem, alias προβουλεύματι tempus annuum, pſephiſmati perpetuum, vindicari. Gerae 22. Apr. 1760.

CAPVT VIII.

Forum Atticum ab Andocide propoſitum.

Forum Atticum haud ita pridem, a laudabiliter diſcedente commilitone quodam, publica diſputatione deſignatum eſt. Tot autem nobis eo pertinentia ſuppeditat ANDOCIDES noſter; vt a nobis impetrare nequeamus, quin illam commentationem, hac noſtra, corroboremus ac ſuppleamus. Inter curiam et forum diſtinctionem, ipſa nomina βελὴ et βελευτήριον, δικαστήριον et ἀγορὰ ſignificat a). Ibi ſcilicet, quae valde videbantur eſſe commendabilia b), ſuaderi, contraria diſſuaderi, ſeu vetari, ſolebant; ideoque de ſalute publica deliberationes inſtituebantur: hic autem contentiones dirimebantur, crimina perquirebantur, et puniebantur. Βελὴ porro, collegium ſenatorum c) et congregationem; βελευτήριον, locum vbi coibant, denotat d). Cum vero magiſtratus, et iudicum partibus, fungerentur; quae, grauioribus praeſertim in cauſſis, iunctiſſimae fuerunt: eo ſimul vtrumque vocabulum paſſim accommodatur. Itaque, nominatim iudi-

q) *Antiph.* or. VI. init. *Ariſt. polit.* ſeu *de rep.* IV, 4. fin. *Lycurg.* ὑποθ. 1. not. c.

r) *Lyc.* 11. 2. ſqq. 10. ſq. s) *Andoc.* II, 46. ſqq.

a) I, 73. b) *Lycurg.* 5. 2. not. k. c) I, 133.

d) *Antiph.* XV, 8Ω. 90.

indicabatur ſenatui, ſi quid, publicam ſalutem contingens, accidiſſet, vel peccatum foret e). Hic aeque, ſi quid in primis ſecreto celeriterque faciendum, ipſe peregit, aut peragendum curauit: quo vel comprehenſio maleficorum ac vincula pertinent f). Eum in finem, et inquiſitores (ζητητὰς) conſtituebat g), illuſtris virtutis et auctoritatis viros. Sin quid autem eliceretur, quod ad ſingularia tribunalia pertineret: ſenatores tradebant reos h), eoque cauſſas deducebant i), praeſides vulgo ſimul, et iudicia moderantes. Ipſius ſenatus, qui quotannis immutabatur k), primarius praeſes erat ἄρχων ἐπώνυμος, quos inter v. g. Olympiadis LXXXII, anno I. Callias nominatur l). Hinc et omnes eidem adſcripti, praeter θεσμοθέτας, ad ἀρχὰς referri videntur m). Quemadmodum contra ſubinde ſenatus Areopagiticus, ſuper ordinarium euectus ac perpetuo manens, quaſi κατ' ἐξοχήν, ἡ βουλὴ vocatur n): quod alias nomen quingentorum πρυτάνων collegium habebat o); vel, recentiori tempore, cum XII. tribus eſſent p), ſexcentorum. Incipit igitur inſcriptio MVRATORIANA, quam CORSINVS exhibet q): ἡ βουλὴ ἐξ Ἀρειοπάγου, καὶ ἡ βουλὴ τῶν ἑξακοσίων, καὶ ὁ δῆμος. At tamen, ſubinde pariter, idem vocabulum generatim quemque magiſtratum deſignat;

e) I, 30. 74. 197. II, 5. 28. *Antiph.* XV, 28.
f) I, 91. conf *remp. Att. Andocidae duct. def.* p. 6.
g) I, 115. h) I, 117. i) I, 33. k) I, 133. 140. l) I, 133. m) I, 134. 152. 167. n) I, 143. ſq. coll. 140. *Lycurg.* 13, 2. Sic et apud *Demoſth.* p. 381. coll. 332. ed. Baſ. 1572. fol. dicitur: ἐξαίρετος βουλὴ, ἡ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ τέτακται. o) I, 159. 239. II, 37. *Antiph.* XV, 90. *Lycurg.* 11, 3. *Poſtell. de magiſtr. Ath.* c. 7. 11. et *Hekel* ad hh. cc. p) *Plut. in Demetrio* p. 1637. ed. Steph. q) in *faſtis Atticis* diſſ. VI. p. 262.

signat; populo saltem, seu ciuibus, oppositum r): neque tamen ita, quasi solus quingentorum senatus, non opponeretur s). Idem erat, cuius locus congregationis βουλευτήριον vocabatur, Iouis consultoris et Mineruae consultricis sacrarium habens t). Ibi singuli senatores ingressi precabantur, qui simul alibi, pro salute publica, vota iunctim faciebant u). Eodem pertinent quae SVIDAS habet x): Μητραγύρτης ἐλθών τις εἰς τὴν Ἀττικὴν, ἐμύει τὰς γυναῖκας τῇ μητρὶ τῶν θεῶν, ὡς ἐκεῖνοι φασίν. Οἱ δὲ Ἀθηναῖοι ἀπέκτειναν αὐτὸν, ἐμβαλόντες εἰς βάραθρον κατὰ κεφαλῆς. Λοιμοῦ δὲ γενομένου, ἔλαβον χρησμὸν ἱλάσασθαι τὸν πεφονευμένον. Καὶ διὰ τοῦτο ᾠκοδόμησαν βουλευτήριον, ἐν ᾧ ἀνεῖλον τὸν μητραγύρτην. Καὶ περιφράττοντες αὐτὸ καθιέρωσαν τῇ μητρὶ τῶν θεῶν, ἀναστήσαντες καὶ ἀνδριάντα τοῦ μητραγύρτου. Si cum PAVSANIA y) comparaueris huncce locum: pestilentiam belli Peloponnesiaci tempore saeuiisse; curiam autem quingentorum, modo propinquam deorum matris aedi, non eamdem fuisse, patebit. Ab huius parte consistere veritatem, antiquior multo praesensque docuit AESCHINES z), qui τὸ μητρῷον παρὰ τὸ βουλευτήριον collocat. Sic et, tamquam singularem locum, considerant HARPOCRATION a), POLLVX b), alii. POLLVX nominatim haud modo Phrygiae matris aedem laudat, verum aeque μητραγύρτην esse dictum ait, iis qui sacris initiaret (τελεστήν). HARPOCRATION autem, ex LYCVRGO DINARCHOque comprobat, quod leges descriptas ibi reposuerint Attici. Non vero tantum *in Aristogitonem*, ad quam orationem ille prouocat,

r) I, 152 IV, 6. sq. *Demosth.* p. 201. 225. 317. 329.
s) I, 166. t) conf. et *Lyc.* 6, 3. u) *Antiph.* XV, 90.
x) conf. *Apostolius* in prou. μητραγύρτου θάνατος.
y) I, 3. ante fin. z) *contra Ctesiph.* p. 59.
a) v. Μητρῷον. b) III, 2, 1. fin.

cat, huius loci mentionem fecit LYCVRGVS; sed in ea pariter, quae hodieque vel sola superest c). Longius progreditur DINARCHVS d). Etenim, γράψας, ait, τὸ ψήφισμα καθ' ἑαυτοῦ, παρὰ τὴν μητέρα τῶν θεῶν, ἢ πάντων τῶν ἐν τοῖς γράμμασι δικαίων φύλαξ τῇ πόλει καθέστηκεν. Eodem spectans DEMOSTHENES e), ibi κοινὰ γράμματα τῷ δήμῳ reperit, quibus publicus minister fuerit praefectus (ἐφ' οἷς ὁ δημόσιος τέτακται): quo et iudices se contulisse narrat f), vt inspicerent leges, quoties opus foret. His omnibus penitius consideratis, SVIDAM in sensu latiore scripsisse, videbimus: quo solo simul consistere possunt eiusdem auctoris verba, quae cum *lationem et consecrationem legum, apud veteres Graecos*, breuissime persequeremur, adferre meminimus. Dum in iisdem ἀρχεῖον καὶ νομοφυλάκειον vocat; iterum deducimur ad DEMOSTHENIS locum, vbi prius nomen cum curia coniungitur. Τὰ παρ' οὐδενὶ τούτων, inquit g), ἀρχεῖα καὶ βουλευτήρια ἐρημότερα ἂν τις ἴδοι τῶν ἑλληνικῶν πραγμάτων, ἢ τὰ παρ' ὑμῖν. Vt et magistratuum reditus, τὰς ἐκ τῶν ἀρχείων προσόδους, ISOCRATES h) nominat. DEMOSTHENES i), δικαστήριον et βουλὴν coniungens, suspicionem praebere posset, aeque posterius vocabulum locum confessus indicasse: rem autem accuratius meditatis, diuersum potius adparebit k). Sic idem orator l) καλεῖν τὴν βουλὴν εἰς τὸ βουλευτήριον habet; qui nihilo minus alibi m), ἐψηφίσαντο ταῦτα κοινῷ βουλευτηρίῳ, et εἶ-

c) 16, 12. d) p. 90. e) *pro Crefiph.* p. 216. conf. or. περὶ στεφάνου in med. f) or. I. *aduerfus* eundem *Ariftogitonem* in fin. g) p. 58. fq. conf. p. 326. 423. 503. h) in Ἀρεοπαγιτ. p. 342. opp. ed. 1571. i) p. 468. 682. k) Plura loca huc pertinentia collegit *Io. Benzius* in *thef. eloc. orat.* p. 243. fq. l) p. 337. conf. *And.* I, 73. m) p. 326. n) p. 423.

χον δ' ἑαυτῶν τὸ βουλευτήριον n), dixit: vt alibi τὸ κοινὸν, omisso nomine primario, curiam indicat o). Eadem est alterius vocabuli ratio. Legimus enim apud DEMOSTHENEM p): Τὰ γὰρ κρίνοντα τὰς κρίσεις ἁπάσας τὰ δικαστήριά ἐστιν, οἷς ἐξουσία ἐστι καὶ δεσμὸν, καὶ ἄλλο τι, ὃ ἂν βούλονται, καταγινώσκειν Facillimum esset inde plura, non minus notabilia, loca collegisse; ni sic deserere videremur ANDOCIDEN illum nostrum. At is aeque, tali sensu, δικαστηρίου passim facit mentionem. Huic enim Leogoram reum a Speusippo traditum esse, narrat q): sermonem instituit r) de populo ἐν τῷ τῶν θεσμοθετῶν δικαστηρίῳ, cui visum fuerit, publicatorum ac profanatorum mysteriorum, initiatos esse iudices: adloquitur iudices suos s): Διακλείδην μὲν τῷ δικαστηρίῳ παραδόντες, ἀπεκτείνατε· memorat t) γραφάς τινας περὶ τῶν εὐθυνῶν εἰς τὸ δικαστήριον μήπω εἰσηγμένας. Plura pariter iudicia nominat, vbi iam dicit u): ἐν τοῖς δικαστηρίοις οἱ λαχόντες κρίνουσιν: iam exercitationes iuniorum, non in gymnasiis, sed ἐν τοῖς δικαστηρίοις esse, profitetur x). Hic ampla quidem occasio perquirendi relinquitur, quae fuerint Athenis iudicia? quaeque singulatim, prioribus in locis, designentur? Ipse nos ducit auctor y), forum, Areopagum, Prytaneum, Delphinium et Ephetarum reliqua tribunalia, Theseum, Odeum, Eleusinium, plura forte, nominatim adferens: quem ad modum aeque reliqui, multis de iudiciis, loquuntur. DEMOSTHENES, vt eum vel in primis coniungamus, τριῶν δικαστηρίων γνῶσιν z) immo

o) explan. *Thucyd* ad L. II. p. 32. ed. *Camer.* p) p. 481. q) I, 35. r) I, 56. Sic et *Lysias* IX, 6. ante medium, vt *Taylor* legit, habet: ἐὰν μὲν προστιμήσῃ ἡ Ἡλιαία. s) I, 117. conf. *Ant.* Vlor. X. ὑποθ. t) I, 133. u) IV, 8. x) IV, 54. y) I, 133. cet. z) p. 494. conf. p. 474.

mo τοσαῦτα δικαστήρια, vocat a): porro κυριώτερα εἶναί τινα δικαστήρια docet b); ac vel φονικὰ δικαστήρια noſcit c). Vtique, ſunt, qui certe iudicia decem, totidem in diuerſis fere locis, adpellent, aliis plura iungentibus. Ἀγορὰν d) curiae contiguam exſtitiſſe, vel inde patet, quod narrat ANDOCIDES e), cum praeco ſenatum indixiſſet, ſignumque, ſimul vibratum, demiſiſſet, eodem ſigno, ſenatum coactum, et magnam timentium de foro fugam concitatam fuiſſe. Fuit illud quidem antiquius forum, cui Hippodamium opponebatur, in Piraeeo ſitum f). De priori maxime valet interdictum, quod inhoneſtos arcebat foro, vel, a populi congregationibus et accuſandis aliis, excludebat g). Ibidem archontes ipſi iudiciorum praeſides, ſedebant, libellique repudii publice tradebantur h). Inualuit autem haec ipſa conſuetudo, Solonis aetate. Nam antiquius obſeruatum eſſe videtur, quod SVIDAS habet: πρὸ μὲν τῶν Σόλωνος νόμων, ἐκ ἐξῆν αὐτοῖς (ἄρχουσιν) ἅμα δικάζειν· ἀλλ' ὁ μὲν βασιλεὺς, καθῆστο παρὰ τῷ καλουμένῳ Βουκολείῳ i), τὸ δὲ ἦν πλησίον τοῦ Πρυτανείου· ὁ δὲ πολέμαρχος, ἐν Λυκείῳ· καὶ ὁ ἄρχων παρὰ τοὺς ἐπωνύμους· οἱ θεσμοθέται, παρὰ τὸ Θεσμοθέτιον. In eius modi iudiciis, potiſſimum autem in curia foroque, βήματα fuere, vel excelſiora loca, quibus dicentes, cauſſas agentes, conſultantes, inſiſtebant k); et in quibus plures ſimul verſari poterant. Ita χορευτὴς et eius actutum aduerſarius Philocrates, in curiae tribunali, ſimul conſtituti, diſputabant l). Huius modi βῆμα fuit et in ſtrategio

a) p. 440. b) p. 543. c) p. 427. d) quae et πρακτὴρ ſeu πωλητήριον vocabatur v. *Pollux* III, 25. coll. VIII, 6. p. 385. ſuper. e) I, 73. f) I, 91. g) I, 131.
h) IV, 36. i) dicitur et στοὰ βασίλειος, de qua v. *Pauſ.* I, 3. init. 13. ante fin. k) I, 53. l) *Antiph.* XV, 80.

(στρατηγίω) quod DEMOSTH. in *or. Midiana* τὸ τῶν ἀρχόντων οἴκημα nominat m); cum ibi pariter ſaepius illi congregarentur. Factum id eſt, quem ad modum videtur, maxime quidem cum res belli:as tractarent: mox tamen hocce nomen, neque minus poſtea praetorum ac ducum, latius extendebatur: vt ἀρχόντων quoque locum occuparunt στρατηγοί n). THEODORETVS o) enim: καὶ ἀργεῖ μὲν παρ' Ἀθηναίοις, ὁ Ἄρειος πάγος, καὶ ἡ Ἡλιαία, καὶ τὸ ἐπὶ Δελφινίῳ δικαστήριον, καὶ ἡ τῶν πεντακοσίων βουλὴ, καὶ οἱ ἕνδεκα, καὶ οἱ θεσμοθέται, καὶ ὁ πολέμαρχος, καὶ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἄρχων. Ac PHILOSTRATVS p): πρώτη δὲ καὶ τοῦ Ἀθηναίων δήμου, στρατηγήσας αὐτοῖς τὴν ἐπὶ τῶν ὅπλων. Ἡ δὲ ἀρχὴ αὕτη πάλαι μὲν κατέλεγέ τε καὶ ἐξῆγεν εἰς τὰ πολέμια· νυνὶ δὲ τροφῶν ἐπιμελεῖται καὶ σίτου ἀγορᾶς. Sed, ad propoſitum ſimul reuertendum eſt, et ad alia progrediendum. Sequitur nimirum Areopagus; cuius ſenatores curam legum habebant, vt iisdem reliqui magiſtratus, muro porticus in ἀκροπόλει inſcriptis, vel in prytaneo σανίσιν adfixis, vel alibi reperiundis, et adprobatis, quem ad modum decet, vterentur q), iudicesque, ſi quis reus eorum calculos fugeret, relegati facultates publicabant r). Ipſum nomen hoc forum, ab eminentiore loco, vbi frequentabatur, accepit; indidemque pariter ἡ ἄνω βουλὴ nominari videtur. Quamuis haud ſemper in excelſo loco ſederent Areopagitae, nec ſemper ſub dio noctuue iudicarent; vti MARQVARTVS FREHERVS s) demonſtrare laborauit. Quem ad modum vero

m) *Meurs de Arch. Athen.* I, 9. p. 24. ed. 1622.
n) *Meurſ.* l. c. p. 33. ſq. o) *Therapeut.* L. IX.
p) in *Lolliano.* q) I, 144. r) I, 135.
s) in *deciſionum areopagiticarum ſyluula*, ſeorſum edita 1615. et 1672., nec minus in *Iac. Gronouii theſ. ant. Gr.* T. V.

ro πάγος indicat *collem;* sic Ἄρης Martem, quod fabulae ferunt, ibi primum iudicatum t). Idem illud iudicium, alii priscorum subiisse dicuntur. Erat inter eos v. g. Cephalus, Deionei filius, qui cum Procrin, Erechthei filiam, coniugem infidam, sed reconciliatam, inter venandum iaculo traiecisset, exsilio perpetuo (φυγὴν ἀίδιον) hic addicebatur u). Nec ibi solum ἀδικήματα φονικά, verum etiam, patriae proditio ac desertio iudicabantur, et vulgo quidem malefici nece puniebantur x). Cum autem id sanctissime fieri crederetur: hoc vnum forum longe reliquis omnibus anteponebatur y). Itaque, plura monenda forent; ni, post MEVRSIVM, iam IO. SCHEDIVS z) aliique a) singulatim illud considerassent. In primis tamen Areopagiticum senatum, oratione singulari, coluit ISOCRATES, quam et admodum commendat PLVTARCHVS b). Accedunt Ephetarum tribunalia, quorum potestatem antiquatam a Solone fuisse, temere coniectat GVIL. POSSARDVS c). Distinguere quidem ANDOCIDES, obtutu primo, videtur, inter Ephetas, Prytaneum ac Delphinium; sed nisi contextus Graecus laborat, sub generibus distinctis, solum distinctae simul formae sistuntur. Quatuor autem Ephetis, ad

t) *Paus.* I, 28. p. 68. *Clericus* autem ex Hebraea lingua deduxit, vt esset quasi הַר פְּגִיעָה *mons incursionis*, seu caedis. Vt *Corn. a Lapide* ad Num. XI, 16. principium iis temporibus vindicat, quibus a Mose LXX. seniores constituerentur. u) *Apollod. bibl.* L. III. p. 200. ed. Commel. x) *Lyc.* 13, 2. sq. y) *Lyc.* 4, 5. z) huius *diss. de Areopago* legitur in *Ikenii thes. nouo theol. philologico* T. II. p. 661-691.

a) conf. *Lyc.* 4, 5. not. d. *Postell. de magistr. Ath.* c. 4. *Hekel* in *obss.* p. 20-27. *Humphr. Prideaux* annot. I. *marmorum Oxon.* p. 348-356. *Gottfr. Olearii* et *Io. Lud. Schlosseri* dissertt. *de gestis Pauli in vrbe Athenienssium.* b) in Isocr. vita p. 1058. *opp. Isocr.* ed. 1571. c) *de mag. Ath.* c. 4. p. m. 446. qui et de tribunalibus aliis agit c. 25.

quorum iudicium prouocatione perueniebant, δικαστήρια tribuit HARPOCRATION. Ἐπὶ παλλαδίῳ, de caede praeter voluntatem commissa, iudicabatur; ἐπὶ Δελφινίῳ, de caede, quam quis se iure fecisse defenderet; ἐπὶ Πρυτανείῳ, de instrumentis homicidii d), de brutis necantibus, deque cadaueribus occisorum; ἐπὶ Φρεαττοῖ demum, si quis, iam exsul, ad portum Piraeeum, imputata denuo de caede, caussam diceret. De primo DEMOSTHENES, δεύτερον δὲ ἕτερον, ait, δικαστήριον, τὸ τῶν ἀκουσίων φόνων, φανήσεται συγχέων, τὸ ἐπὶ Παλλαδίῳ, καὶ τοὺς παρὰ τοῦτο νόμους παραβαίνων· quem cum aliis locis excerpit PFEIFFERVS e). Ibidem habetur, de Delphinio DEMOSTHENIS locus: τρίτον δὲ ἕτερον πρὸς τούτοις δικαστήριον, ὃ πάντων ἁγιώτατα τούτων ἔχει, καὶ φρικωδέστατα· ἂν τις ὁμολογῇ μὲν κτεῖναι, ἐννόμως δὲ φῇ δεδρακέναι· τοῦτο δέ ἐστι, τὸ ἐπὶ Δελφινίῳ. In Prytaneo simul Solonis leges seruabantur f). Iudicium autem multo credebatur antiquius, Erechtheo regnante coeptum g). At, nec hoc ibi solum exercebatur. Licet enim decipiatur, ad deriuationem quod adtinet, in re tamen haud errat, THVCYDIDIS interpres h), cum πρυτανεῖον, ait, ἐκαλεῖτο, ἐπειδὴ ἐκεῖ ἐκάθηντο οἱ πρυτάνεις, οἱ τῶν ὅλων πραγμάτων διοικηταί. Sic et PLVTARCHVS de Theseo i): καταλύσας οὖν τὰ παρ' ἑκάστοις Πρυτανεῖα, καὶ βουλευτήρια, καὶ ἀρχὰς (i. e. ἀρχεῖα), ἓν δὲ ποιήσας ἅπασι κοινὸν ἐνταῦθα Πρυτανεῖον καὶ βουλευτήριον, ὅπου νῦν ἵδρυται τὸ ἄστυ. Sequuntur Theseum et Odeum, ab ANDOCIDE k), quam-

d) *Gundlingiana* P. XXXIX. p. 331. sq.
e) *A. Gr.* II, 26. p. 244. f) *Paus.* I, 18. post init. g) *Paus.* I, ante fin. h) ad L. II. p. 33. i) in vita conf. *Andoc.* I, 92. sq. *Ant.* XV, 90. *Meurs. Theseus* c. 17. *Ath. Att.* I, 8. *Schmidii Solon legislator*, §, 42. sq. *Lyc.* 20, 14. not. a. k) I, 91. et 77.

quamuis alio ſenſu, memorata. Theſei fana quatuor nominantur apud Atticos, quorum in eo, quod ad murum longum dicebatur, iudicia fiebant. Id ſic ARISTOPHANES l) prodere videtur:

Οἱ μὲν ἡμῶν οὗπερ ἄρχων, οἱ δὲ παρὰ τοὺς ἕνδεκα.
Οἱ δ' ἐν Ὠδείῳ δικάζουσ', οἱ δὲ πρὸς τοῖς τειχίοις.
κ. τ. λ.

Cum et ibi carcer foret; grauiores eſſe cauſſas dictas, arbitramur: licet generatim *etym. magn.* m): ἐλέγοντο δίκαι ἐνταῦθα. Cauſſarum in Odeo, vnum certe genus adfert DEMOSTHENES n); excitans legem: ἐὰν ἀποπέμπῃ τὴν γυναῖκα, ἀποδιδόναι τὴν προῖκα. Ἐὰν δὲ μὴ, ἐπ' ἐννέ' ὀβολοῖς τοκοφορεῖν, καὶ σίτου εἰς Ὠδεῖον εἶναι δικάζεσθαι ὑπὲρ τῆς γυναικὸς τῷ κυρίῳ. Diſtinctius ANDOCIDES o) inter δικαστήρια nominat Eleuſinium, idem forte cum μητρῴῳ, deorum matris templo, publicoque ciuitatis tabulario, licet diſtinxerit PAVSANIAS. Iungimus Andocideis tribunalibus ſolum κοινὸν ἐρανιστῶν, vbi ſecundum νόμον ἐρανικὸν, ἐρανικαὶ δίκαι dirimebantur p); propter ἐράνους *Athenienſium*, alibi deſignatos. Omittimus autem Ἡλιαίαν. Nam etſi THEODORETVS ſeiunxit: ANTIPHO q) tamen *thesmothetarum heliacem* vocat; LYSIAS r) Heliaeam vndecim viris addicentem ſiſtit, et ARISTOPHANES s), vbi ludens ait Εἶλη κατ' ὀρθρον, ἡλιάσει πρὸς ἥλιον, iudices generatim itidemque thesmothetas, adpellat Gerae 14. Sept. 1760.

l) in Veſpis *poett. Graec. vett.* T. II, p. 885. v. 219. ſq.
m) v. Θησεῖον conf. *Pauſ.* I, 17. *Harpocr.* v. Θησεῖον *Valeſ.* ad h. i. *Meurſ. Theſ.* c. 13. *lect. Att.* V, 15.
n) in *Neaeram.* p. 524. o) I, 195. ſq. p) *Pollux* p. m. 385. q) XV, 49. r) IX, 6. s) l. c. p. 879. v. 32-49.

CAPVT IX.

Occupatos in Attico foro ſtrictim recenſens.

Olymp. CXIV. 1. aet. D. 57. Mors Alexandri. quot annos regnauit, vixit, genus mortis. Schottus. Res Demosthenis praeclare gestae. Lucian. Enc. D. Plutarch. Apophth. p. 17. Leopard. Emend. XV. 9. Imago eius Piraei. Pausan. Meurs. in Piraeeo c. 7. obsidet Antipatrum Lamiae. In bello Lamiaco, cum Antipater intra Lamiam a Graecis conclusus esset, Demosthenes dixit, non eandem sibi esse sententiam, ac Athenienſibus, qui ob hunc laetum nuncium sacrificabant. Noui enim, inquit, Graecos stadium pugnare et scire et posse, Dolichon autem non item. Plut. in X. orat. simile Phocionis Plut. Praecept. Polit. p. 388. fin. Demotionis, Areopagitarum principis, filia virgo, audito sponsi Leosthenis interitu, qui bellum Lamiacum concitarat, se interfecit asserens, quamquam intacta esset corpore, tamen, si alterum accipere cogeretur, quasi secundum acciperet, cum priori mente nupsisset. Hieronym. adu. Iouinian. l. 1. Pytheas et Callimedo Carabus. Hortantur graecas ciuitates hinc legati Antipatri, inde Athenienses. Demosthenes tum exsul resistit Pytheae. Pytho Byzantius rhetor. πολλῷ ῥέοντι — Dem. ipse. Plut. in v. Dem. Sextus Empir. p. 297. ed. Fabr. Tzetz. Chil. VI. 38, Olear. ad Philostr. p. 283. Voss. de Nat. Rhetor. p. 81. Aelian. V, H. XIV. 28. Phot. cod. 241. Demetr. Phaler. c. 80.

c. 80. et 286. Lac Asininum. Decretum de Demosthene reducendo. Εἶπε Demo Paeanienſis. Miſſa trirem.i reuocatur. Effuſa turba excipitur. Praeclarior reditus, quam Alcibiadis, quia populus ſponte reuocauit. Mulcta diſtrictus. Eluſa lex. Iouis Σωτῆρος ara. Munus Dem. locatum L. talentis, quanti ſcil. ei lis fuerat aeſtimata. Plut. Phot. Reditus Demoſthenis. Iuſtin. XIII. 5. Diod. Sic. rediiſſe ait anno proximo.

CXIV. 3. aet. Dem. 59. Obiit, eodem anno quo Ariſtoteles. Laert. V. 10. in Ariſtot. NB. anno proximo Menander fabulam docuit primam. moritur Ariſtoteles annum agens 63. et Dem. 60. Gell. XV. 28. Photius ex aliis annos 70. Demoſtheni tribuit. Antipater cum Cratero Athenas contendit. Auffugit Dem. aliique. Eos P. A. Demade rogante capite damnauit. Antipatri ſatellites. Archias dictus φυγαδοθήρας, olim hiſtrio. Hic ex Aiacis fano, quod eſt Aeginae, extrahit Hyperidem oratorem, Ariſtonicum Marathonium, Hemeraeum, Demetrii Phalerei fratrem. Hi miſſi Cleonas ad Antipatrum capite plectuntur. Hyperidi lingua praeciſa. Plut. Arrian. de rebus poſt Alex. geſtis. apud Phot. p. 124. Demoſthenes in templo Neptuni, quod erat Calauriae, ſedet. Huc magnis actuariis contendit Archias, Antipatri gratiam pollicetur. Euſtath. comm. ad Dionyſ. Perieg. verſu 469. Inſomnium D. Archia, nec hiſtrio me mouiſti, neque nunc mouebis promiſſor. Quo ad iram conuerſo, Nunc, ait, oracula edis Macedonica, modo mimum egiſti. Suſtine parumper dum meos domi ſalutem. In interiora templi recedens, ſcribenti et meditanti ſimilis, calamum veneno imbutum ori admouit capite inclinato. Stipatores, qui ad fores ſtabant, riſerunt vt ignauum. Archias inſtat. Reditum in gratiam cum Antipatro oſtendit. Intentis in Archiam oculis Fac agas ex tragoedo Creontem etc. Cum aram praeteriret, concidit

dit animamque efflauit. ΔΗΜΟΣΘΕΝΗΣ ΕΠΙΒΩΜΙΟΣ. Dr. Mead. Barton ad Plutarch. De morte D. et genere mortis Strabo l. 3. Pauſan. in Attic. et Corinth. Hell. XVII. 21. Nep. in Hannib. Dr. Heber. den. Dr. Askew. Eratoſthenes in cauo annulo refert eum venenum habuiſſe, et hunc annulum pro brachiali geſſiſſe. Plin. XXX. 1. Alii ſub gemmis venena cludunt, ſicut Dem. ſummus Graeciae orator, anulosque mortis gratia habent. Plin. XXXIII. 1. Pauſan. in Att. p. 14. Vincent. Bellouac. ſpec. Nat. l. 7. Obiit 16. menſis Pyanepſionis. Plut. in vtraque vita. Meurſ. Lect. Att. IV. 21. Corſin. F. A. T. I. p 108. Obiit die 17. Octobris, quem diem Cereris ſacris triſtiſſimum agentes foeminae in templo Deae ieiunant. Contigit hoc 280. annis ante exceſſum Ciceronis. Eius tumulus Calauriae in fano Neptuni. Pauſan. p. 13. et 248. Strabo l. 8. Circa Peloponneſum etiam nunc in Aegaeo Phthiuſa et Aegina Epidaurico litori proxima. Troezenia Calauria inter ignobiles alias leto Dem. nobilis. Pompon. Mela. II. 7. Cum domum aeternam adiit, teſtamento reliquit Archippam vxorem ſeruo Phormioni cum libertate. Thyſius apud Gronou. Antiqq. p. 1370. [Thyſium haec ſcripſiſſe, ſi de Demoſthene ſcripſit, nil miror; Taylorum autem etiam atque etiam miror, ſiue quod tam ſtulta commenta digna habuerit, quae iteraret, ſiue quod praetermiſerit notare atque corrigere, ſi tanti erat tam abſurdas nugas recoquere. Non Demoſthenes, ſed Paſio, Apollodori pater, Archippam Phormioni legauit, de quo ſatis ſuperque conſtat e Demoſthenis orationibus pro Phormione et in Stephanum. Sed vere credidiſſe Thyſio ſomnianti Taylorum, paret ex additis in continente] Ita Demoſthenes pater vxorem etiam teſtamento reliquit T. Titulo Pueritia et Adoleſcentia. [quid ſibi velit T.

lit T. non intelligo. nisi est *Taylor*. Debuit Aphobo scribere.]

Olymp. CXXV. 1. Gorgia praetore (q. anno CXIV. 4. vel CXV. 1.) P. A. statuam aeneam decreuit et victum familiae in Prytaneo, rogante Demochare, sororis filio. Plut. X. orat. Basi statuae inscriptum hoc epigramma. Εἴπερ ἴσην γνώμην ῥώμην, Δημόσθενες, εἶχες, Οὐδέποθ' ἑλλήνων ἦρξεν Ἄρης Μακεδών, ab ipso Demosthene conscriptum, teste Demetrio Phalereo. Plut. Suid. in Antipatro. [Hic subiecerat Taylor, quam omittere mihi liceto, totam Democharis rogationem e Plutarcho transscriptam. Ne quid tamen, quamuis tenue, pereat reliquiarum Taylori, adscribam duas eius ad hoc monumentum annotatiunculas. 1) ad v. Λευκονεεὺς. Excusum Λευκονθεὺς, saltim in quibusdam exemplaribus editis. Sed scribendum est λευκονεεὺς. Sic T. [id est Taylor] in D. bis infra. Suidas, ante εὺς inserit. Scribit enim Λευκονιεὺς δῆμος τῆς λεοντίδος. οἱ λευκόνοι. 2) ad illa verba πλείω πεντακοσίων ταλάντων adscripserat haec. πλείω φησὶ τάλαντον codex Petau. erat nimirum Φ' hoc pacto, id est 500. quod scriba arripuit pro φησὶ. In calce monumenti adscripserat v. quae Ruald. Stephanus, Amiot. Casaub. MS. etc.

17. Demosthenis Vitia, amores etc. Laidem amauit. Athen. p. 588. Gellius ex Sotione l. 8. legitur *Phocione*. Io. Sarisber. Tanti poenitentiam non emo. v. Gron. de monetis veterum. ἐκ κἀδμαι μυρίων δραχμῶν μεταμέλειαν. Macrob. II. Saturn. σχ Aristophan. Pluto ex Phocione peripatetico 149. Athen. l. 13. p. m. 291. Lais. viri docti ad Xenocratem Laertii. Carrion Antiq. Lect. II. 12. Polit. ad p. 611. Eustath. ed. Flor. Stephanus Poeta comicus (Fabric. Catal. Comic. N. [id est Nos] ad Neaer. a Demosthene ciuitate donatus. Auctor anonymus praef. ad Aristophanem. Lais capta in ex-

in expeditione Sicula Olymp. XCI. Λαΐδα τὴν ἑταίραν ἔτι κόρην ἐν τοῖς αἰχμαλώτοις πραθεῖσαν εἰς Πελοπόννησον κομισθῆναι. Plut. in Nicia. Lais κόρη f. 15. annorum Olymp. XCI. 2. ergo ad Olymp. XCIX. 3. quo natus fuit Demoſthenes, anni 33. 15 † 33 = 48. Demoſthenes annos natus 15. tum 15 † 33 † 15 = 63. Lais et Nais. Ariſtoph. Pluto Athen. Lais ἀξίνη ἐπίκλησις. Aelian. V. H. XIV. 35. et alibi. Prolem ex meretrice ſuſcepit Athen. p. 592. ſumptuoſus. Athen. p. 593. veſtitu nitido. Gell. I. 5. Adoleſcentes in amore habuit Athen. vbi T. inter quos Cnoſiona, cum quo concubuit Demoſthenis vxor. Athen. l. c. plura de eius intemperanti libidine Athen. l. c. Os pollutum Gell. I. 5. Dem. in καππαλείῳ Diog. Laert. in Diogene Cynico Aelian. V. H. IX. 19. Plut. quomodo quis etc. Βάτταλος ἐπίκλησις. Infamia de Moſcho. Eubulus. Ariſtarchus. Biographi duo MS. Biblioth. Pariſ. Nos ad Midianam. σχ. ad Aeſch. π. παραπρ. §. 46. ed. *Brocke.* σχ. n. 348. ed. Pariſ. [Demoſthenis puta] Suid. Aeſch. c. Timarch. Athen. σχ. Hermog. p. 190. Midianam et σχ. Valeſ. ad Harpocr. p. 80. Schott. ad Olymp. CXII. 3. Populi plauſum ambiuit. Ael. V. H. IX. 17. Cic. Tuſc. V. Laert. in Diog. Cyn. l. 6. οὗτος ἐκεῖνος. Nannius apud Gruter V. I. p. 1333. 1334. L. Gyraldus T. II. p. 377. Horat. in Odis ad Muſam Melpomenam ait. Totum muneris hoc tui eſt, quod monſtror digito praetereuntium. Tractum eſt a Demoſthene, qui, prout refert Plutarchus, adeo gauiſus eſt laniſta [alii mercenario] digito oſtendente ſociis ſuis, dicendo. Hic eſt ille Demoſthenes magnus orator. Schol. ad Perſium l. 28. ex cl. Waſſei Bibl. Literar. An, ſi Demoſthenes iure laetatus eſt, quod illum anus attica ita demonſtrauit, οὗτός ἐστι Δημοσθένης. ego celebritate mei nominis gaudere non debeo? Plin. IX. Ep. 23.

Ep. 23. Cum Dem. dicturus esset, concursus audiendi causa ex tota Graecia sunt facti. Cic. de clar. or.

18. Demosthenes et Cicero. Aemulatio naturae et fortunae. Et naturae dotibus et fortunae casibus simillimi. Omnino Gellius XV. 28. Politicae similitudines Plut. D. et C. compar. Multa in vtroque simila, cum in vita tum in oratione. Vterque paucos annos vixerunt, eodem aetatis tempore in forum progressi. Gell. XV. 28. Reip. causam sustinuit vnus contrá Philippum, alter contra Catilinam et Antonium. Exsulauit et reuocatur. exsulauit bis. fuga salutem quaesiuit, vnus ad Chaeroneam, alter ad Pharsaliam. Vtrique mors violenta, eodem exacto vitae curriculo, vtrique immatura, et ab hoste inimicissimo profecta et ob eloquium. Eloquio sed vterque perit orator, vtrumque Largus et exundans leto dedit ingenii fons. Vterque filiam dilectissimam amisit, redux ab exsilio cum honore, cum libertate publica interire. (sic) Quid habuit in libertate vltimum. Cic. et Roscius. Dem. et Andronicus. Corn. Nep. in Phocione XIX. 2. Vterque nactus famae derogatores, hic Demadem, ille Antonium. sed plus cauendum est, ne fera propter iam propalati augmenta voluminis in aliquos forsitan incidamus vituperones, quorum fugere linguas cote liuoris naturalitus acuminatas ne Demosthenis quidem Ciceronisque sententiae artifices et eloquia fabra potuere, quorum anterior orator Demadem, citerior Antonium tolerauere derogatores, qui liuidi cum fuerint malitiae clarae, dictionis obscurae, tamen ad notitiam posteriorum per odia virtutum decurrunt. Sidon. VIII Ep. I. In stylo et orationis genere Quintil. X. 1. Longin. §. 15. Caecilius. v. Suid. et Plut. in vita Dem. Renatus Rapinus S. I. Nigronius S. I. Comparaison of Cic. et D. gallice. Arch. D. Stephens. Perraultus. Fr. Maucroisius Paris 1685. Fontenelle Dialog. Mort.

Mort. A. 1712. A. Schott. vitae compar. Dem. et Ariſtotel. P. Clobardus, Flander, praefatur ad Olynth. 3. Antwerp. 1538. de compar. Cic. et Dem. Rob. Britannus Paris 1643. 4. latine vertit et edidit Dem. orat. ad Philippi epiſtolam, adiectis aliquot locis, quos Cicero ex Demoſthene adumbrauit vel vertit. Bergerus. Hermogenes. Ciceronis locus e Dinarcho expreſſus Muret. Var. Lect. II. 7. in pro Sylla e Dem. Mur. ib. II. 18. in II. Philipp. Muret. II. 19. VII. 27. VIII. 10. II. 19. 20. XIII. 10. XIX. 13. Lipſ. Var. Lect. I. 3. 22. II. 5. 16 20. 27. III. 4. 6. 28. Petr. Victor. Var. Lect. XV. 3. XVIII. 21. Quantum ingemiſcant patres noſtri etc. Liu. 21. 53. ex Ariſtocratea. v. viros doctos ad Lucian. T. III. p. 464. Quod fretum, quem Euripum etc. Cicer. κῦμα v. Lipſ. in V. L. l. c. Muret. VIII. V. L. 10. 11. not. ad Ae. 414. 14. Tourreil ad loc. rurſus Tourreil. p. 466. 468. Hoc nec gratior exſtitit quisquam — Cic. Orat. Vnus eminet inter omnes — Id. ibid. Plane quidem perfectum — Id. in Bruto recordor me — Id. in Orat. Demoſthenem igitur imitemur — Id in Bruto. Demoſthenes Ciceronem ex magna parte, quantus eſt, fecit. Quintil. X. 1. Sadolet. de liberis recte inſtituendis. Iuuabit cognoſſe etc. M. Tullius cum ſe totum ad imitationem graecorum contuliſſet, effinxit vim Demoſthenis, copiam Platonis, iucunditatem Iſocratis. Hunc igitur ſpectemus, hoc propoſitum nobis ſit exemplum. Ille ſe profeciſſe ſciat, cui Cicero valde placebit. Quintil. X. 1. Demoſthenes tibi praeripuit, ne primus eſſes orator, tu illi ne ſolus. v. Hieronymi epiſt. ad Nepotian. Nec vitium dixerim, ſi Cicero a Demoſthene paululum hac in parte deſciuit. Quintil. IX. fine. Quicquid attica, quicquid romana praecipuum habet lingua, cognouit; aurum Demoſthenis et ferrum Ciceronis expendit, vtramque dicendi ſeriem latinus Relator impleuit. Ennodius

nodius I. Epiſt. 5. Non Ciceronis modo, ſed etiam eius, qui eſt ſtrictior multo, Demoſthenis. Quintil. XII. 10. Quis ita ad Aeſopi venuſtatem, quis ad ſophiſticas Iſocratis concluſiones, quis ad enthymemata Demoſthenis, aut opulentiam Tullianam, aut proprietatem noſtri Maronis accedat. Auſon. ad Symmach. Ep. 32. Ad explicandam incredibilis gaudii magnitudinem et tulliani fluuius ſiccaretur ingenii et contortae Demoſthenis vibrataeque ſententiae tardius languidiusque ferrentur. Hieron. Ep. 97. ad Demetriad. de ſeruanda virginitate. Vbi mare illud eloquentiae Tullianae? vbi torrens fluuius Demoſthenis? Hieron. Ep. 93. ad Saluianum lapſum. Επιμονὴ or Amplificatio. αὔξησις Longin. Alexander Ald. Rhet. Gr. de σχήματι ἐπιμονῆ. Demoſthenes et Pericles nunquam dixit ἀπεριστέπτως. Cum Athenienſes ad dicendum vocarent, ἐ συντέταγμαι, inquit. non omnes meas copias in ordinem redegi. Plutarch. tract. I. item in Aldina ὁμολογῶμαι (ſic) μεμελετηκέναι. καὶ γὰρ etc. Epicli obiicienti orationem meditatam, dixit: erubeſcerem, ſi tanto populo conſulens extemporali oratione vterer. Plut. X. orat. v. Hiſtoriam Midianae Plut. polit. praec. p. 390. ad illam cauſarum operam, ad quam ego nunquam niſi paratus et meditatus accedo, adiungatur haec iuris interpretatio, quae non tam mihi moleſta ſit propter laborem, quam quod dicendi cogitationem aufferat, ſine qua ad nullam maiorem vnquam cauſam auſus ſum accedere. Cic. I. de Legg. Hermog. π. μεθ. δεινοτ.

Ciceronis ſales et dicteria. In his vincit Komanus, grauitate graecus. Quintil. VI. 3. X. 1. Cicero dicax etiam dicebatur. Macrob. Sat. II. 3. VII. 3. Seneca Controu. 8. E quibus (Atticis) tamen non omnes faceti, Lyſias ſatis et Hyperides Demades praeter caeteros fertur, Demoſthenes minus habetur. Quo

quidem mihi nihil videtur vrbanius. Sed non tam dicax fuit, quam facetus. Eſt autem illud acrioris ingenii, hoc maioris artis Cic. Orat. Dicacitas proprie ſignificat ſermonem cum riſu aliquos inceſſentem. Ideo Demoſthenem vrbanum fuiſſe dicunt, dicacem negant. Quintil. VII. 3. Bons Mots. ὄνε σκιὰ. prou. vſus Sophocles in Cedalione, Ariſtophan. in Daedalo, Lucian. in ſectis, Demoſth. in Philipp. Menander in Enchirid. Plato in Phaedro, Procop. in quadam epiſtola, Orig. praef. ad librum 3. adu. Celſum. Ariſtoteles apud Suid. in διδασκαλίαις ait hoc nomine fabulam exſtare. Plut. X. orat. Zenob. Apoſtolius XX. 4. Suid. ὄνε σκιὰ. ὑπὲρ ὄνε σκιᾶς. σχ. Ariſtoph. Veſp. 191. Apulei. Metamorph. l. 9. extremo. Demoſthenes Scytha matre barbara natus, quid dixit. Rutil. Lup. T. Tit. Mater. Timothei dictum. Bons Mots. *Cum Demade.* Me Demoſthenes, ſus Mineruam. Haec Minerua nuper in Collyto in adulterio deprehenſa eſt. Plut. Vit. et praec. pol. p. 390. Collyto. Iuuen. *Cum Phocione.* v. Corn. Nep. Phoc. Phocio ſhort et pithy. Dictum Polyeucti (Polyeuctus ille cum Lycurgo et Demoſthene legatus ad Peloponneſios) μέγιστον Δημοσθένην, δυνατώτατον δ' εἰπεῖν Φωκίωνα. Plut. in Phoc. et polit. praec. NB. quaere num δειν. an δυνατ. quotiescunque aſſurgeret Phocio dicturus, dixit Demoſthenes ἡ τῶν ἐμῶν λόγων κοπὶς ἀνίσταται. Plut. in polit. praec. in vita Dem. in v. Phoc. Stobaeus ſerm. 37. p. 221. Demoſtheni dicenti ad Phocionem, occident te Athenienſes, ſi quando coeperint inſanire, reſpondit Phocio, te vero, vbi ad ſanam mentem redierint. Plut. in Phoc. p. 184. et Apophthegm. p. 113. Annon hoc potius Demadis, quam Demoſthenis? v. Plut. Moral. Mulier parata eſt depoſitum reddere etc. Valer. Max. VII. 3.

Hic

Hic desinebat Taylori diligentia compilandi. Nam loci e Stobaei et Maximi atque Antonii florilegiis transscripti, qui Aduersaria Taylorana demosthenica claudunt, huc nil faciunt. Fessus equidem sum describendo, et nunquam haec edidissem, quae iam dudum a Schotto et aliis occupata et in vulgus nota sunt, nisi voculas metuissem maleuolorum, qui de fide mea fuissent dubitaturi, si quid a Tayloro profectum celassem, atque clamaturi, me Tayloranorum optima quaeque suppressisse, aut mihi arrogasse. Ego profecto, ita medius fidius, si praeuidissem in schedis Taylori me non inuenturum esse meliora iis, quae inueni, nunquam operam dedissem, vt eas adipiscerer; et sic locum omnem calumniae atque suspicioni exclusissem. Sed fideliter verbotenus reddidi, quae inueni, in quo erunt, qui superstitionis me atque vecordiae notent. Quid agerem, vbi cauere non possem, quominus in alterum scopulum humanae iniquitatis impingerem? malui excessu religionis peccare, quam committere, vt Manium Taylori contemtor atque violator viderer.

HIERONYMI WOLFII,

Oettingenſis Rhaeti, ad clariſſimum virum, optimeque et de ſe et de rep. literarum meritum Io. Oporinum, Baſileenſem, commentariolus, coeptus quidem ſcribi Anno 1564. ſed aliquot annis poſtmodum abſolutus, de vitae ſuae ratione ac potius fortuna.

Memini, Oporine humaniſſime, cum Norimberga Baſileam, in belli Germanici calamitatibus, annis abhinc 17. veniſſem, te dicere mihi neſcio quas de me quorundam ſuſpiciones et ſermones ſparſos, quod a prudentiſſima et ingeniis fauente rep. non temere fuerim dimittendus, niſi ὑπόπτόν τι ſubeſſet rebus meis. Quae me oratio recenti adhuc memoria calamitatis illius ita commouit, vt primo quoque tempore ampliſſimi ſenatus honeſtiſſimo teſtimonio, quod membranis inſcriptum et obſignatum, ipſe cum multis aliis vidiſti, ora maledicorum et ſuſpicacium hominum obturarem. Neque vero verbis tantum innocentiam et induſtriam meam grauiſſimus ille ordo teſtatus eſt, ſed eodem anno primam lucubrationem iſocraticae conuerſionis meae, quamquam minus expolitae, quam vellem, centum Ioachimicorum magnifico honorario eſt remuneratus; vt pudere eos debeat iniquiſſimae obtrectationis, qui non dubitant Fortunam, vt poeta ait, in probri commemorare loco. Tu vero pro tuo mei amore his non contentus, illud etiam poſtulabas, quum me, ob crebras valetudinis offenſiones, ὀλιγοχρόνιον, vt et ipſemet, fore putares, vt Libanium rhetorem, quem tu mihi primus, ante non viſum, legendum dederas, imitatus, vitam meam ipſe deſcriberem; ne, vt fieri ſolet, me mortuo rerum mearum igna-

ignarus, et fortaſſe parum candidus, mihique inuidus et obtrectandi cupidus, e vagis et non conſentientibus ſermonibus, centones ſarciret, infuſoque nigrae loliginis ſucco funiculum ex arena conſereret, non ſine iniuria nominis et manium meorum. Id ego tum, cum neque recepiſſem, neque recuſaſſem, in hoc vsque tempus, κλιμακτήρων ἐνεχθώτων, ὥς φασιν οἱ περὶ τὰ ἄχρα δεινοὶ, prorogaui. Ac, verum vt fatear, haec ipſa nunc ſcribo, ἑκὼν μὲν, ἀέκοντι δὲ θυμῷ, volens ob eam cauſam, quam tu afferebas; inuitus, non tantum propter ea, quae ad Luceium ſcribens Cicero recenſet, (*neque enim ego Catilinam vltus ſum, neque Hortenſium, aut alios aemulatus*) quam propter humilitatem fortunae et rerum mearum omnium tenuitatem. Sunt enim qui et Diogenem Laërtium et Suetonium derideant, quod ille philoſophorum, hic etiam grammaticorum vitas deſcripſerit. Nec melius de Fronapio, Philoſtratis, Dionyſio, qui oratores et ſophiſtas, et denique poetas celebrauere, ſentiunt, deriſuri, vt opinor, niſi crimen impietatis timerent, etiam eos, qui patriarcharum, prophetarum, apoſtolorum, martyrum, aut aliorum, qui doctrina excelluerunt, acta perſecuti ſunt, ea nimirum imbuti opinione, indignos eſſe poſteritatis memoria eos omnes, qui, tametſi optimi et ſapientiſſimi viri fuerint, opum et dignitatis ſplendore caruerunt. οἱ βάρβαροι γὰρ ἄνδρας ἡγῶνται μόνον τὸς πλεῖχα δυναμένους καταφαγεῖν τε καὶ πιεῖν. Quid enim aliud agunt Pyrrhi, Hannibales et Alexandri, non tam magni et inuicti, quam iniuſti et violenti, niſi vt quam plurimos abſorbeant atque deuorent. Quos prae ſe contemnere viros bonos quis mireretur, quum et regibus victis tanquam mancipiis inſultent. Eos autem, qui nihilo nobis nobiliores, ingenio autore, et mendicitatis ſordibus, per artes for-

taſſe non optimas, adulationem, ſophiſticam, ψευδικοπανουργίαν emerſerunt, noſtrae humilitati inſultare, iniquiore ferendum eſſet animo, niſi conſtaret, perpaucos illud Auſonii ſibi ſubiicere: Fortunam reuerenter habe, quicunque repente Dives ab exili progrediere loco. Qui et mihi obiicere queant τὸ λάθε βιώσας. Quod vtinam mihi licuiſſet. Quanto enim fuiſſem et quietior et beatior? τὸ κάλλιστον τῶν κτημάτων, κατὰ Σωκράτην φάναι, τὴν σχολὴν περιποιησάμενος καὶ τῶν (ſic) μετ' εὐμουσίας. Etſi enim praeclare ſcio me nequaquam eum eſſe, vel familiae dignitate, vel ſplendore fortunae, vel ingenii doctrinaeque praeſtantia, cuius nomen ab vllo celebretur; tamen, verum vt fatear, delectatus ſum tuo ſeu ſtudio, ſeu de me iudicio, qui me quoque inter eos numerandum cenſueris, qui reip. lit. ornamento eſſe videantur. Quare non grauatim morem geram voluntati tuae. quia enim neſcio quo fato in publicum totius Europae theatrum protractus ſum, (neque enim vllam nominis Chriſtiani prouinciam eſſe reor, cui meum nomen te duce atque auctore ſit ignotum) ea maxime, quae ad ſtudiorum rationem attinent, (ob haec enim de me quaerent, qui fuerim, ſi qui forte quaerent) quantum pueritiae recordari memoriam vltimam potero, vere et ſine fuco exponam. Quae eo fide digniora erunt, quod plura ſore praeuideo, quae et aequiores miſereantur (ſic) et naſuti rideant, quam quae vtrique admirentur. Cactera propter ſeriem narrationis obiter atque breuiter attingam.

Quod igitur ad maiores meos attinet, qualescunque illi fuerint, non magnopere noſtra intereſſe puto, cum te quoque ſciam ingenio magis, eruditione, induſtria, herculea laborum tolerantia et animi magnitudine fretum eſſe, quam auo Argentoratenſi conſule gloriari Nam genus et proauos et quae non fecimus ipſi,

ipſi, vix ea noſtra puto. Sed enim quia rettulit Aiax eſſe Iouis pronepos, et mi genus ab Ioue ſummo eſt. τῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμὲν. Sed quoniam veriſſime Plato ſcripſit, ne ſubulcum quidem eſſe vllum, quin, ſi vltima ſpectetur origo, multos ſuae ſtirpis auctores principes viros proferre poſſit, et qui nunc regnent, a ſubulcis eſſe oriundos, nam hae ſunt rerum humanarum vices, ad propiora veniendum eſt. Pater mihi fuit Georgius Wolfius, vir, (ac filii teſtimonium ſuſpectum eſſet, niſi adhuc complures boni et prudentes ſupereſſent, qui de eo honeſtiſſime et ſentiant et loquantur) in veteri comitatu Oettingenſi, qui hoc tempore ſolus apud nos antiquum Rhaetiae nomen obtinet, nec virtute, nec dignitate, nec eloquentia poſtremus; opibus iis, quibus meliore illa aetate, moribus admiratione diuitiarum, minus corruptis, et ab egeſtate, et a contemtu facile vindicaretur. ac longe maiores is et parare, et relinquere nobis potuiſſet, niſi maius liberalitatis et beneficentiae ſtudium, quam fordium et auaritiae habuiſſet. Materna origo paulo fuit humilior, ſi noſtra tempora ſpectes, ſed ſi antiquitatis quaſi praerogatiua aliquid valeret, vetuſtiſſima et ſplendidiſſima. Quam enim artem Paradiſo pulſus factitauit Adamus, ea mihi a materna ſtirpe relicta eſt hereditaria. atque vtinam agri modo tantum fuiſſet relictum, vnde viuere potuiſſem. Opere enim ruſtico faciundo haud dubie et confirmata fuiſſet valetudo, atque animus natura ſimplex et apertus, inſidias, fraudes, ſcelera multorum ignoraret, quorum me ita pertaeſum eſt, vt mortem honeſtam et piam ſaepe magis optem, quam vitam diuturniorem. Sed ſi paterni ſtemmatis origo altius repetenda ſit, et ſi quid amiſſa bona valeant, et inops nobilitas opibus male partis anteferatur, vetuſtate generis et equeſtris ordinis dignitate, non multis cederemus. Ac monumenta maiorum meo-

rum adhuc exſtant in opulentiſſimo Caeſarienſi monaſterio, inter cuius fundatores (vtendum enim eſt recepta voce) et ipſi fuerunt, quod paſſibus circiter MM. a peninſula Danubiana, quam Werdam vulgo vocant, eſt diſſitum. e quo, conceſſu reuerendi viri, et politica prudentia praeclara diuinaque non contemnenda praediti, Ioannis Saurii, Abbatis, inſignia, quae tibi mitto, depicta ſunt. Vnde apparet, vt opinor, neque tenues illorum fuiſſe opes, et animos pro ratione illorum temporum religioſos. Iidem in exilio longo tempore non niſi cum nobilibus affinitates iunxerunt, neque auus meus vlli equeſtris ordinis homini dignitate ceſſit. nauata non tantum comitibus Oetingenſibus opera fideli et ſtrenua, ſed et Auguſtanae reip. quadringentis volonibus adductis, quorum virtute hoſtiles impetus repreſſit, (ſic) nec parua aduerſariis detrimenta fuere illata. Inſignibus addidi verſiculos non optimos quidem illos; non enim Apollinis et Muſorum afflatu, ſed ex inſomnia ſcripti ſunt: tales tamen, qui ſine cuiusquam boni et candidi viri offenſione legi poſſe videantur.

Inſignia Pincernarum a ſaltu-aprugno, petita e Caeſarienſi monaſterio, inter cuius fundatores memorantur, a quibus Wolfiorum Oetingenſium familia propagata eſt. [Formam omiſi ob loci auguſtiam.]

Caſtelli veſtigia in pago eiusdem nominis Schweinispaind adhuc exſtant in Comitatu Lechsgmindenſi qui nunc eſt ditionis illuſtriſſimorum Palatinorum Neuburgenſium.

Hos ataui titulos dederant et praedia nobis
Quis coniunctus erat nobilitatis honos.
Praedia ſed poſtquam domini rapuere potentes,
Irarum cauſas neſcio, fata ſcio.
Hoſtia, Danubio qua ſe Lycus ingerit, horrent a)
Bernicii ripas tutaque rura colunt b)

Diſſi-

a) Lechsgmünd. b) Werniz im Rieß.

Diſſimulantque genus, mutant inſignia, nomen
Adſciſcunt, cani quod tribuere lupi.
Siue truces magis vt poſſent vitare tyrannos,
Seu puduit ſine re nomen inane ſequi.
Siue quod a Welfa ſuperati parte ſtetiſſent,
Eſt etiam victi nominis altus honos.
Hancque reor cauſam. grauis haec fert alea Martis
Infauſti. periit tum Calatina domus. c)
Inferior Stereberga ruit, caſtellaque plura,
Quam domini culpam ſuſtinuere, luunt.
Quin etiam, Winsberga, tuos infeſta penates
Caeſaris arma petunt, ſalva ſed ipſa manes. d)
Nec modo ſalua manes, ſed longa in ſaecula nomen
Caeſaris atque piae coniugis acta refers.
Victor enim clemens, ſtatuens modo plectere fontes,
Matronam certa conditione vocat.
Efferat arce, ſuo quae ſint cariſſima cordi,
Quantum vel toto corpore ferre queat.
Illa ſui vitae metuens, o falſa, mariti,
Non aurum, gemmas deliciasue gerit.
Sed gerit illa virum, ſatis haud laudanda virago,
cumque viro recipit caetera cuncta ſuo.
Principis exemplo quoque caetera turba maritos
Et pueros effert; eſtque ita parta ſalus.
Aſt ataui noſtri ſpoliati protinus omni
Subſidio, Boios perpete Marte petunt.
Arma gerunt viui comitantur et arma ſepultos. e)
Militiae vetus hoc eſtque manetque decus.
Scilicet hoc animis aluere, aliquando luporum
Se rabie hoſtiles perdere velle greges.
Idque ſub id tempus, quo moenia Byzae f)
Turcus atrox rapuit, fortiter auſus auus.
Hic peperit virtute nouum ſibi clarus honorem
Inuicto celebris robore ſemper eques.
Wolfius Huldricus vulgo Bauchuzius heros g)
Vir praeſtans animi, paupere ſorte licet.

c) Nunc zur alten pyrg.
d) Vide chronicon Peuceri ſub Conrado III. Imperatore. A. 1140. e) Im Kirk begraben.
f) Ante captam a Turcis 1452. Conſtantinopolin. Beuther in Animadu. hiſtor. c. VIII. g) προγάσωρ.

Ille quadringentos tibi dux, Auguſta, volones
Contra Boiorum contulit arma truces. h)
Auſpiciis, vrbs clara, tuis fera bella ciendo,
Otia cuius ego munere docta colo.
Otia ſed contempſit auus, diſcrimina vitae
Contempſit. ſtimulat pectora magna dolor.
Fretus equo, gladiis et acuti grandine pili
Hic tibi non dubitat bella ciere, Leo.
Heu quoties atra in nebula et caligine lunae
Saltibus in denſis aſpera quanta tulit!
Infeſtae quoties ſenſit ludibria mortis!
Spectra viri ſpecie nunc, modo fronte ferae,
Impete quae fatum vaſto minitatur acerbum.
Eſt in conſpectu triſtis imago necis.
Ecce giganteis ſpecies ſe molibus inſert
Hunc auus armatum quod putat eſſe virum,
Contorquens celerem, neruo ſtridente, ſagittam
Pectoris in medii dirigit arte ſinus.
At miſer, haud fuit ille vir. atri daemonis aſtu
Fit tibi flammiuomus falſa figura globus.
Alta petens circumque caput galeamque coruſcam
Obuolitans, tandem nubila coeca ſubit.
Namque ſuis tali diffiſus tempore telis
Numinis implorat, mox quoque ſentit opem.
Sic tandem nox aegra virum terrorque relinquit,
Inde ſuos repetit laetus ouansque lares.
Qua te turrigera mons Wallerſteine corona i)
Splendidus oſtentans pinguia culta vides.
Hic quamuis ſeptis latitare quietus in hortis
Poſſet, in obſcuro deliciisque frui.
Non tamen alma quies placet, impiger omnia tentat.
Arma ciens, hoſtes nocte dieque petit.
Saepe quidem fugat hos victor. fugit ipſe viciſſim
Victus. habes varias, Mars maleſide, vices.
Praecipiti quoties hoſtilia ſpicula ſaltu
Eluſit? quoties flumina vaſta petens?

Effu-

h) Chronicon Auguſtanum Achillis Gaſſeri A. 1462. Bauchuzio ductore 400 volonum (Freifnecht) contra Ludouicum ducem haud contemnendam talionem Boiaris intulerunt.

i) Zu Wallerſtein im gemauerten Garten.

Effugii monimenta cruces videt Egra Lycusque k)
Mauchaque. Sed tempus fuſtulit illa vorax.
Flumina parua quidem. niuibus ſed et imbribus aucta
Diluuio campos opperuere ſuo.
Saepe etiam medio circumdatus hoſte, fefellit
Deluſos oculos coniugis arte ſuae.
Illa ſuis precibus perituri fata mariti
diſtulit. illa animos effugiumque dedit.
Muniit haec Orci galea, ſi credere fas eſt,
Pallas vti fortem Perſea, diua potens.
Cyllaron haec quoque perpetibus circumdedit alis,
Bellerophontei nobilis inſtar equi.
Ergo ferox animis, et pectore fortis et armis
Praeſidio ſuperum fretus, et artis ope,
Non prius infeſtare tuos, dux Boie, l) clientes
Vrgens perpetuo nocte dieque metu,
Deſtitit, ac certa pax conditione coiret,
Tuque viro princeps praemia certa dares.
Praemia parua quidem numero, ſed pondere magna.
Munera iuſtitiae ſymbola pondus habent
Ergo datur bellator equus, radiantia, dantur
Arma viro. dantur pauca talenta viro.
Pauca talenta quidem. ſed erat victoria laudi,
Quae magnis animis vnica meta placet.
Armis atque auro, tyrio de murice veſtis
Additur, ornatus conuenientis honos.
Placatusque duci, dextraque petitus amica
Principis inuicti, qui prius hoſtis erat.
Fida miniſterii permittit ſedulus arma,
Annuaque e fiſco munera deinde capit.
Hinc placidam coluit pacem Bauchuſius heros
Oetingae comitum munere tutus eques. m)
Haec ego te, genitor, recolo memorare, Georgi.
Qui mihi perpetuo numinis inſtar eris.
Nam tuus hoc amor et virtus praeclara meretur,
Hortus vbi Chriſti valle tegente latet.
Sed puer, heu cur non ſapit aetas! pauca notaui
De multis. coeca pleraqua nocte latent.

Nomi-

k) Eger Mauch Waßer im Rieß.
l) Herzog George von Bayern, der Reiche.
m) Gratias agit auctor illuſtribus comitibus Oetingenſibus maiorum ſuorum defenſoribus et patronis.

Nominis eſt aliquis forſan vel temporis errror.
Quae res perturbant ſaepius hiſtorias.
Quicquid id eſt, regum genitrix domus inclyta, laudes
Iſta tuas minime diminuiſſe putes.
Regna tuus tenet alta Leo, neque cura luporum
Eſt illi, ſi quos vel ſua culpa fugat;
Vel fugat ira potens, eadem placata quieſcit
Denique, nec miſeros nec ſine fine premit. (ſic)
Parcere ſubiectis et debellare ſuperbos
Clara Palatini ſtemmatis arma iubent.
Veſtra nouam hoc facto meruit clementia laudem,
Muneribus noſtrum quod decoraſtis auum.
Is coluit Martem, nos mollia numina Muſas
Apris atque lupis nobiliore ſtylo.
Hic dedit, (haud ſuperum contemno munera) nomen
Ingenio partum non breue. Liuor abi.
Saepe quidem infigis genuinum. Sed nihil amens
Proficis. infringes protinus arma tua.
Quam mihi laureolam Phoebus facilesque dederunt
Pierides, nitido ſemper honore viret.
Me Padus et Tybris nouit, me Sequana nouit.
Me Tagus et celeri Sarmata victor equo.
Hic Lupus in mediis potuit florere Britannis n)
Inſula ſed rapidis non adeunda lupis.
Nam mea germanum ſibi me Germania ciuem
Vendicat, vtque ſuum Rhenus et Iſter amant.
Bernicius genuit. variis ſors ſedibus egit.
Nunc Auguſta tenet. caetera nota deo.
Iſta quater denos nati conſcripſimus annos
Se medii luſtri conſociante nota. o)
Cum mihi iam medio brumam ducente Decembri
Somnus iners media nocte ſolutus abit.
Non ego, (ne culpes) facit hos inſomnia verſus.
Otia namque dies talia nulla daret
Nam modo chalcographo pereunt mihi tempora prelo,
Nunc ſubeunda vocant iuſſa potentis heri.
Nunc ornanda voluminibus noua bibliotheca.
Nunc opus eſt pueris βῆτα καὶ ἄλφα λέγειν.
Nunc triſtes cruciant morbi, curisque remotis
Lectulus inuitum me requiete fouet.
Haec inter me Pierides fugere. dearum,
Non niſi qui colit has ſedulus, optet opem.

Hacte

n) Alluſio ad nomen Wolfii. o) A. 1559.

Hactenus de origine familiae meae nugari libuit, quia nonnullos huiusmodi nugis non delectari modo, sed plus etiam, quam probitati et doctrinae tribuere animaduerto, vsque adeo, vt Appietates et Lentulitates fatuorum et improborum longe pluris faciant, quam sapientiae decus et ornamenta virtutis. Apud alios et genus et virtus, nisi cum re, vilius alga est. tanta est peruersitas atque amentia. Nunc ad me venio.

Natus ego sum in arce Oetingensi anno a natali Christiano MDXVI. Idibus Augusti, non multum, vt reor, ante solis occasum. tempus enim, patre ob publica negotia absente, a mulierculis πλατυκώτερον, vti solent, annotatum est, intra 6. et 7. horam a meridie. quae eaedem me Hieronymum appellarunt, seu obliuione, seu affectatione aliqua, cum pater Gregorii nomen imponi mihi voluisset. Et quidem plus vigiliarum habuit vita mea, (quod vtrumque doleo) quam sanctitatis. praestitisset enim placide dormisse, quam male vigilasse. Quod si horologium fefellit, (vt saepe fit, ac potius plerumque) potuit meus natalis paulo esse maturior. vt ex trutina Hermetis, quam vocant, ♒ 14 horoscopet. vel in septimam incidere, vt initium ♐ ex antegressa oppositione secundum Ptolemaicam correctionem tenuerit orientem. Caeterum vtramque hanc rationem non contemnendis argumentis euertit Ant. Montulmius. Iam quod ad inuestigationem puncti horoscopantis ex euentibus attinet, ei quoque rei haud scio quantum sit tribuendum. nam tametsi martialia pleraque subita, violenta et cruenta, Saturnia vero insidiosa, virulenta, luctuosa, diuturna perhibentur, tamen et eundem casum ob alias causas non sine rationibus accommodari video, et multa multis seu diuinitus, seu μαγικῶς euenerunt, quorum significationes in genesi apparent. — * Nescio quo fato meo

. . . . . fere

* Hic longum locum, astrologicarum et horoscopicarum

fere vbique locorum in homines incidi malsrum, quam bonarum artium ſtudioſiores, quorum et conſuetudine volenti nolenti fuit vtendum, et accipiendae ac muſſitandae iniuriae, ſaepe etiam pro maleficiis agendae gratiae. cum eae officiolis quibusdam, veluti venenum melle perlitum occultarentur. quae res me natura ſimpliciſſimum minimeque male cogitantem eo redegerunt, vt omnia ſuſpecta habeam. et, vt Troianus ille, metuam Danaos et dona ferentes. ἄδωρα γὰρ ὰ μόνον τὰ τῶν ἐχθρῶν, ἀλλὰ καὶ τῶν φιλίαν ψευδομένων τὰ δῶρα. In cauſa eſſe reor πολιτικῶς μὲν εἰπεῖν, τὴν ἄγαν ἐνίων φιλαυτίαν, qui ſe ἀθανάτες καὶ ἀγήρως καὶ μάκαρας eſſe ſtudent, et ſibi bonum eſſe, quam alteri, et alteri male eſſe, quam ſibi, quo iure, quaque iniuria malunt. idque vt conſequantur, quoad poſſint, (non autem tantum poſſunt, quantum volunt) nihil peſſimarum artium intentatum relinquunt. ἀστρολογικῶς δὲ τὴν μολιβδίνην μᾶλλον ἢ τὴν χρυσῆν ἀφροδίτην ὑπὸ τῷ κρόνῳ οἰκοδεσποτεμένην τε καὶ τετραγωνιζομένην (habet enim ſextilis longorum ſignorum vim quadrati) συνδεσαν δὲ τῷ ὑπερλάμπρῳ ἀστέρι τὸ σάκχος. — Dum reges pecunias vel luxu vel bellando conſumunt, nos rerum noſtrarum ſatagentes, iis vtamur, quibus meliora non habemus. modeſteque de hoc genere diuinationis ſentiamus. Prora ac puppis conſiliorum et actionum noſtrarum non in coniecturis dubiis, ſed in vero dei verbo collocata. Ego quod hoc animo et ſum et ſemper fui, vt ob praedictiones aſtrologorum neque honeſtos conatus deſerendos, neque ſpe rerum meliorum temere quicquam extra munus officii moliendum mihi iudicarem eſſe, magisque ſpectarem, quod valetudo mea, quod ingenii tenuitas, quod

nugarum plenum omiſi, ne taedio lectoribus et deriſui eſſem, neu bonum Wolfium ſannis exponerem.

quod loca et tempora permitterent in terris, quam quod in Olympico de me consilio decretum esset. — Hactenus non quidem astragalis, sed cum astrologis παίζειν μᾶλλον ἢ σπερδάζειν ἔδοξεν. a quorum et amatoribus et obtrectatoribus veniam peto, ab his si nimium, ab illis si parum eorum scientiae tribuisse videar. Neque enim pro nihilo ducere possum ea, quorum me conuincit experientia, neque illa pro oraculis habere, a quibus dissident euentus. Vnde coniicias, ipsam quidem artem esse veram, sed nec totam cognitam, et non semper, et a paucis recte accommodari. Nunc reliqua persequamur.

Ante me igitur nati fuerunt fratres duo, sorores tres, e quibus duae tantum sorores restant: quarum vna maritum alterum, liberos ac nepotes, vel neptes potius, hactenus quidem, habet; altera natu maior, foemina omnibus ornamentis, quae in eum sexum cadunt, abundans, monasterii Zimmerensis abbatia locuplete se abdicare, vt et illa, patriam atque opes relinquere, quam admittere quicquam, quod Deo non probari putaret, maluit. Etsi autem de earum probitate et testata beneficentia in omnes, quos iuuare queunt, et pietas et veritas, plura vt dicerem, postularent: tamen, vt inuidiae metu nihil aliud dicam, illud satis arguit, quales sint, quod me et fratrem, adolescentulos, donec emergeremus et ipsi, non sororio, sed plane materno affectu pro viribus et facultatibus adiuuerunt et ornarunt: rebus suis incommodioribus, nostris secundioribus ἀντιπελαργήσοντας. Quod bona fide et cumulate praestitum esse a nobis confidimus; itaque parens noster moribundus, cum illas, fratre Noribergae, me Tubingae agente, accersisset, in mandatis dederat, vt nos, sui liberi, mutua liberalitate et beneficentia vteremur: sic nobis omnibus nihil vnquam esse defuturum. Idem testatus est, se optima fide gessisse

fiſſe magiſtratus ſibi mandatos, nosque, ſe iam defuncto, fructus integritatis ſuae apud Comites Oetingenſes, percepturos. Qui fructus cum nulli (ſic) fuerint, (nam et Carolus Wolfgangus, prima quaque occaſione data ſororem Annam abbatiſſam deſignauit, et Ludouicus ſenior quoad vixit, ſe clementem et benignum nobis omnibus praebuit, vberiores hi futuri erant, niſi belli Germanici calamitas, vt plerisque in locis, ita et in patria noſtra, plurima turbaſſet, filiis aduerſus parentes, et fratribus aduerſus fratres excitatis: eo quod aetate et rerum vſu praeſtabant caeteris, Ludouico vna cum patre nominis eiusdem, in exſilium acto. A quo tandem ille reuerſus, haud obſcuras erga nos omnes beneuolentiae ſuae ſignificationes edidit, meamque inprimis conſuetudinem atque operam expetiuit, amplis conditionibus propoſitis, quod de fide mea et beneuolentia erga patriam praeclare ſentiret. Verum ego illas, obſtricta iam fide Auguſtanae Reip. accipere non potui. Atque adeo (verum vt fatear) nec omnia Aulae conſilia et facta probabantur, et verebar, ne et ob fratrum controuerſias in bellum Eteocleum, et libertate linguae (cui profecto imperare non poſſum, vt fraudibus et iniuriis aſſentiatur) in calamitates inciderem, ſtrenuam operam, id vt fieret, nauatura inuidia, quae vel ſolis conſpectum mihi eriperet, ſi poſſet. Poſt me nati ſunt duo fratres, quorum vnus reſtat, Henricus, Phil. et Medic. Doctor, Norimb. Phyſicus, et in arte ſua celebris et apud nobilitatem gratioſus. Qui vt aetate minor eſt, ſic et prudentia et proſperitate et eloquentia non minus quam opibus et dignitate et totius vitae proſperitate longe me ſuperat. — Ac quae ante fratrem hunc natum mihi acciderint, aut ignoro, aut indigna memoratu exiſtimo: niſi quod aui materni, grauiter aegrotantis, meque intempeſtiuo amore ſubinde contrectantis

tis halitu insalubri tenerum corpusculum non parum afflictum fuisse dicitur. Genesin autem hanc paulo interuallo multa mala et domestica et publica partim antecessisse, partim secuta esse feruntur; tumultus monetariorum, in quo pater tum Oetingae praetor, paene periisset· expeditio Francica Sueuici foederis, qua multa castella nobilium expugnata sunt et cremata, ob hospitium praebitum Ioanni Thomae Habsbergio, qui Ioachimum, Comitem Oeting. foederis illius praefectum, nescio quas ob controuersias, ex insidiis intra Werdam et Harburgum interfecerat. In hac historia duo memorabilia sunt, vnum, quod Comes a senatu Werdensi monitus, complures equites in illis locis conspectos esse, et praesidium aliquot bombardariorum, vltro pollicente, non paruit, siue quod turpe sibi duceret, in confinio ac conspectu prouinciae suae non nisi alienis auxiliis esse tuto, siue quod existimaret, neminem ex nobilitate ea fore perfidia, vt quicquam contra se, contra Germanicae nationis morem, non indictis inimicitiis moliretur. Alterum, quod Comitem de equo deturbatum, vnus e famulis complexus suo corpore protexit, donec vna cum domino a latronibus interficeretur. Sed ad domestica redeo. Eo tempore mater in malum incidit insanabile τῆς παραφροσύνης, defuncta demum Kirchemii infra Teccam, quod est Wirtenbergicae ditionis oppidulum, vbi de victu illi prospectum a patre fuit, annis paene triginta post; pestilentia grassata est in fratrem natu maiorem et sorores, oeconomia paterna dissipata. Nec multo post et ipse ex intestino apostemate plane deploratus fui, sed chirurgi cuiusdam nescio qua potione, cui monocerotis ramenta iniecta essent, sanatus:

Viuo equidem, vitamque extrema per omnia duco.

Cui pro nauata opera quoties ſim male precatus meminiſſe pudet et piget. Nam et ingrati animi hoc fuit, et cum reprehenſione diuini iudicii coniunctum. Neque enim me in ipſo aetatis limine, multarum calamitatum ignarum atque expertem, extingui, ſed et diutius et durius exerceri oportuit. Sed tamen plus millies cum ſuſpiriis et gemitu cogitaui, quam bene mecum eſſet actum, ſi tum eſſem mortuus, et fratrem Georgium, ac ſororem Catharinam comitatus. Impius atque importunus eſt hic affectus, ſed humanus tamen, et ita quidem, vt neſcio quis dixiſſe feratur, haud fere quemquam eſſe, cui in vita diuturnione non eiusmodi quaedam res obiiciatur, vt ſe mortuum eſſe malit, quam viuere. Eundem Aeneae quoque ſuo tribuit Virgilius:

— — — O terque quaterque beati,
Queis ante ora patrum Troiae ſub moenibus altis
Contigit oppetere.

Ex eo morbo recreato diſtortus nonnihil eſt ſiniſter oculus ex imitatione ſtrabae ancillae, ad quam domeſtici nihilo me feſtiuo puerulo prudentiores, (ſic) cum neque natura talis eſſem, nec ἐπιλημψία vnquam tentatus fuiſſem. Hoc nonnulli a me conſictum falſo putarunt, quum (etſi parui refert) adhuc teſtes eius rei fide digni ſuperſint. Facile tamen adducor, vt credam, δύναμιν φυσικὴν leui momento impelli potuiſſe. Nam Saturni et Lunae quadratus aciem ſiniſtri oculi hebetauit, eundemque Lunae Mercurii oppoſitus diſtorſit, vt coniicio, calamitati deformitate addita. Sed quod huic deceſſit, dextri acies firmiſſima penſauit, vſque ad annum aetatis trigeſimum, quo non modo de oculis, ſed et de vita mea paene actum fuit, vt ſuo loco referetur. Inde vſque ad annum aetatis vndecimum partim in patria apud Vrſulam Gallam, piam et honeſtam viduam, (quo tempore admodun familiaris fui

fui Friderico, Oetingenſi Comiti, qui mihi, ſi quando rerum potiretur, magna quaedam pollicebatur, ſed, ſicut ſit, ἐκ ἔτι γιγνώσκουσιν Ἀθηναῖοι Μεγαρῆας) partim in ſuburbano praedio patris Megeſſamio, quod is, ob arduum quoddam negotium proſpere confectum, dono a Theutonicis dominis acceperat, partim Nerlingae in ipſis belli ſeruilis tumultibus cum ſacrificulo quodam vixi non ſine recordatione ſtultitiae puerilis. Nam et conſpectu armatorum delectabar, et de rep. et de priuata ſalute minime ſolicitus, eoque magis, quod a ſchola vacatio dabatur ob periculum, et ſacrificulo defuncto, a quo plagas ſaepius acceperam, laetitia geſtiebam, vt e grauiſſima tyrannide in libertatem optatiſſimam aſſertus. Neque vero ſiue ob inconſtantiam ſtudiorum, quam paternae oeconomiae diſſipatio attulerat, ſiue ob inſcitiam et iniurias plagoſi cuiusdam orbilii, multum vltra lectionem et ſcriptionem vernaculam profeci. Tum rogatus a patre, mallemne Latinas literas diſcere, an aulicum ſcribam, propoſita (ſi ad virilem aetatem peruenirem) ſpe honeſti muneris agere, imprudens reſpondi, me Latinas malle. Quorum verborum cum ſtatim ob ſaeuitiam potiſſimum agaſonis magis, quam magiſtri, poenituiſſet, ea tamen conſtantia fui, vt turpiſſimum ducerem παλινῳδεῖν et quoduis potius perpetiendum eſſe exiſtimarem. Hic facere non poſſum, quin rem ridiculam commemorem. Audierat pater meus, Ciceronem ſcripſiſſe libros *de Officiis*, quorum inſcriptionem praeclarus ille magiſter vernaculo ſermone, audiente illo, interpretatus fuerat: *Von den Aemtern*. Sic autem nos appellamus non ea, quae cum virtute fiunt, ſed Praefecturas, et Quaeſturas, et Praeturas, aliasque procerum procurationes, ad quas ſane ex officio gerendas et magna prudentia et egregia virtute, abſtinentia inprimis, eſt opus. Verum ea de re pater, Latini ſermonis ignarus, (nam ſcripta quidem noſtratis linguae pleraque et ſacra et profana e-

uoluerat) non praecipue laborabat, quod existimaret, virum bonum, et natura duce et laudatorum exemplorum obseruatione, atque inprimis Christianae religionis praeceptis instructum, facile, quid et confectandum in vita et vitandum esset, perspecturum. Illud putabat ibi tradi, qua ratione et dominis inseruiendum, et ab agricolis vectigalia exigenda et rationes referendae essent. Sed quum vna atque altera pagella, vtcunque ab illo expositа, longe ibi aliud agi sensisset, vanitatem atque ineptias hominis perosus, aliud consilium de me cepit. Erat eo tempore Nerlingae vir excellenti facundia et doctrina, Theobaldus Gerlachius, Billicanus, Theologiae Doctor, qui non tantum conciones habebat ad populum, sed etiam subseciuis horis adolescentulos quosdam, rogatu parentum, in Graecis Latinisque literis, et dicendi ac differendi arte feliciſſime instituebat. Sed quia illius quoque seueriorem, quae ferebatur, disciplinam, quum nulla fortassis esset, aut certe moderata, et non nisi necessaria, horrerem, deprecabar id, ex inscitia aetatis, vnde vberrimos percipere fructus potuissem. Itaque κατὰ τὸν δεύτερον πλῶν, nec malo fato, Norimbergam ad D. Christoph. Iulium, clariſſimum ICtum, fui missus ipso natali meo, ab eoque Sebaldo Heideno, viro ingenio et eruditione praestanti, solertissimoque instituendae pueritiae artifici, commendatus. Id factum est A. 1527. cuius disciplina ad Calendas Septembr. anni 1530. vsque prima vtriusque linguae elementa vtcunque didici, cum aliqua ingenii et industriae laude. Non multum ante meum in eam vrbem aduentum Senatus prudentissimus in Aegidiano monasterio gymnasium aperuerat, doctissimis viris accersitis. Ibi tum Graecas et Latinas literas vna cum Philosophia docebat Ioach. Camerarius, poëtas Latinos enarrabat Eobanus Hessus, dicendi artes, sacris etiam interpositis, trade-

tradebat Mich. Rotingus, qui vnus adhuc ſpartam ſuam, vtpote difficillimis temporibus tuetur atque ornat. In Mathematis Io. Schonerus, in Hebr. lingua Io. Boſchenſtein, adoleſcentiam inſtituebant, viri et diligenter et egregie eruditi, vt optimarum artium ſtudioſi, ac trium linguarum amantes, aliam Academiam, in eo quidem doctrinae genere, non magnopere deſiderarent. Ad eos igitur audiendos tandem et ipſe a Sebaldo praeceptore mittebar, quod ingenio meo nimium fidebat. Nam ipſius quidem docendi ratio, captui rudiorum accommodata, nullo a me negotio percipiebatur. Sed quum illo ventum eſſet, immatura aetate ac potius doctrina (tum enim annum aetatis exceſſeram 13. quum Latinorum vix tertium ingreſſus eſſem) vernaculae Grammaticaeque explicationi aſſueto, quae ad dicendi artificium et rerum cognitionem attinebant, noua mihi omnia, obſcura, difficilia videbantur, parumque me erudiebant, rudem omnino, et non ſatis in primis elementis inſtitutum. Dices, cur non relinquerem id, quo me praeceptor deduxerat, tantoque me honore ipſe indignum iudicarem? Eamne tu prudentiam poſtules et moderationem a puero, eoque minime callido et gloriolae cupido, quam aetate maturiore perpauci praeſtant? Ego vero audiebam per aliquot menſes, ſed ita, vt Graeco prouerbio dicitur: ἔλεγέ τις ὄνῳ μῦθον, ὁ δὲ τὰ ὦτα ἐκίνει. Sed cum tandem aures aperiri mihi et fructus aliquis ex iis, quae tradebantur, ad animum meum redire videretur, egoque ſpem non vulgaris eruditionis concepiſſem, en triſtiſſimis patris literis in patriam reuocor, quouis exſilio tum magis inuiſam. Quos tu ibi animi mei aeſtus fuiſſe? quam triſtes et luctuoſas cogitationes? quantas rerum omnium deſperationes arbitrare? nam et natura fui ἐμπαθέστερος, et guſtu quantulocunque literarum percepto, perſuaſum habebam, id quod Pli-

nius pronuntiauit, omne perire tempus, quod ſtudio non impenderetur, illud etiam, vitam ſine literis eſſe mortem et hominis viui ſepulturam. Itaque iratus, contra quam et adoleſcentulum et filium decebat, atque aegre ferens, reſcribo patri, me delectari ſtudiis, nec meo tantum, ſed et praeceptorum iudicio diſcendis literis eſſe aptum: a quibus ſi omnino me abſtrahendum duceret, vel ſartori vel ſutori docendum traderet, eiusque voluntati parere neceſſe mihi eſſe. Eae literae puerili incogitantia et intempeſtiua iracundia elapſae, ita commouerunt patrem, vt reſcriberet, ſi absque clauſula illa fuiſſet: me voluntati ſuae parere velle: omnino ſe curaturum fuiſſe, vt ſutorem aut ſartorem magiſtrum haberem. Nunc eam rationem inituram, vt commodis et honori meo rectius atque melius, quam pro ſtultitia et temeritate mea conſuleretur. Adiiciebat, me literis ſubinde attexere clauſulam *obedientis filii*, ſed ita demum eſſe morigerum, ſi meis cupiditatibus ipſe obſecundaret. Redeo ad patrem, cui iam et ipſum tempus, nam trimeſtre interceſſerat, et conſpectus filii diu non viſi omnem iram abſterſerat. Accedebat commendatio praeceptoris et teſtimonia quorundam in patria non indoctorum hominum, qui ſcriptiunculas meas Latinas legerant et probarant. Excipior non modo amanter, ſed et honorifice, lenitur deſiderium ſtudiorum pollicitationibus et laudibus doctrinae atque ingenii, me in aula quoque Caroli Wolfgangi, Com. Oeting. et otii aliquid ad diſcendum, et Cancellarii Chriſtoph. Iulii, ICti praeſtantis, et omni genere literarum eruditi, humaniſſimique ſenis benignitate occaſionem me habiturum; addebatur et nummorum aliquid, vt cum ſodalibus potare liceret, officio modo fungerer, pecuniam mihi non defuturam. Spes mihi fiebat aliquando in ſcholam redeundi, a qua pater non tam, quod ſumtus ſuppeditare grauaretur. (et-

ſi iis quoque fortaſſe mouebatur; non enim eam artem ipſe exercuerat, qua nunc plerique praetores et quaeſtores paucis annis tantos reditus conſequuntur, quantum cenſum, qui tum habebat, lautus putabatur) me abſtraxerat, quam quod ei natura mea triſtior et ſeuerior, ac ſolitudinis, quam frequentiae, amantior, aulica hilaritate diluenda, et iracundia, cum pertinacia quadam coniuncta, conſuetudine dicteriorum et iniuriarum emollienda et edomanda videbatur. Nec eum ſane fefellit opinio. Nam qui prius eo eſſem animo, vt iniuriam nec ipſe cuiquam faciendam, nec ab vllo ferendam exiſtimarem, et leues offenſas, ſi minus liceret manu, indignatione et conuiciis vlciſcerer, et verbis et verberibus equitum et nobilium adoleſcentium vix equidem, ſed tamen factus fuerim (ſic) oue placidior, multaque aequo animo (aliter enim non poteram) et tulerim et fecerim, quae non ita pridem nec ferenda nec facienda eſſe conſtituiſſem. *τὰ γὰρ παθήματα μαθήματά μοι ἐγεγόνει.* Alioquin neque capilli manibus, nec dorſum et malae pugnis centaurorum ſuffeciſſent. Ipſe quidem Cancellarius et prudentiſſimi quique inter aulicos, me ob modeſtiam, probitatem, induſtriam, alacritatem inſeruiendi omnibus, qui operam meam requirerent, diligebant. Caeterum ſtudiis parum erat loci interdiu, cum tablinum non in Harburgenſi arce eſſet, vbi ego et pernoctabam et ſcriptione peracta diei reliquum exigebam, ſed in ſubiecto oppido in Cancellarii aedibus. Collega autem meus, qui ſe pro domino potius, quam collega, ob temporis et aetatis praerogatiuam, gerebat, iuuenis, Bacchi et Veneris, quam literarum, amantior, praetereaque magiae et herbariae medicinae deditus, quosuis potius, quam me, in conclaue, ſcribis in arce deſtinatum, admittebat. Itaque cum in publico hypocauſto vel calamus ad ſcribendum, vel libellus ad legendum in manus ſu-

mebatur: dii boni, qui ſibili, quae dicteria, quae vellicationes, quae grando oſſium et calceorum ſequebatur? vt prius paene deſiſtere cogerer, quam coepiſſem. Erat id adeo moleſtum, vt vitae me poeniteret. Sed nec patri, nec domino quicquam conquerebar, quicquid morderet animum, ad Deum potius, quam ad homines, deferre ſolitus. Nec tamen a libris omnino recedere poteram. Cum igitur et anni et diei tempus ferebat, aut in proximum montem, aut vicinum ſaltum me conferebam, ibique vel inambulans, vel, vt Tityrus ille Virgilianus, patulae recubans ſub tegmine fagi, horulam vnam atque alteram, deliciis meis fruebar. Habebam autem tum bibliothecam, meo iudicio (vt qui nullam vidiſſem aliam) non male inſtructam, D. Eraſmi Roterodami, Phil. Melanchthonis, Io. Lud. Viuis, cuius introductio ad ſapientiam (etſi me minime ſapientem eſſe doleo) plurimum mihi profuit, et recentiorum Theologorum opuſcula complura; fabulas item Graecolatinas, cum Terentio, Virgilio et aliis quibusdam poëtis, quos Norimbergae de peculio meo, genio etiam fraudato, paraueram, eamque ſubinde aliorum libellorum acceſſione augebam, neglectis ſympoſiis, neglecto veſtium ornatu, ſatis me ornatum exiſtimans, ſi libellos elegantes haberem. Legebam quidem multa, ſed pauca intelligebam, quum Lexicon, e quo quicquam requirerem, adeo non haberem, vt et, quid eſſet Lexicon, ignarorem, et vtrum tale aliquid in rerum natura exſtaret, neſcirem. Cancellarius autem, etſi ICtus egregius, et Philoſophus non contemnendus, orator etiam praeclarus habebatur, minus tamen (vt tempora illa ferebant) verſatus erat in eo genere ſtudiorum, quo ego inprimis delectabar, poeſi et lingua Graeca. Atque adeo quum me et ingenio valere putaret, et ſingulari eſſe praeditum ſtudio videret, ſaepe hortabatur, vt, omiſſis nugis iſtis

poëti-

poëticis, quae non ad parandas opes, sed ad mendicitatem augendam facerent, Iurisprudentiae studium amplecterer, quo et reip. inseruire et priuatis meis rationibus consulere possem. Fortassis et illud spectabat, vt me et generum ascisceret, et muneris sui successorem, qui de patria communi bene mereri et vellem et possem, relinqueret. Itaque optimus senex et mei amantissimus institutiones Iustiniani, quas a quodam cum commentariis dono acceperam, per otium mihi interpretabatur. Ac diligentia interpretum, qui nullam voculam inexcussam relinquerent, valde mihi probabatur. Barbaries autem verborum aeque displicebat. Praeterea cum ICtos et auaritiae et iniuriarum antistites potius esse, quam iustitiae sacerdotes vulgo audirem, etiam religione quadam ab illo doctrinae genere abhorrebam, ignarus scilicet, eadem re et bene et male vti licere, ac bene eo magis, quo ipsa res esset melior et praestantior. Quid autem post doctrinam Christianam est interpretatione et administratione iustitiae melius atque praestantius? Cum igitur bonus ille vir et prudentia singulari praeditus stoliditatem meam perspexisset, inuitis canibus venari velle destitit, eaque praedixit, quae malo meo, dum scholasticum hoc vitae genus persequor, per annos complures sum expertus. Est enim ea debita stultitiae merces, vt, qui nec ipse sapit, nec prudentioribus obtemperat, suis consiliis fruatur. Eorum vero, qui fructus est? inopia, contemtus, sera poenitentia. Neque hoc scribo, quod me eius fortunae, qua nunc sum, poeniteat. Gratias enim ago Deo, et inclytae huius vrbis magistratui, qui ita mihi prospexit, vt nec laboribus obruar, et nulla re necessaria egeam, vt qui sim ἀγαμός τε καὶ ἀγονος, quae fere summa est felicitatis meae, nequaquam inuidiosae, nisi idem sit et amentissimus et inuidentissimus. Sed quam multa perpessus fuerim, priusquam

huc peruenerim, quam multas et hic aerumnas exantlarim, qui credere nolet, ipse velim experiatur. Quod si patri meo et alteri patri, Cancellario, obtemperassem, nec honesti matrimonii, nec dignitatis et rei familiaris augendae occasiones in ipso iuuentutis limine defuissent. Nunc philosophiae praesidiis magnopere mihi opus est, et ad solitudinis molestias tolerandas, et ad contemtum atque neglectum mei prae iis, qui non decimam partem studiosorum laborum ceperunt, aequi bonique faciendum. Quae ideo commemoro, ut adolescentes moneam, bonorum et prudentium senum consilia suis vti cupiditatibus anteponant, quos verissime scripsit Comicus impense cupere, et non consulere in longitudinem. Nec ego vllam adolescentis virtutem maiorem esse iudico, quam parere monitis eorum, quos longa aetas multarumque rerum vsus eruditunt. Sed haec extra oleas, quod aiunt. Ad bibliothecam igitur meam redeo. Quae cum libris maxime necessariis careret, non ita multum mihi profuit, ac plus ad minuendas molestias et qualemcunque oblectationem valuit, quam ad augendam eruditionem. Quod si optimi quique libelli de ratione studiorum et tot tam copiosa Lexica mihi suppetissent, quibus in hac Augustana schola nunc vel egentissimi vti et frui possunt, quam me beatum iudicassem! Imo patrimoniolo conseruato et studere literis, et rem facere mihi licuisset, mutis praeceptoribus contento. Agebam tamen, quod poteram, ac satagebam potius, mouens quidem sedulo, sed parum promouens. Conciliabam mihi vigiles, qui mane ante horam quartam me expergefacerent quotidie; conciliabam coquos qui candelae accendendae potestatem darent, (nec enim excutiendi ignis instrumenta noueram) et centauris partim dormientibus, partim stabulo curando occupatis, ad horam vsque sextam fere sine interpellatoribus, et hyberno

berno tempore minime aeſtuans in frigido hypocauſto legebam Scribebam etiam verſus, (ſi diis placet) et declamationes et dialogos, cum, ita me Deus amet, quid illa eſſent, ignorarem, imitatione tantum, et captato numero ſonoque verſuum. Syllabae mihi omnes communes erant, omnes loquendi modi probati, decorum et rerum et perſonarum erat, quod in mentem, vel buccam potius, veniebat. Dicendi autem artificium, qualicunque ordine Germanicarum ſcriptionum, quibus exercebar, et Hegendorffini praeceptiunculis, quas didiceram, conſtabat. Quem tu ibi Virgilium recitantem? quem Lucianum differentem? quem Ciceronem aut Demoſthenem declamantem audiſſes? Attamen ex illis chartis, nonnullas de plurimis, quae perierunt, vt dignae erant, nunc anno paene quadrageſimo poſt, ſi quando inſpicio, non ſine riſu miror, talia nullis praeceptis inſtructo in mentem venire potuiſſe, et verſus aliquot ſuis conſtare numeris, cum pſalterium Dauidicum heroico verſu ſcilicet conuertendum ſuſcepiſſem. Degebat in veſtibulo arcis vir non indoctus, et perhumanus ſenex, Io. Caeſar, parochus ſubiecti oppidi, multorum filiorum pater, qui omnes nunc Euangelium variis in locis docent. Is, quum ex vno atque altero congreſſu, me, qui et expedite Latine loquerer, et prudenter reſpondere viderer, nec ingenio, nec doctrina, pro aetate carere crederet, rogat, vt filiis ſuis Terentium praelegam. Impetrat facile. Praeceptorem Sebaldum imitans, Latina verbis Germanicis, quam optimis licebat, declaro, loquendi formas excerpo, ad imitandum propono, epiſtolia vernacula praeſcribo, quae Latine redderent, αὐτοφυὴς ὢν καὶ νεόφυτος διδάσκαλος, et tamen inter coecos luſcus regnabam, dum auditores (quorum nonnulli aetate mihi fere pares meam caſtigationem non aequiſſimis animis ferebant) alio a patre ablegarentur. Hoc modo

cum

cum amplius triennium exegiſſem, nunquam per Centauros quietus eram, qui me ob ſeueritatem et animi contentionem aſſiduam, ſtudiis quidem neceſſariam, ſed maiorem viſam hominibus ſtolidis, et inguinis et capitis quae diſcrimina eſſent, vt Satyricus loquitur, fere ignorantibus, pro lunatico et fatuo, quum alio tempore non poſſent, in omnibus coenis exagitabant. Ob quae cum tamdiu ridiculum atque inuiſum eſſe puderet et pigeret, creſcente praeſertim ſtatura, tandem conſilium capiebam, libris in ciſta concluſis, aulicum agendi. Comparſeram aureos aliquot a patre dono datos. Eo Nerlingam, pugionem, ornatum pileolum, faſcias tibiarum, et neſcio quae alia crepundia, quibus aulica pubes gaudet ac ſuperbit, emturus. Sed quid fit? non poſt feſtum, ſed poſt nundinas venio: peregrini mercatores abierant; quum ea, quae deſiderabam, expoſita non viderem, in tabernas ingredi et percontari pudebat. Fui enim natura ita ſeu timidus, ſeu verecundus, vt nec honeſta et iuſta, aut certe ea, quae a nemine reprehendi poſſent, niſi a notis et familiaribus petere auderem, et ſi quid turpe diceretur aut fieret, magis erubeſcerem, quam nunc pleraeque virgines ſoleant. Ea δυσωπία, vt ad turpia cauenda multum mihi profuit, ita et multis commodis meis obſtitit, et in mala non pauca inſontem coniecit. Rediens e foro tranſeo templum D. Georgii, domum, re male geſta, vel infecta potius, rediturus. Ibi forte fortuna bibliopolam conſpicio, qui libellos non ita pridem Frankfurto allatos expoſuerat; conſpicio Valerium Maximum, Lexicon Graecolatinum, forma 8va, a Gilberto Longolio editum, quod vicem praeceptoris in Graecis literis per annos complures mihi praeſtitit, et opuſcula quaedam poetica et rhetorica. Emo, redeo domum, eademque via atque opera cum Muſis meis in gratiam redeo. Quas quia in aula colendi nulla occa-

occaſio et perexigua ſpes erat, propter eas, quas expoſui, moleſtias, iniurias, indignationes, de reditu in ſcholas dies noctesque cogito, nec prius tamen voti compos fio, quam in morbum incidiſſem, indignatione Veneris, vt opinor, (neque enim accuſandi ſunt, quos criminis conuincere non poſſumus) immiſſum, quae ſe prae Mercurio a me negligi videret, ἐκ εὐπρεπῆ μὲν ῥηθῆναι, λυπηροτάτην δὲ ὑπενεγκεῖν, γονόῤῥοιαν καλοῦσιν οἱ ἰατρῶν παῖδες. Id malum me ſubito inuaſit anno 1534. circa nonas Maii, (ſi recte memini) tempore pomeridiano intentum declamationi ſcribendae, neſcio cuius argumenti, et quidem tanto cum impetu, vt coelum terrae miſceri videretur. Ac id quidem minime factum eſt, neque fiet, illud autem accidit, vt, dum verecundia retardatus malum id pro virili diſſimulo, (nam ex macie et inſolito pallore ſatis apparebat, me occulto quopiam morbo vexari) et neſcio, quae medicamenta in libello quodam lecta et imperite et fruſtra adhibeo, vires tam corporis, quam ingenii, plurimum debilitarentur, atque animus inſigni moleſtia conflictaretur, per annos integros ſeptem. Quorum poſtremo ita inualuit, vt et ſomno me priuaret, et ad tabem redacturum videretur. Neque ſuſpicio abeſt, me illo quoque anno, quem dixi, ſeptimo Veneris cuiusdam iram ſenſiſſe, δυσκόλως γὰρ ἡ θεὸς ἔχει ἐρῶσα πρὸς τὺς ἐκ ἀντερῶντας. Ridicule queritur apud Plautum miles: nimiam eſſe miſeriam, hominem formoſum eſſe nimis. Sed me ab ea miſeria ne deformitas quidem mea, et macies, et imbecillitas, et ruſticitas, et omnium occaſionum pro virili euitatio, et perpetua ſtudiorum occupatio, vindicare potuerunt. Adeo verum eſt, quod noſtrates dicunt, ſacras aedes ingredi plures charos, quam formoſos. Ibi vero neceſſitate pudorem vincente, conſulo medicum Nerlingenſem, Ioannem Weidemannum, cognogno-

gnomento Formularius, (ſic) virum doctum et perhumanum. Is, obiurgata prius ſtulta verecundia mea, cum a virginibus etiam de multo foedioribus morbis libere ſe conſuli diceret, medicamenta adhibebat, quibus etſi nonnihil leuabar, non prius tamen malum depulſum eſt, quam frater meus Tubingae de Leonardi Coturnini ſententia me anno 1541. in thermas ferinas ire iuſſit, quarum aquae et tunc et poſtea ſaepius mihi ſalutares fuerunt. Locus hic eſſet admonendi adoleſcentes de duplici pudore: de quo praeclare philoſophatur Euripidis Hippolytus, cuius ego fatum aliquando vix euaſi, niſi perexiguus iam in plerisque adoleſcentibus et virginibus etiam eſſet pudor. Sed quia haec poſterius acta ſunt, ad ſeriem narrationis redeo Etſi Harburgi et victus lautus erat, et optimi quique me charum habebant, tamen non prius conquieui, quam a patre impetraſſem, vt annum vnum atque alterum ſe ſtudiis meis ſumtus ſuppeditaturum eſſe polliceretur. Id enim perſuaſum habebam, ſi mediocria vtriusque linguae et philoſophiae fundamenta ieciſſem, me reliqua, quae ad propoſitum meum facerent, priuata induſtria et diligentiae aſſiduitate facile conſecuturum. Eius voti anno 1535. ſub Calendas Martias compos factus, Noribergam, quinto anno poſtquam ſcholas reliqueram, ſum reuerſus, ad veterem praeceptorem meum, Sebaldum Heidenem, a laetitiis aulicis et vini copia ad ſcholaſticam frugalitatem καὶ ὑδροποσίαν, quamquam imbecilli ſtomacho parum ſalubrem. Cupiebam enim plus animo ſapere, quam palato, nec me inter pueros magiſtris proceriorem ea, quae exciderant, aſſidentem repetere, quaeque in puerili doctrina ignorabam, addiſcere pudebat. Quod quotusquisque nunc eſt, qui facere non recuſaret? Propterea eandem me gy-

me gymnasii Aegidiani rationem ibi reperturum, quam discedens reliqueram, stulte putabam. Sed quid sit? Eo cum rediissem, Eobanus Hessus siue ob annonae caritatem, siue ob auditorum infrequentiam, discesserat, obierat Io. Boschenstein Hebraeus, Ioach. Camerarius abitum parabat, reliqui erant Schonerus Mathematicus, sed valetudinarius, et Rotingus, artium dicendi professor. Quantopere autem temeritatis illius me tum poenituerit, qui non omnia diligenter prius exploraſſem, dicere quid attinet? Eas igitur erroris mei poenas dedi, vt maiore et sumtu et molestia Tubingam, quo praecesserat Camerarius, cuius inprimis (vt qui et Graecarum et Latinarum literarum doctrinam e solidis quasi fundamentis exstrueret, nihilque paruum duceret, sine quo magna constare non possent) audiendi cupidus eram, me conferrem. Ac in eo sane deceptus non fui, quod vtriusque linguae doctissimum, summoque in omni disciplinarum genere iudicio praeditum virum consectabar. Sed in illo stulte ac potius calamitose feci, quod eundem de ratione studiorum meorum in consilium non adhibebam, inepta verecundia impeditus. Nam quum vtriusque linguae Grammaticae non satis essem peritus, ac felicitate quadam ingenii potius, quam certa cognitione latine graeceque vtcunque balbutirem, non modo poëtarum et oratorum explicationes, sed Dialecticos et Mathematicos et Philosophos, exiguo sane meo cum fructu, (captum enim illa meum superabant) eo audiebam, quod sodales quidam, nihilo me prudentiores, ita necessario faciendum esse mihi persuaserant. Nondum enim ea erat inita ratio, quam nunc, praeclaro sane instituto et magno discentium fructu, obseruari audio, vt exploratis ingeniis et doctrina adolescentulorum vnicuique vel priuatus praeceptor assignaretur, vel, quae lectiones audiendae essent, praescribe-

ſcriberetur. Barbarica tamen illa conſuetudo manebat etiam tum, vt ſtolidiſſimo et importuniſſimo cuique aduenas omnibus et verborum et verberum contumeliis exagitare licitum eſſet. Depoſitionem vocant, quae probatio eſſe debebat ingeniorum et animorum liberalis, maturae aetatis et doctis viris, non petulantibus adoleſcentibus adhibitis. Narranda hic eſt et vana perſuaſio mea de eorum, qui in Academiis verſarentur, inſigni doctrina, quam tum in perpaucis vix mediocrem deprehendebam, et erant inter illos, qui me aliosque nouitios de more ſubſannabant, et pulſabant, complures, qui aegre admodum tria quatuorue verba ſine ſoloeciſmis poſſent proloqui. Ibi ego mecum: Hem tibi Atticam eloquentiam! Vah quanta de ſpe decidi! Habent ſcilicet et Academiae ſuos Aſinos Antronios, eosque et calcitroſos, et iis, qui ſacra Iſidis geſtant, elatiores. Sed ad auſcultationes meas redeo. Ariſtotelicum ὄργανον graece praelegebat Wilh. Bigotius Gallus, Dialecticam Ioannis Caeſarii Ioannes Gebhardus, Euclidis Geometrica Ioannes Hildebrandus. Verum erant illa mihi omnia ita admirabilia et obſcura, vt ſi aliquos ex nouo orbe aduenas ſua lingua loquentes audiuiſſem. Iacobus vero Scheggius dialogos Luciani Graecos, Ioach. Camerarius Sophoclis Tragoedias, Ioan. Benignus Quintilianum, Mich. Veius Salluſtium interpretabantur: quibus audiendis me quantum proficere non poenitebat. (ſic) Nec ita multo poſt Sebaldus Hauenreuterus cum Norimbergenſibus diſcipulis in Tubingenſe collegium ſe conferebat, cuius praeter alia officia, quae in me conferebat, priuatae quoque lectiones mihi commodaſſent, ſi iis recte vti potuiſſem. Quia vero illius diſcipuli Calepinum habebant, cui Graecae explicationes additae eſſent, voculis hinc inde conquiſitis, in Graecis epiſtoliis ſcribendisque verſiculis inuicem certabamus

mus. Iam quia Camerarius valetudine impeditus rarius praelegebat, ego morae impatiens, quae ab illo inchoata erant, obſeruata illius interpretandi ratione, Lexicoque adhibito, conuertebam, eoque ſtudio cum primis mihi videbar beatus. Verum ſubinde mordebat animum temporis a patre praefiniti breuitas, qui, biennio exacto, me in aulam regis Ferdinandi, quorundam amicorum pollicitationibus fretus, ablegare conſtituerat. Cum igitur offerretur occaſio, qua me id tempus, ſine acceſſione ſumtuum, conduplicaturum ſperabam, ſordidum famuli communis munus (etſi quidam vir clariſſimus et principes, et pontifices et reges, qui officio fungerentur, nihil niſi famulos communes eſſe pronuntiare non dubitauit) laetus atque alacer ſuſcepi, quod et pater, ſi reſciſſet, indigniſſime laturus erat, et nunc mendici plerique, qua ſunt ignauia et ſuperbia, contemnerent. Qui quia μήτε φείδεσθαι, μήτε κερδαίνειν, μήτε καρτερεῖν μηδὲν volunt, ſed omnia quaſi diuina virgula, ἀκονιτὶ καὶ ἀνιδρωτὶ, ſuppeditari ſibi poſtulant atque flagitant, luxuque veſtium et victus deliciis cum patriciis et nobilibus certandum ſibi cenſent, vereor, ne propediem futurum ſit, vt patroni et ſumtuum et impudentiae atque ignauiae pertaeſi, pecuniam illam in quosuis potius vſus conferendam cenſeant, praeſertim quum vix decimus quisque ita ſe gerat, vt eius vel in ſcholis, vel in eccleſiis, vel in rep. vſus aliquis eſſe poſſit. E quo grege memini aliquando mihi narranti, quas aerumnas amore ſtudiorum adoleſcens pertuliſſem, vtque pleraque itinera et pedes, et viae ignarus et incomitatus, hiberno ſaepius quam aeſtiuo tempore perfeciſſem, et Tubingae non, niſi quum fontana aqua propter imbres turbidior flueret, vinum bibiſſe, ferociter reſponſaſſe, num exiſtimarem, omnes alios eadem, qua me, infelicitate ac tolerantia laborum et

continentia esse oportere? Sed quid adolescentes mireris, illud Satyrici oraculum minus reputantes:

> Haud facile emergent, quorum virtutibus obstat
> Res angusta domi etc.

quum etiam in barbatos Philosophos (ne barbaros dicam) inciderim, qui ob eam rem me contemserint, propter quam, vt laudandus non fuerim, vituperari certe non debui. Nam si id inopia coactus feci, (neque vero vnquam rebus necessariis carui, neque stipem ab vllo exegi, et quum pauperrimus fui, amplius florenorum quadringentorum rem habui, sumtus studiorum quidem saepius defuerunt) quod istud est Philosophiae genus, quod eum despicit, qui honesto labore victum quaeritat, Cleanthem illum, quem superbi condiscipuli ὄνον καὶ φρεάντλην per contumeliam cognominarunt, imitando? Socraticum certe non est, non Platonicum, non Aristotelicum, non Zenonium, non Carneadeum, Christianum vero multo minus. Oratoribus quidem inter sese mordentibus et Comicis ac Satyricis familiare est, inopem adolescentiam et sordidos natales obiectare iis, qui vel in pecunia sunt insolentes, vel in potestate sese extulerunt. Eum vero, qui et modestissime viuit, et adeo neminem prae se contemnit, vt omnibus potius, etiam indignis, honorem deferat, hoc modo criminari, non est (vt lenissime dicam) nisi magni ardelionis. Sin ob honestissimam causam stultae vulgi opiniones minus apud me, quam grauissima sapientum virorum auctoritas valuerunt, et ob verum iudicium, et propter animi constantiam, fortasse laudari debeam potius, quam sugillari. Quaero enim ex beatis istis atque semideis, honestiusne sit, calefacere hypocaustum, an foedis aestuare libidinibus? aquam et ligna portare in culinam, an cibis confertum vino se ingurgitare? quadras et patinas abluere, an vomitu foedare cubiculum?

lum? ſternere lectum, an alieno thoro inſidiari? miniſtrare ſtudioſis adoleſcentibus, an ſuperbe iisdem inſultare? claudere et aperire fores, an egrediendi et ingrediendi tempus ignorare? libris intentum in multam noctem lucubrare, an gladiatoria ferocia plateas peruagantem ſtentoreis vociferationibus ciuium ſomnos interrumpere? antelucanas opificum operas mane ſurgendo anteuertere, an telluris inutile pondus et fruges conſumere natum in medios dies dormire? verrere pauimentum, an ipſum eſſe περίψημα καὶ κάθαρμα τῆς ἀκαδημίας? Ac priora quidem illa omnia ego me ſedulo feciſſe confiteor, et illam tenuitatem Fuggeranis lautitiis, quibus per annos integros vndecim inter Barones et Comites, in holoſericis ſellis et ſplendidiſſimo apparatu, cum nobiles adoleſcentes aſſidenti miniſtrarent, vti frui licuit, praetuliſſe. Poſterioa haec qui facitant, honeſtiſſimi ſcilicet iuuenculi ſunt, ac praeclara eccleſiae et reip. ſeminaria, columina, ornamenta, ἐγὼ δὲ διὰ τὸ σῶφρον, καὶ ταπεινόφρον, ἔργων ἀδὲν ὄνειδος, ἀνεργίης μέγ' ὄνειδος, ἡγησάμενος, ὥσπερ οἱ Μεγαρεῖς, ἔτε τρίτος, ἔτε τέταρτος, ἔτε δυωδέκατος, ἔτ' ἐν λόγῳ, ἔτ' ἐν ἀριθμῷ. Equidem miror iſtos non etiam principum virorum filios deridere, et torquatos atque holoſericatos medicos, qui quas ſordes pontificii, caeſarei, regii cubiculi non exhauriunt? Sed hanc litem rectius poſteri diſceptabunt, quorum aequioribus iudiciis me conſolor. Interim ad meam prouinciam redeo, in qua dum Iac. Scheggio, rectori collegii, quam Burſam vulgo vocant, inſeruio, Io. Scheubelius, quem plerique noſtrae aetatis Euclidem perhibent, ab illo impetrat, vt nobis Euagoram Iſocratis interpretetur: quae mihi prima fuit, (vt alibi ſcripſi) auctoris illius et admirandi, et perlegendi, et conuertendi, ac denique ſaepius edendi in publicum, occaſio. Aſſignatum mihi fue-

rat et cubiculum, lemuribus, vt aiunt, infestum. Quod ego, quum nescirem, non curabam. Verum aliquanto post, cum per occasionem in aliud commodius immigrassem, sodales mei mirabantur, me tamdiu illic manere potuisse, rogabantque, numquid noctu territus non fuissem? Ego vero nihil vnquam horrueram, iratus fueram saepius iis, qui supra me habitabant, cum grandium saxorum intempesta nocte volutationem audire mihi viderer, vnde somno excutiebar, sed mox iterum consopiebar, male precatus importunis illis hominibus, qui ne noctu quidem nec ipsi quiescerent, nec me et seruitutis et studiorum laboribus fessum quiescere paterentur. Verum fiebat illis a me (vt postea cognoui) vel Epimenideum somnum dormientibus iniuria. Narrabatur autem siue fabula, siue historia, (de qua suo quisque arbitratu statuat; ego id refero, quod tum celebre erat inter studentes) fuisse olim famulus communis, a nobili adolescentulo, quod is noctu pulsanti fores cunctantius aperuisset, indignante, pugione transfossus, atque ab eo tempore id cubiculum, in quo miser ille animam efflasset, semper infestum fuisse. Me vero nocturni illi tumultus parum mouebant, illud molestum erat, quod petulantiores adolescentuli subinde mecum expostulabant, quod iniquis eorum postulatis, contra mandatum Rectoris, nocturno tempore collegii reserandi, et mendacio culpam excusandi, assentiri nolebam, quum quidem a nonnullis etiam riderer, quod dicerem, mentiri me neque velle, si possem, neque posse, si vellem. Quod omnino verum erat. Qua enim fronte ipse mentitus essem, aut mendacium dissimulassem, qui vel alio mentiente, statim erubescebam, tacitum vultu meo in illum dicente testimonium. Itaque rerum illarum pertaesus, missionem a Rectore petebam, quaerente, quid causae esset, ac defensionem pollicente, si qui

si qui mihi essent molesti. Sed ego nominare volebam neminem, et accersitus a patre decumbente, honestam illam quidem, sed instituto meo plane aduersantem discedendi causam habebam. Cum enim arx Oetingensis conflagrasset, et ipse suppetias accurrens, lapsus in glacie, pedes allisissetur, tumor ex eo consecutus fuit cum rubore, et hydrops, natura iam ante, vt opinor, debilitata, (longo enim tempore ante, vrgente siti, etiam noctu bibere coactus fuerat) erupit. Est et de occasione illius incendii aliquid dicendum. Erant in arce tum bina hypocausta, alterum alteri impositum, fornace in id culmen per foramen educta, vt vtrinque vna calefieret. Comes autem Ludouicus senior, homo procerus et macilentus, quum hieme saeuiente, ignem multum augeri iussisset, ex ardore inferius tabulatum iuxta fornacem paulatim inflammatum totius arcis ruinam secum traxit. Ita illud seu calefactionis compendium, seu lignis parcendi studium, multis aureorum millibus constitit. Videtur et patris mei casus augurium quoddam habuisse. Nam tum in domo Teutonica habitabat, et (sic) per templum, via breuiore et commodiore, ingredi et egredi solebat. Transiturus autem cancellatum ponticulum, supra foueam eo factum, ne pecudes locum sacrum intrarent, in eo ipso glacie vitrea obducto, concidit, quasi omine quodam, in eo templo manendum esse, in quo aliquot mensibus post sepultus fuit. Post eum vero casum ad Mariam sororem meam se contulerat, aerumnosam mulierem, φιλοσοργοτάτην, quo diligentius curaretur. Me vero secum habebat, tum ad fallendum taedium solitudinis, tum vt ministerio meo vteretur. Quod non fuisse tale, quale oportet, non sine molestia recordor. Praestabam enim sedulo quidem, quod iubebar, sed ea prudentia non eram, vt vltro facerem, quae aegroto commodarent, eiusque

animum oblectarent, nugis ſtudiorum meorum perpetuo intentus, neque reputans, quid res, quid locus, quid tempus poſtularet. Quam multa, ſi ſapuiſſem, cum delectatione haud minore, quam vtilitate mea tunc ex patre, plurimarum rerum perito, et publica et priuata cognoſcere licuiſſet? Sed ego ineptus interim Hexametro carmine αἰλουροκυνομυομαχίαν, et interitum Nigri exercitus, poſt obitum Matthiae Coruini, Pannoniae regis, (quam hiſtoriam e patre audieram) et querelam Muſarum Elegiaco deſcribebam, verſibus amplius ſexcentis, quos me aſſeruaſſe vellem diligentius. Nunc προμηθεὺς μετὰ τὰ πράγματα γενόμενος, nihil habeo reliqui, niſi vt ipſe mihi cum ob hoc ipſum, tum propter parentem minus ſolicite curatum ſuccenſeam, ac naturam meam paene ipſe oderim, quae me hominem fecerit, monaſticae vitae, quam politicae, multo aptiorem. Itaque ne longa quidem aetate et conſuetudine diuerſiſſimorum ingeniorum factus alius, etiam nunc haud multum abſum ab iis moribus, (quod quidem ad ἀπραγμοσύνην attinet) qui in Theaeteto Platonis deſcribuntur. Neque enim ſatis verecunde illud mihi arrogare auſim, quod idem auctor Iſocrati noſtro tribuit, ὅτι φύσει ἔνεστί τις φιλοσοφία τῇ ἐμαυτοῦ διανοίᾳ. Hoc tamen eſſe verum, partim quotidiana vita, partim lucubrationes meae, tum editae, tum in Muſeo meo deliteſcentes, nec vnquam, me quidem viuo et volente, edendae, teſtari poſſunt, me ne nunc quidem quicquam, niſi libros meos, et ea, quae mei muneris ſunt, magnopere amare. Vnde fit, vt non modo, quid publice priuatimue ab aliis geratur, fere ignorem, niſi quid obiter et aliud agens reſciero, ſed et in his ipſis aedibus, in quibus dies noctesque verſor, et in ſolennibus congreſſibus non ſatis dextre gerere me ſoleam, ſaepe etiam ridear a naſutis. Poſteaquam enim

enim ex Fuggerana familia discessi, et familiarium magnae partis erga me studia refrixerunt, qui non Wolfium videntur propter doctrinam et probitatem, (quod falso opinabar, meque putabam, quantum per aetatem et eruditione et virtute profeciſſem, tanto et honoratiorem et chariorem fore) sed Fuggeranum splendorem sub Wolfii nomine coluisse, aut aliquid aliud consilii, quod ipsi norunt scilicet, neque me exquirere decet, habuisse, neque conuenio fere quenquam, nisi aut vocatus, aut coactus, neque conuenior ab aliis, nisi qui mea opera indigent, iique congressus plerumque sunt Areopagitici, ἄνευ προοιμίων, καὶ παθῶν, μηδεμίαν ἔχοντες τὰς τῶν παρεκτροπάς. (sic) Itaque multo post ea cognosco, quae et lippis et tonsoribus nota sunt. Nascuntur multis liberi, aegrotant, moriuntur, matrimonia item contrahunt, et re ac dignitate augentur, ex notis, tum intra, tum extra vrbem permulti, quibus, quum ipsi nihil mihi significent, quid acciderit, ego nihilo magis noui, quam ea, quae extra columnas Herculis geruntur. Ita in frequentissima vrbe et mediis turbis ἀναχωρητὴν ago, non sine multorum, vt opinor, reprehensione, atque etiam non absque incommodis meis tam in re familiari administranda, quam voluntatibus quorundam ea de causa a me alienatis. Habeor minus officiosus, quod pompis funerum raro interſim, quod aegrotos, quibus commodare nihil possum, non inuisam, quod magnam de aliorum rebus solicitudinem non callide simulem, quod vanis pollicitationibus aures non demulceam, quod denique liberior, quam blandior, ἐκ ἀσκῶ τὸν ἐπιχώριον τρόπον. Sed quid agam? quum plerosque aegrotasse non intelligam prius, quam sepultos esse audiero. Et fortassis ignoscendum est, ad exsequias non magis, quam ad epulas et nuptias accedenti, nisi accersar. Quibus de causis, si qui sunt,

qui minus bene de me sentiant, ii debebant et naturae meae tali, qualem exposui, et vitae solitariae, atque inter peregrinos actae, et, quae has sequitur, non affectatae ignorationi, et occupationibus rerum meliorum, dare veniam, atque etiam τῆς δυσσεβοῦς εὐσεβείας rationem habere, cuius ea ratio, proh dolor! est, vt neutri factioni obsequi possis, quin apud alteram in odium capitale et crimen impietatis incurras. Vtinam vero complures hanc meam ἀπραγμοσύνην imitantes, suum et ipsi negotium agerent, me omisso, ἐρευνῶντες τὰ ἑαυτῶν μᾶλλον, ἢ τὰ τῶν πέλας, neque mihi clam obtrectarent et insidiarentur. Sed ad decubitum patris redeo, qui cum de sententia medicorum Nerlingam se deportasset, neque magna spes recuperandae valetudinis ostenderetur, tristibus sane cogitationibus, tum ob hoc ipsum, tum propter neglectum studiorum, angebar, adeo vt pater, id animaduertens, et saepe mecum expostulans, me esse bono animo iuberet, se quandocunque Deo Opt. Max. visum esset, minime inuitum ex hac aerumnosa vita discessurum, mea causa potius anxium, quem videret minime aptum esse consuetudini hominum et rebus gerendis, vereri, quidnam tandem de me futurum esset. Interdum etiam iocabatur in staturam meam proceriorem, quum diceret, dandum mihi esse locum, cui sui calcei iam essent apti, (fortasse enim ex Astrologo audierat, cum eo vsque vixisset, receptui canendum fore) et quum aliquid minus dextre obibam, subridens, vtinam, inquit, esses paulo breuior, et aliquanto prudentior. Quae verba cum aliquando praesente medico repetisset, is accurate considerata totius corporis mei habitudine atque inprimis fronte inspecta, ne, inquit, quaeso, de filio isto sis solicitus. Is nunc verecundia et moerore impeditus, videtur stupidior, sed progressus aetate multos superabit,

rabit, qui magnum acumen praeſe ferunt. Pater autem, cum idem medicus morbum in autumnum vsque produci poſſe diceret, (id quod minime factum eſt) me haud ſane inuito (in quo ſaepe accuſo ipſe me, atque eo nomine infeliciorem hactenus fuiſſe arbitror, quod amori Muſarum paene plus tribuerim, quam pietati paternae) Tubingam redire iuſſo, haec mandauit: Ego, mi fili, curſum ſtudiorum tuorum ob valetudinem meam, quam tu iuuare minime potes, non interrumpam. Tu fac Deum religioſe colas, virtuti ſtudeas, prauorumque conſortium vites, ita futurum eſt, vt bene tecum agatur. Ipſe triduo poſt diſceſſum meum, ex ſubita ſanguinis per nares eruptione, 20. die Aprilis anno 1536. pie placideque deceſſit, quum quidem canes per totam noctem in ea platea lugubriter eiulaſſent, anno aetatis 59. idque ſub feſtum S. Georgii factum, (ſic) ex indito ſibi nomine coniectabat, qui idem dies, ſi non primus, vltimus certe in terris illi fuit. Patrem amiſerat quinquennis, patrimonium fratres interceperant atque abſumſerant. Translatus primum eſt, neſcio qua occaſione in gynaeceum Comitis Montfortiae, vt caudatam (qui mos tunc erat) dominae veſtem pone ſequens leuaret, ne humum verreret ſcilicet, quod cauda iſta praefecta rectius cauere potuiſſet. Sed hae fuerunt illorum temporum ineptiae, nec minores roſtratorum calceorum, et armillarum ampliſſimarum, vt plerique non togis, ſed velis amicti viderentur, et pileorum vanni latitudine, qui propediem, vt opinor, reuiuiſcent. Quo minus mirere nunc caligas iſtas Maximini, et bullas ſextarii capaces pugionum. Haud multo poſt vernaculis literis et Arithmetica imbutus in Pannoniam ad Baronem Rogendorfium ſe contulit. Inde cum Georgio Emershofio, equite aurato, Caeſaris Maximiliani aulam in Belgio et alibi ſecutus, tandemque

in patriam reuerſus, cum aliquamdiu ſcriptioni operam dediſſet, ab Oetingenſi Comite Wolffgango, cuius eo tempore, cum in Sueuia fui, magna fuit auctoritas, praetor Oetingae deſignatus eſt, ac tandem praetor (Landvogtum hunc, vt illum Caſtnerum vulgo vocant) totius Comitatus, in quo ſummus is honos habetur. Eo munere gerendo deſatigatus, vt guſtum aliquem libertatis, poſt laborioſam non minus, quam honorificam, annorum amplius quinquaginta ſeruitutem, perciperet, anno ſuperiore ſe abdicarat. Sed ego vix Tubingam attigeram, cum triſtiſſimo nuntio, quem animus, tabellario conſpecto, ſtatim praeſagiebat, herciſcundae familiae ergo accerſor, ibique rebus vtcunque compoſitis, in eo eram, vt fratrem, quem ad Latinas literas diſcendas ante mecum Norimbergam adduxeram, etiam Tubingam transferrem. Quo tempore vterque nos parum decore geſſiſſe viſi fuimus, cum et cerimonias parentalium negligeremus, nec lugubri veſte vteremur, quod illa et ſuperſtitioſa eſſe et ſuperuacaneae occupationis audiſſemus. Ac dum rei familiaris conſtituendae cauſa duos circiter menſes in patria commoror, bis ſalus mea periclitata eſt: ſemel, quum frater bombardam, ex armamentario patris, eo genere, et caeteris ad rem equeſtrem pertinentibus, probe inſtructo, depromtam, per iocum in me direxiſſet, glande ſupra caput meum euolante, quam illę nullam ineſſe putarat: deinde, quum aeris alieni redigendi cauſa pagum quendam ingreſſurus eſſem, (graſſantibus autem tum incendiariis neſcio a quo (varia enim ea de re feruntur) in Germaniam immiſſis, agricolae diurnas nocturnasque excubias agitabant, venabulis, baliſtis, bombardis armati) cum bombardam geſtarem, et cornu puluere plenum de collo de more ſuſpendiſſem, fatuus quidam homo de excubitoribus, incendiarium ratus, ſagittam in me directurus

cturus fuit, niſi ab illo, qui me norat, prohibitus fuiſſet. Fuit et mihi et fratri, pueris admodum, periculum non admodum diſſimile. Cum enim pater bombardam in menſa inſtrueret, nosque e regione ſederemus, globus fortuito laxatus inter me et fratrem parieti infixus fuit, Deo nos protegente. Admonet me haec commemoratio alterius euentus recentioris, quem propterea recito, vt adoleſcentes ſuſpiciones non minus, quam ſcelera ipſa, cauenda ſibi eſſe intelligant. Redibam anno 1566. e thermis ferinis, quas tum valetudinis, tum requieſcendi cauſa, et ingenio et corpore perpetuis ſcriptionibus defatigato, adieram. Pernoctaram in oppidulo, quod ab anguillis nomen habet in confinio Wurtenbergenſis et Oetingenſis ditionis. Cum autem ab auriga, e cerebro laborante, (qui morbus tum ἐπιδήμιος iis in locis erat) nullo pretio impetrare potuiſſem, vt me vna cum amanuenſi meo, Ioanne Scheirlino, in currum admitteret, (alterutrum enim homo vecors recipiebat, vtrumque nequaquam) ego veritus, ne adoleſcentulus viae ignarus et itineri faciendo non aſſuetus, in vaſta ſilua (Herdfeldium vulgo a duritie et ſiccitate appellant,) aut aberraret, aut animum deſponderet, curru illi et farcinula conceſſa, ego, quamuis cum ex inſomnia illius noctis, atque inedia aeger, tum debilitatis neruis e viginti dierum natatione in thermis, pedes iter aſperum ac ne mihi ſatis quidem notum ſolus ſum ingreſſus. Cum autem ſub meridiem (pridie paſchatos id factum eſt) in pagum Trochtelſingam peruenisſem, ita fui defatigatus, vt toto corpore tremens et pedes et manus ſubinde iactarem. Caeterum hoſpita, cui non ita pridem cremata domus et vix reparata fuerat, neſcio quid ſuſcipicans, e geſtibus meis, quos vt ingens defatigatio attulerat, ſic illa aeſtum animi e ſcelerum conſcientia ortum, ac diuinitus immiſſum, vt

poenas

poenas darem, vt coniicio, rata, me diſceſſurum hortabatur, vt pauliſper manerem, dum ſui ex agro redirent, commodaturam eſſe equum, qui me Nerlingam perferret. Ego vero nihil mali ſuſpicans, ſed miſericordia motam defatigationis meae rationem habere credens exſpecto. Verum illa non equum, ſed lictorem adiunctura mihi fuit, quem ſuas aedes incendiſſe putabat. Ingreditur tandem lictor: propino illi poculum. Tum muliercula, quae interim deplorata clade ſua ſe inprimis optare dicebat, vt ſceleratus ille homo poenitentia acta, hic potius, quam apud inferos, plecteretur, quid vetat, inquit, cum hoſpite iſto bibere? Is, poculo exhauſto, me diligenter contemplatus gratiis actis diſceſſit. Ego vero cum equum peterem, negabat illa vllum adeſſe, meque hortabatur, vt pedetentim reliquum itineris conficerem. Equidem puto, ſiluam illam naturae meae et genio infeſtam eſſe. Praeterquam enim, quod Tubingam abiens et rediens, ſaepe in illa aberraui, quum poſt obitum patris domum redirem, ſeductus ſilueſtri quadam ſemita, in loca perplexa et inuia ſum delatus, et poſt duarum aut trium horarum ſpatium e denſis vepribus magna cum moleſtia et defatigatione vix eluctatus, tandem in conualle in fonticulum incido, aeſtuans atque anhelans, et vt ſum natura ſicciſſima praeditus, et ſitis impatientiſſimus, auidiſſime ingurgito frigidam, nec multo poſt caſam vicinam ingreſſus, quum praeter lac nihil ibi praeberetur, laeſi hepar, vt ab eo tempore in hunc vsque diem dolores hypochondriacos ſubinde ſentiam, praeſertim cum vinum non ſatis coctum a ſole, cuiusmodi pleraque Neccarica ſunt, aut alioqui infecta, bibo. Quae mihi cauſa eſt, optima quaeque vina expetendi et obtrectatoribus occaſionem, vt video, datura eſt, τῷ εἰς οἰνοφλυγίαν ἡμᾶς διαβάλλειν. Ego vero non ſobrium et temperantem, ſed ἀβέλτερον

ρον ac vecordem eum existimo, qui, omissis iis, quae suae valetudini conducunt, deteriora consectatur. Satis est haec boni consulere, cum meliora non suppetunt. Scio et a Pseudostoicis quibusdam, qui Curios simulant, et Bacchanalia viuunt, hilaritatem et iocan. di licentiam in conuiuiis et congressibus amicorum meam, quae vtraque in hac vrbe rariora sunt, quam et valetudini et studiis meis expedit, exagitari magis, quam improbari, qui non considerant, me, in museo et lectulo meo Zenone et Xenocrate seueriorem, meo quasi iure hoc mihi sumere, vt inter epulas, quas decet hilaritas, frontem nonnihil exporrigam, et linguae, domi τῇ Πυθαγόρᾳ ἐχεμυθίᾳ assuetae, sine cuiusquam iniuria et contumelia frena laxem. Equidem esurire malim, quam eorum esse conuiua, quorum ii vultus sunt, tam triste flentium, quasi a tumulo parentum et liberorum modo rediissent. Non me isti conuiuatores, sed Minoëm, Rhadamanthum, Aeacum, Proserpinam, Sisyphum, Tantalum, inuitanto, aut lacrimis extillantem Nioben, vnaque cum illis ὀρίγανον (vt Comici verbis vtar) βλέποντες καὶ σκυθρωπάζοντες perpetuo sese oblectent. Me et studiorum laboribus fessum, et perpetuis intestinorum doloribus afflictum, respirare aliquando, et iucunditati dare animum patiuntor, sibique ipsi illud, quod Plutarchus scribit, subiiciunto, ὅτι Μεμμίᾳ τινὸς ἐν συλλόγῳ φήσαντος, ὅλας τὸν Κάτωνα μεθύσκεσθαι τὰς νύκτας, ὑπολαβὼν ὁ Κικέρων, ἐκεῖνο δ' ἃ λέγεις, εἶπεν, ὅτι καὶ τὰς ἡμέρας ὅλας κυβεύει. τετέχνη, ὅτι πρὸς τῇ πολιτείᾳ καὶ τοῖς δημοσίοις πράγμασιν ὅλας τὰς ἡμέρας ὢν, καὶ κωλυόμενος φιλολογεῖν, νύκτωρ καὶ παρὰ πότον συγγίνεται τοῖς φιλοσόφοις. Ego vero Deo gratias ago, qui eam mihi naturam dederit, quae et contentionem animi atque ingenii constanter ferre possit, eandemque per tempus ita relaxare, vt si omnibus volu-

voluptatibus perpetuo circumfluerem, oblitus occupationum, repudiataque vellicantium etiam in mediis conuiuiis subinde dolorum hepatis et stomachi memoria. Quibus tamen remedii aliquid attulit Achilles Gasserus, celeberrimus medicus, puluere iecoris lupini et rhabarbaro, atque aliis quibusdam rebus, ei confectioni, quam διὰ ῥόδων vulgo vocant, admistis. Neque parum nux seu myristica, seu muscata, quam χρυσοβάλανον quidam esse putant, profuit, cui me complures vitae annos iure meritoque acceptos referre arbitror, alioquin ex crudidate a vinis crudis, dilutis, infectis, orta, crebroque excruciante, breui periturum. Habere atque affirmare incerta pro certis, dubia pro compertis, non est meum. Si quid tamen pluribus experimentis fidei habendum, plane persuasum habeo, si me fata in locum aliquem boni vini feracem, cuiusmodi pleraque Rhenensia sunt, detulissent, me, omnium morborum expertem, ad eum terminum vitae, qui diuinitus mihi constitutus est, et ad eam metam, quam fas transcendere nulli, fuisse peruenturum. Huius opinionis meae ratio haec est, Finge me hodie bibisse vinum et generosum et lene, quale Horatius, cum ad mare venisset, requirebat. Noli dubitare, quin Wolfium tuum visurus sis animo hilarem, corpore alacrem, ingenio promtum et excitatum. Propina tum mihi cras Scythicum acetum (etsi te, mi Oporine, potius de interiore nota Falerni depromturum scio) contraria videbis omnia, et quidem congruentia fatis meis, quae mihi dederunt naturam et corporis et animi alacrem, sed vtramque imbecillem, et leuissima quaque re debilitandam. Sed vt ad seriem narrationis redeam, etsi haec cum illa fere cohaerent, minis illis bombardarum et balistarum euitatis, et praedio quodam, a patre delectationis ergo constructo, pessime vendito, (quod enim aureis amplius

plius quingentis conſtiterat, emtori centum non integris addiximus, propter controuerſias quasdam, quas ii nobis mouebant, qui loci illius iurisdictionem ſibi vendicabant) iter Tubingenſe adorno, in quo denuo propter bombardae geſtationem in periculum incidiſſem, ob interdictum a Wirtenbergenſi duce, Huldricho, ſiue poſt recentem reſtitutionem ſaluti ſuae metuente, ſiue incolumitati ferarum conſulente, tormentorum vſum, niſi eam Gemundae Sueuicae (a fau. cibus montium, intra quos ſitum eſt oppidum, id nomen accepit noſtrate lingua veteri, quo eodem nomine et fluminum oſtia vocantur) mature admonitus in arcam fratris mei incluſiſſem. Itaque poſtea nunquam id armorum genus attigi, vt quod exitio potius, quam ſaluti mihi fore videretur, tot malis ominibus ſeie offerentibus. Tubingae conducto conclaui, totum me iurisprudentiae dedere conſtitueram, rationibus ita ſubductis, ſed (quod noſtrate prouerbio, dicitur) hoſpite non adhibito. Vt de patrimonioli, quod ſexcentorum aureorum ſummam excedebat in adipiſcenda laureola, ſemiſſe conſumto, ſubſidii tamen aliquid haberem, dum honeſta occaſio quaerendi victus, ſiue in aula, ſiue in Academia offerretur. Paraueram corpus, quod vocant, iuris ciuilis: audiebam Melch. Volmarum, Inſtitutiones Theophili Graecas, et Ioach. Minſingerum, Iuſtiniani Latinas enarrantem. Audiebam item Barth. Amantium, titulum Pandectarum, de ſtatu paupertatis et ſeruitutis per omnem vitam mihi videam eſſe permanendum. (ſic) Intereram etiam praelectionibus Io. Sichardi, et cuiusdam Kaltii, qui partim ob occupationes, partim ob valetudinem rarius praelegebant. Sed perinde erat, ſiue pauca, ſiue multa audirem, quum illa multo minus, quam Philoſophica, intelligerem. Gloriatur Cicero, ſi qui ſibi ſtomachum fecerint, ſe vel triduo fore ICtum, quod mihi non tam

tam facete, quam et vere dixiſſe videtur, vt qui vtrique Scaeuolae tot annos familiaris fuiſſet, eorumque prudentia fieri doctior ſtuduiſſet. Ego vero ne tribus quidem menſibus id conſequi potui, quod nonnulli ab iis breuiore etiam ſpatio impetrant, qui accipiunt pecuniam, et remittunt aſinos in Germaniam. Interim frater in periculoſam dyſenteriam incidit, quae me valde occupatum et multo magis ſolicitum habuit. Quo praeter ſpem recreato, me iliaca (ſic) grauiſſima et paene deſperata inuaſit, quo malo amplius quatuor menſes ſummo cum dolore conflictatus, ac vix tandem ſororis Annae in monaſterio Zimmerenſi cura diligentiſſima, et Io. Weidemanni, cuius ſupra facta eſt mentio, curatione ſum reſtitutus. Quicquid Fuchſius Tubingae medicamentorum adhibebat, cedebat paene in diuerſum: alter autem ille quatuor hauſtibus potionis cuiusdam e Rhabarbaro, et aliis id genus rebus confectae, ita me confirmauit, vt qui ante paucos (ſic) nihil niſi exſequias cogitaram, prae alacritate, relicto lectulo, exſilirem. Sed doloribus ſedatis, morboque profligato, ea cerebri debilitas erat, (credo e diuturna inſomnia, crebraque vomendi neceſſitate, quas malum atrociſſimum afferebat) vt Tubingam reuerſus, etſi valebam, tamen, quum ſtudiorum labores, propter oborientem, ſi quid attentius meditarer, vertiginem, ferre non poſſem, de literis actum eſſe putarem. Itaque de alio vitae genere, in quo et non ita pridem verſatus fuiſſem, inuitus quidem, volens tamen, quia ita neceſſe videbatur, cogitandum mihi eſſe duxi, quum ſi paucos menſes exſpectaſſem, nihil mutatione fuiſſet opus. Verum ita fert natura mea, vt inſtantia mala perpetua fore exiſtimem, neque res meliores polliceri mihi audeam, hac vna fere in re Lacedaemonius, de quibus apud Thucydidem Corinthii ſic pronunciarunt: τὸ ὑμέτερον τῆς τε δυνάμεως ἐνδεᾶ πρά-

πράξασθαι· τῆς δὲ γνώσης (sic) μήτε τοῖς βεβαίοις πιστεῦσαι· τῶν τε δεινῶν μηδέποτε οἴεσθαι ἀπολυθήσεσθαι. Agebat eo tempore Wirceburgenſis epiſcopi, Conradi Tingii, procancellarium Ioannes Winſt, ICtus, popularis meus. Afferebam commendationes ab Hauenreutero ad Mart. Rotenhanium, aulae praefectum, et a Ioach. Camerario, quamuis inſtitutum meum valde improbante, ad Mart. Mierdam et Vitum Nichthenum, quorum ille me in aedes ſuas recepit, hic pro virili adiuuit et ornauit. Ad ipſum autem epiſcopum meo nomine ſcripſerat Carolus Wolfgangus, Comes Oetingenſis. afferebam et ipſe latinum epiſtolium. Quod cum Laurentius Friſius, Secretarius, qui auctoritate et gratia (et merito quidem ſuo, vt qui eſſet vir doctiſſimus et integerrimus) primas apud principem prudentem, et non ineruditum et moderatum, tenebat, non improbaſſet, petebat a me, vt fidem meam per omnem aetatem Cancellariae Wirceburgenſi adſtringerem, ſpe facta, ſi fidem meam et induſtriam probaſſem, fore, vt per occaſionem rebus meis optime conſuleretur. Cauſam perpetuae obligationis, vt vocant, afferebat eam, quod ſcribae arcana principis pleraque reſciſcerent, quae non ſine periculo efferrentur. Ego vero gratiis actis cum poſtulationem iſtam non aliud niſi vrbanam repulſam me iudicare dicerem, negabam adoleſcentiae meae tempus ferre talem conditionem, quod nondum ſtatuere poſſem, in quo vitae genere aetatem peracturus eſſem. Rogare, ſi fieri poſſet, vt per annum vnum atque alterum aulae illius periculum facere mihi liceret. Non eſſe ea me dementia, vt arcana principum tacenda ignorarem, nec ea perfidia, vt effutirem quicquam, quod tacitum oporteret. (sic) Delectatus hoc reſponſo Secretarius, rem ad epiſcopum refert, caeterisque patronis ſuffragatis, facile impetrat. Itaque paulo poſt

Calendas Ianuarias anno 1537. ex infelici ICto fio a-
licus non multo felicior. Neque enim quod difc-
rem, admodum erat, neque in quo operam aliqu
nomine dignam nauarem, Deſcribebam acta forenſi,
et ſcribebam epiſtolia ad paganos praefectos, qu
Zentgrafios vocant, quaſi decumanos dicas. Hc
meum munus erat; merces, victus in arce, et aliqu
vlnae rubri panni, praeterea nihil. Caeterum in e
loco ſatis commode vixi, patronosque habui bene m
hi cupientes, qui in Sacerdotiis impetrandis, ſi v
luiſſem, alacriter me adiuuiſſent. Habebam enim ſu
inde mecum in ſcriptura libellos Graecos et Latino
quos per otium (quod ſaepiuſcule dabatur) lectitaba
Ea me res ICtis et aliis viris doctis commendaba
Erant et ſodales plerique homines candidi et feſtiu
quorum conſuetudine admodum delectabar. In h
praecipue fuerunt, quanquam et aetate et dignitat
ſuperiores, Petrus Claromannus, Secretarius, And
Stehelius, Vitus Nichthenus, Petrus Brando, Mar
Crontallus, et alii nonnulli, cum quibus et libere m
gabar, et conuiuia hilariora, quam ſumtuoſiora, ag
tabam. Confecerant ii librum, quem *Nugas* inſcripſ
rant, in quem omnia minus probabilia referebant. I
eo et meum nomen exſtat, quod ex imitatione ſtraba
ancillae me ſtrabum eſſe factum aſſerebam. Sed ac
debat homo quidam facetus appendicem: ancillar
eam, peluim aeneam, cum in ſinu me geſtaret, t
nere ſolitam obuerſam ſoli, vnde e refractione radic
rum diſtortio illa accidiſſet. Caeterum quia per totar
quadrageſimam, contra conſuetudinem meam, no
niſi piſces, eosque, vt in aulis ſolet, non optime cc
ctos, eſitaram, menſe Iunio, cum ipſe annus eſſet to
ridus admodum, in febrim ardentiſſimam, quae i
paroxyſmis etiam delirium afferebat, incidi. Conſu
lo, de ſententia hoſpitis mei, Iudaeum quendam, qu
ſuade

ſuadebat venae ſectionem. Accedo chirurgum, hominem imperitum, vt apparebat. Is enim fere dimidiam peluim meo ſanguine complebat, me plane ignorante, qui modus ſeruandus eſſet. Tonſtrinam egreſſus, oborta oculis caligine et viribus deficientibus ſubſideo paulatim, et a tonſore vtcunque recreatus domum redeo, ita curatus, vt ad febrim accederet profluuium ſanguinis per nares, et ita quidem diluti, vt hydrops omnino ſecuturus fuerit, niſi adoleſcentiae robur ei malo reſtitiſſet. Aliquot hebdomadibus poſt cum mane intolerabili ſiti cruciarer, ingurgitaui frigidam, non quidem ad ſatietatem, (metuebam enim, ne idem mihi accideret, quod aliis nonnullis, qui ſiti reſtincta etiam vitam exſtinxerant) ſed vt leuatus nonnihil viderer. Prodeo in forum, acida ceraſa emo, quibus auide deuoratis, in idem malum incido, profligata febri, vorſuraque calamitoſa facta, quo Tubingae laboraram, item e cruditate contracto ex immaturis vuis et muſto pirorum agreſtium. Tanti quatuor digitorum breuis delectatio mihi conſtitit. Deſperata porro denuo ſalute mea, in grauiſſimis cruciatibus, ſuaſu medicorum et hoſpitis mei (qui fortaſſe me alibi, quam domi ſuae, mori malebat) reuertor in patriam, ibique ſororis Mariae ſingulari diligentia ſub autumnum recuperata valetudine, coactoque viatico, redeo Wirceburgum, et vt mihi ſub Calendas Martias in Academiam redeundi poteſtas fieret, impetro. Conferebam autem me Witebergam, Phil. Melanchthonis fama inprimis impulſus, cui etiam commendabar per Matth. Irenaeum. Addiderat et Vitus Nichthenus literas ad Marcellum, qui alia occaſione abſenti conciliatus ſaepe ad me et perhumaniter ſcripſit, et ad Milichium, quas, quia ſigillum, durata frigore cera, exciderat, reddere non audebam. Anteceſſerat familiaris Tubingae meus, Sebaſt. Veſtebergius, vere nobilis adoleſcens, cuius an-

xilio non parum fidebam. Sed nec ibi res prospere cedebant. Nam curatorum negligentia supellex mea libraria fere semestri post eo afferebatur eaque iam accepta, pecunia et segnius, et minor, quam necessitas mea postularet, submittebatur. Interim ego audiebam Melanchthonem, Lutherum, Winshemium, Amerbachium, Rheticum Reinholdum, priuatim etiam Henricum Luneburgensem, qui Dialecticam et Rhetoricam praelegebat. Describebam et annotationes magistrorum in eos autores et artes, quas non integras audieram, quae pleraque adhuc inter chartas meas exstant. Frequentabam et Bibliothecam principis, quae singulis diebus Iouis aperiri solebat, donec homo quidam nefarius, compilatis ac potius concisis libris aliquot ob membranas, suo scelere effecit, ne quisquam postea in eam, nisi precario, admitteretur. In ea bonam partem commentariorum Aristophanis descripsi et manuscriptos nonnullos Graecos libellos, inter quos erat Hermes Trismegistus, rem ante nunquam visam vehementer fui admiratus. Ac in Graecis literis et Latinis faciebam aliquod operae pretium. In mathematis et Astrologia, quod elementorum cognitione destituebar, non ita multum proficiebam. Offendebar praeterea sordibus eius vrbis, in qua non modo cadauera pecudum in plateis iacerent, sed omnium foeditatum sentina in eum riuum coniiceretur, unde et cibi et potiones coquebantus. Vrgente igitur ἀχρηματία, post idus Iulii 1539. praeceptori meo Sebaldo locc operam, et discipulos priuatos domi, et publicos in schola per octonas horas docendi. Quos ego labores alacri animo capiebam, atque interim in Graecis literis sedulo elaborabam, conferendis omnium, quas habere poteram, conuersionibus cum ipsis autoribus. Praemium erat annuum nostrates floreni sedecim, et cibus frugalis cum modica cereuisia. Accidit autem aliquan-

aliquando, vt, cum exercitationis cauſa Electram Sophoclis conuerterem, Vitus Theodorus, Sebaldinus Eccleſiaſtes, ad prandium inuitatus, aliquot pagellis percurſis, et non ſine honorifico ingenii diligentiaeque meae elogio approbatis efficeret, vt floreni quatuordecim ſtipendio adderentur. Ego vero me valde lautum putabam, qui tantos reditus habertm, et feſtiuis diebus cum collegis et familiaribus, Matthaeo Vogelio, Io. Brunone, Simone Muſaeo, et aliis quibusdam iucundiſſime viuebam. Interhaec, cum et Graecos et Latinos verſus vtcunque ſcriberem, et diſcipulorum in docendo applauſum conſequerer, (hoc enim affirmare auſim, me nusquam diſcipulos mei ſtudioſores habuiſſe, quam Noribergae, quo tempore omnium tenuiſſima eruditione fui) nomen meum paulatim etiam proceribus innoteſcebat, quorum nonnulli de honeſtiore loco proſpectum mihi cupiebant. Sed neſcio quo fato illorum conſilia impediebantur. Itaque in eo piſtrino haeſi, minime quidem inuitus vsque ad Calendas Ianuarias anni 1541. Tum vero nouatis religionis ceremoniis, (quid enim religionem dicam? quae quam plerisque curae ſit, facta potius, quam dicta declarant) in patriam vocatus, ludum aperui, mediocri mercede, ſucceſſu nullo. Accedebant moleſtiae, quas ex affinis, ſenis parci et iracundi, intemperiis, qui ſororem meam, non ita, vt aequum erat, tractabat, et morbus, cuius ſupra mentionem feci. Praeterea merces maligne et intempeſtiue numerabatur, neque ſchola magnopere cuiquam cordi erat, niſi parocho, Ge. Cargo, qui et vocandi mei Comiti auctor fuerat, et in aedes ſuas habitatum me receperat. Is cum ſolus parum poſſet, et ego ſordes illas moleſte ferrem, Viti Theodori commendatione fretus Vitebergam ad Melanchthonem redii, non tam ſtudendi, quam ſcholaſticae conditionis exſpectandae ergo, quae mihi ſub

Calendas Ianuarii anno 1543. Mylhusae Thyringicae oblata fuit. Iusserat Melanchthon conueniri se Lipsiae in Camerarii aedibus, vbi etiam Alexandro Alesio Scoto praesente, cum alia erudite et iucunde differebantur, tum vero de nomine meo ad formam Latinam aut Graecam reuocando. Sed cum neque Vulpius neque Vlpius placeret, Melanchthon me Lycium appellabat, quo per aliquot annos fui vsus, Latine scribens, nec mutaui prius, quam aliquid in publicum edere coepissem, iubente Christophoro Iulio, haud scio, quibus de causis. Itaque Wolfii nomen hactenus retinui, quamuis improbante Vito Amerbachio barbaram literam W. meque rogante, vt vel sibi Bolfius esse vellem. Cui ego per iocum hoc districho respondi:

Ὄλβιος esse velim, si quid mea vota valerent,
Nunc, quia fata negant, Wolfius esse volo.

Sed parum refert, quo nomine appeller, quod, tametsi liberos haberem, non diu duraturum fuisset, nunc vero nemini, me defuncto, notum, aut curae erit, nisi forte studiosis adolescentibus. Illud permagni refert, atque inprimis optabile est, nostra nomina scripta esse in libro vitae. Acceptis igitur tum a Melanchthone literis, qui me bis mensae adhibuerat, non tam lautitiis epularum, quam sapientissimorum sermonum affluenti, Mylhausam me conferebam, vrbem, non ita pridem Euangelicam doctrinam, non tam sua sponte, quam iussu principum, Io. Friderici Electoris, Mauritii principis, et Landgrauii Hessiae, qui nescio quid iuris in eam sibi, ob rustici tumultus iniurias, vendicabant, amplexam. Haerebant et adhuc in animis ciuium studia doctrinae Monetarii et Pfeiferi cuiusdam, qui eloquentia et portentosis dogmatibus suis, Tyringiam, vt Pericles olim βροντῶν καὶ ἀστραπῶν Graeciam, perturbarant. Magistratus plerique pontifici fauebant, scholae nouae destinabatur Franciscа-

ciſcanum monaſterium, nec dum parata erant ſubſellia, nec alia prouiſa atque adminiſtrata, quae ad rem pertinebant, eaque, quibus opus erat, vix lente extorquebantur. Habebam collegas eos, qui ſinguli antea ſingulas ſcholas rexerant, qui ſe in mutatione illa ſatis aequos et moderatos praebebant. Verum ciues plerique, agriculturae dediti Latinas et Graecas literas non magni faciebant, vt raro vltra duodecim auditores haberem, quibus vtriusque linguae elementa, ex Ciceronis opuſculis et Virgilio Terentioque, Catecheſi Iuſti Menii addita, traderem, ſcriptaque Latina emendarem. Graeca ſententioſis verſibus explicandis quaſi obiter docebam. Reliqui alphabetarii fere erant, et parentes ſatis habebant, ſi vtcunque legere et ſcribere filioli didiſciſſent. Caeterum a plerisque ſatis honorifice tractabar, nec vnquam maiore ſucceſſu in priuatis ſtudiis et commodiore valetudine, quam eo biennio, fui vſus. Perlegebam ordine totum Ciceronem, Quintilianum, Iſocratem, Xenophontem, Ariſtotelem et Platonem magna ex parte, aliosque complures autores. Nam in poëtis et Graecis et Latinis iam antea, Norimbergae adhuc agens, non ſegniter verſatus fueram. Accedebat Iuſti Menii, viri eloquentis et perhumani, meique amantis, periucunda conſuetudo, cui Melanchthon me de nota meliore commendarat. Ac vellem mihi ad manum eſſe ἀπόγραφον illius epiſtolae, quam cum multis aliis et doctorum literis et libris et veſtibus anno 1550. mihi periiſſe arbitror. Nam Phil. Melanchthonis et Ioach. Camerarii (quorum hic pro humanitate ſua paene iuſtum volumen epiſtolarum ad me dedit, ille quadam epiſtola, cum ei gratias ſingulares de miſſis ad me literis egiſſem, teſtatus eſt, me tanti a ſe fieri, vt vel ſingulis diebus ad me ſcripturus eſſet, ſi per negotia liceret) et honorifica et omnis fuci expertia iudicia (quis enim

tantos viros iuueni pauperculo et rerum ſuarum ſatagenti voluiſſe adulari credat?) calumniis obtrectatorum opponere non dubitarem. Sed ecce, praeter ſpem, poſt diuturnam inquiſitionem, aliud agenti id, quod dixi, ἀπόγραφον in libro verſuum et epiſtolarum mearum ſeſe offert, quae eſt huiusmodi:

Philippus Melanchthon viro optimo D. Iuſto Menio, Paſtori Eccleſiae Iſenacenſis, amico ſuo cariſſimo.

S. P. D.

Hunc Hieronymum iudicio delegi ad ſcholae Mulhuſanae gubernationem. Nam et grauis et eruditus eſt in vtraque lingua, et amans operarum ſcholaſticarum. Oſtentationis fortaſſe minus habuit, quam locus ille requirit. Si oculis offundere ſpeciem maiorem poſſet, neminem in hac tota Academia anteferre ei poſſem. Sed virtute auctoritatem ſibi parere poterit et tuebitur. Sic igitur tibi virum bonum et doctum commendo, vt eum et propter priuatam amicitiam noſtram et propter publicam vtilitatem complecti te velim. Erit ornamento Eccleſiae et adoleſcentiae ſtudia iuuare ac prouehere poterit. Cum Lipſiam veniſſemus, audiuit Hieronymus, graſſari peſtilentiam in oppido Mulhauſen. Quod ſi ita eſſet, conuenire adoleſcentes non eſſet vtile, et Hieronymo ea fama ſcrupulum iniecerat. Sed haec omnia tuae prudentiae commendo. Bene vale. die 6. Ianuarii 1543.

Ad eundem ex alia epiſtola.

Scire de Mulhuſanae ſcholae gubernatore cupio quid iudices. Socratica natura eſt, literatus et honeſtus eſt. Sed vellem eſſe hilariorem, et in actione excitatiorem.

Hacte-

Hactenus Melanchthon, ἄγαν εὐτόχως ἐμὲ Φυσιογνωμονήσας. Nam quum a Matthaeo Irenaeo primum adductus, reuerentia tanti viri paene trepidarem, a calce ad verticem vsque, totius corporis mei habitu, Pythagorica imitatione, acutissime perspecto, ea comitate me et hilaritate compellauit, vt e vestigio timorem illum in summum amorem constantemque sui et mutuum conuerteret. In eo autem, quod de auctoritate scripsit, vtinam falsus non esset, virtutem quidem, si assecutus non sum, secutus certe sum, et sedulo et constanter, si modo virtus est innocentia, modestia, humanitas, frugalitas, benignitas, industria, omnis officii, si minus conseruatio, summum certe studium. Sed haec, quia ipse mihi parum tribuo, et ab assentatione aeque, atque ab ostentatione, καὶ ἱπποτυφία, et a callidis aucupiis abhorrens, γυμνῇ τῇ κεφαλῇ καὶ ὀρθοῖς ὄμμασιν in id vnum intentus sum, quod aequitas atque vtilitatis ratio postulare videtur, auctoritate apud plerosque ea sum, vt me neque timeant, nec vereantur, meaque consilia et dicta non pluris faciant, quam auiculae diobolaris cantum. Imo non defuerunt, qui, ne auscultasse mihi, et in meam iisse sententiam, aut acceptum mihi quicquam retulisse viderentur, et suis et aliorum rebus pessime consuluerunt. ἅτω σφόδρα ἡ τῦ πένητος σοφία ἐξὶν ἐξωθενημένη: Quo meo fato animaduerso, meum ago negotium, quantum per seruitutem licet, (homini enim infelici nihil agere semper est optimum) et alios rem et publicam et priuatam vel bene gerere facile patior, vel corrumpere, aequo animo fero, cum tam consulendo, quam aduersando adeo nihil proficiam, vt, quae ego construo, alii destruant, quae improbo, exosculentur ac laudibus in coelum efferant. ἀλλ' εἰς μύλωνα ἐπανιτέον, relicta auctoritate iis asellis, quorum auriculas Fortuna leonina pelle contexit, et vulpeculis adulationis

et ſimulationis artibus inſtructis. Vbi (vt nihil ab omni parte beatum eſt) praeter ſcholaſtica incommoda etiam contumelia cuiusdam e conſularibus vna cum concionatoribus, fui exagitatus, qui breui poenas dedit temeritatis ſuae in ordinem coactus. Inciderat et ſuſpicio compilati Monachorum ſacrarii, in quam et ipſum me fuiſſe raptum ex eo intellexi, quod die quodam aliquot ſenatores in conclaue meum ſubito irrumpentes omnes angulos ſolicite perluſtrabant. In eodem conclaui ante diſceſſum meum per dies complures et noctes audiebam ſibilos mirabiles ac ita canoros, vt ſerpentis eſſe non viderentur, ſed praeſtigiatoris alicuius. Et quidem in vrbe illa primum animaduerti, me praeſtigiis magicis peti, qua de re nolo prolixius agere, illud tantum teſtatus; qui ſentiunt, magos et ſagas, laxante Deo habenas diabolo, (id quod fit ob ſcelera noſtra et flagitia et diffidentiam) nihil poſſe in laedendis hominum corporibus et fortunis (vt de perturbationibus animorum taceam) eos aut beatos eſſe, qui talia ignorent, ne ſtupidos et imperitos dicam, aut ſi ſciunt, et tamen negant, impudentes Sycophantas, qui ſcelera ſua diſſimulanda arte nefaria minus ſuſpecta fore exiſtiment. Caeteri Dionyſium Halicarnaſſeum audiant praeclare monentem: ὅτι τὸ τῆς ἁπάντων ἱστορίας ὅρον ἑαυτὸν ποιεῖν, καὶ περὶ τοῦ μὴ γεγονέναι τι τῶν δυνατῶν γενέσθαι λέγειν, αὐθάδες πάνυ, καὶ ἀ πόῤῥω μανίας. Verum ea res non magnopere mouebat animum meum, magis taedebat inutilium operarum, et commodioris victus, et vrbis, in qua doctorum familiaritate vti liceret, deſiderium ſubinde ſtimulabat animum. Sed quae per Camerarium Lipſiae, et per alios alibi tractabantur, parum ſuccedebant, donec Vitus Theodorus, approbante Melanchthone, effecit, vt Norimbergae mihi locus eſſet, qualem optabam, et quod ad magiſtratus, et diſcipulos, et ſodales

les attinebat, ibi plane fuiſſem opinione mea felix. Erudiebam duodecim ſelectos adoleſcentes, eosque breui omnes tum humanitate, tum diligentiae aſſiduitate, qua ſuis ſtudiis non parum conſuli ſentirent, ita mihi conciliaram, vt non tot hoſtes, quot diſcipulos, ſed totidem famulos, ac potius filios habere viderer, qui promtiſſime mihi morem gererent. Quod vt exemplo declarem, erat inter caeteros Ioach. Grienius. Qui cum animaduerteret, vinum, quod in noſodocheo praebebatur, parum eſſe commodum ſtomacho meo, et Pegneſis ita exundaſſet, vt neque exitus, neque introitus, niſi per aquam, pateret, alacriter, exutis tibialibus, vltro ad cauponem notum accurrit, mihique vinum deſideratum attulit iniuſſus. Erant et plerique muſici, tam ſymphoniaci, quam organici, vt a prandio et coena luſibus illorum non parum delectarer. Serenis etiam diebus plerumque eos deambulatum extra vrbem, horam vnam atque alteram, educebam, nec vllum honeſtae recreationis et ludi genus illis negabam. Ita fiebat, vt eos et obſequentiores, et ad ferendos ſtudiorum labores alacriores haberem. Cogebantur enim et mane ſurgere, et toto die libris intenti eſſe, et ſummam concionum ſacrarum, quas audierant, conſcribere, et ſinguli certa loca bonorum auctorum, a me ipſis diſtributa, pro ſuggeſtu declarare. Itaque in tenui et obſcuro munere paulatim inclareſcere coepi et magiſtratui magis commendari, cui prius etiam a D. Leonh. Tuchero, IIviro et curatore Noſodochei, fueram commendatus. Is enim quum me reciperet, hortabatur de more, vt bona fide munere illo fungerer, meo vero reſponſo ita delectabatur, (quod poſtea ex aliis cognoui) vt id pluribus ſenatoribus retulerit. Fuerat autem huiusmodi: me ſatis intelligere muneris illius difficultatem, eoque magis, quod et amici quidam non in optimam ſpem me addu-

adduxiſſent, et anteceſſorum exempla terrerent: facturum quidem pro virili omnia, nec vsquam ceſſaturum. Sed quia humana induſtria, ſine ope diuina, parum ac nihil potius valeret, me, ſi ſecus cecidiſſet, quouis tempore non grauatim ceſſurum eſſe melioribus. His veluti fundamentis iactis facile impetro, vt aucto ſtipendio, praeter honeſtum victum, in ſingulas hebdomadas ſinguli floreni mihi praeberentur. Ea conditione vitae ſic delectabar, vt nihil amplius ne optarem quidem, planeque decreueram, in eo loco omnem aetatem exigere, et honeſta Muſarum delectatione, rebus aliis omnibus neglectis, frui. Verum longe aliter euenit. Qui enim in portu iam nauigare videbar, ſubito exorto turbine in medium pelagus aerumnarum eiectus vix euaſi, euaſi tamen diuina prouidentia, contra et meam et nebulonum quorundam opinionem. Tantae inſidiae vitae meae paratae erant. Qua de re equidem neſcio, quid dicam, aut quid cauſae fuiſſe diuinem. Fungebar officio diligentiſſime, et cum ſucceſſu, eaque res et nomen honeſtum et gratiam optimi ac doctiſſimi cuiusque mihi pepererat, nemini neque dicto, neque facto moleſtus eram, comem et affabilem omnibus me praebebam, aetate et dignitate ſuperiores, vti par erat, obſeruabam, denique dies noctesque, quantum valetudo patiebatur, optimos quosque Graecos et Latinos auctores ſtudioſe legebam. Qui cum ita vitam inſtituiſſem, neque volens et ſciens quidem quenquam offenderem, innocentiae ſiculno (vt res docuit) praeſidio fretus, me neminem habere vel inuidum, vel inimicum, exiſtimabam. Sed euentus alius longe fuit. Ita enim et venenis et praeſtigiis exagitabar, vt mors, quam vita, mihi eſſet optabilior. Neque prius diabolus et inſtrumenta illius deſtitere, quam me non modo munere illo deieciſſent, ſed vrbe etiam cedere coëgiſſent. Menſe enim

se enim Dec. 1546. sex continuis diebus intempesta nocte subito terrore somno excutiebar, statimque delabi gutta e dextro oculo videbatur, vnde fiebat, vt tandem in metum excoecationis (nam altero nullam vnquam literam perspicere potui) venirem. Neque enim iam fere quicquam legere poteram. Interiectis aliquot noctibus, cum satis commode quieuissem, terror ille reuertitur, et sinistra capitis pars ita luxatur, vt mane attolli a me non posset. Pransitabam autem et coenitabam solus, atque alias vermes, alias araneolas in cibo reperiebam, vinum vero spuma, instar cereuisiae, saepe obductum afferebatur. Cum itaque iam constaret ex iis, quae fiebant, illo in loco me incolumem esse non posse, missionem a magistratu flagitaui, nec impetraui tamen, quod me cogitationibus melancholicis, e studiorum assiduitate contractis, laborare, et non insidias vitae meae strui putarent. Illud quidem concessum fuit, vt per mensem vnum atque alterum aërem locumque mutarem. Ego vero thermas ferinas ingressus diuino beneficio conualui mediocriter, ac Argentinam ad doctorem Sebaldum, in cuius aedibus tum frater meus, cum discipulis Norimbergensibus habitabat, per vastitates Hercyniae siluae et profundas niues fui exspatiatus, antequam Noribergam redirem, quam ita trepide reliqueram, vt, quasi insequente nosodocheo, intra duas horas duo magna milliaria conficerem. In ipsis autem thermis ab hospite monebar, vt rusticum quendam, Weberlenhardum Zwercbergensem, (villa ea, in silua Hercynia sita, prope abest Wildpergo oppidulo) consulerem, qui magicas notas et veneficia naturalibus remediis propulsare sciret. Is et herbas quasdam dabat, vnde lixiuium confieret, et globulos, nescio vnde confectos, quos domum reuersus in conclaui meo prunis imponerem. Quid autem iis rebus fuerim consecutus, nescio,

ſcio, et vt ſciam, taceri praeſtat; illud ſcio, me et corporis inſignem mutationem ſenſiſſe, et quendam popularem ac familiarem conueniſſe me per ſpeciem gratulationis, facie ita liuida et tubere, quaſi pugnis aut fuſtibus fuiſſet contuſa. Qui rogatus ſine vlla ſuſpicione, tum quidem, aiebat, ſe per ebrietatem in tenebris offendiſſe. Dicebatur et mulier quaedam non ignobilis grauiter decumbere. Ego vero, inſidiatoribus ſuas artes, neſcio quo conſilio inhibentibus, per aliquot hebdomadas ſatis commode viuebam, ſperabamque, iam tandem me quietum fore. Sed cum iidem terrores, eademque pericula redirent, implorata ope Chriſtophori Iulii, miſſionem a ſenatu impetraui, cum quidem dicerem, periculo vrgente et ſtimulante animum, ſi volentibus dominis non liceret, praeſtare mihi, vel inuitis ipſis ſaluti meae me conſulere, quam nullo cum fructu cuiusquam perire. Ac diu etiam patroni et amici mei, in tantis malis, me tanquam delirantem, et vana ſomnia mihi fingentem, et obiurgabant et deridebant: quo homini calamitoſo quid euenire poteſt acerbius? Ac ſuperioribus annis quidam, et quidem is, quem id minime decebat facere, tametſi verum fuiſſet, (quod illius ignominiae, ſi qua eſſet, pars nonnulla in ipſum redundaſſet) neſcio qua de re mecum expoſtulans me iubebat Norimbergenſes interrogare, ſi ſibi delirium obiectanti fidem non haberem. Tandem tamen iidem ipſi confeſſi fuere, me iam in Alſatia et Heluetia degente, profugum quendam monachum, nefarium et ſceleratum hominem, qui pontificem agebat apud morientes in noſodocheo, turbas illas mihi concitaſſe, quem magum eſſe conſtaret, et ſcire multa, quae neque vidiſſet, neque audiſſet ex vllo mortalium. Etſi autem fieri poteſt, vt ille non extra culpam fuerit, tamen caput ei rei fuit aliud et maius, cui nebulo ille ſceleratam nauauit operam, vt fortaſ-

fortaſſis et eiusdem loci φαρμακεὺς in cibis meis et potionibus ita condiendis, vt nec ſubito perirem, et cedere ſi nollem, ipſa frequentatione et diuturnitate temporis citra veneficii ſuſcipionem conficerer. Etiam fieri poſſe video, vt et ipſe in Zodiaco illo Iſcarioten aliquem fouerim. Certi nihil habeo, varia ſuſpicor, accuſo neminem, quia conuincere poſſum neminem, πρὸς ἀνταβάτας ἐν σκότει μαχόμενος, diuerſi etiam ea de re et amicorum et inimicorum ſermones fuerunt. Verum ego non vnam fuiſſe cauſam reor, ſed ſentinam quandam improborum hominum in me effuſam fuiſſe, quorum alii metuerent, ne luminibus ſuis per me obſtrueretur, alii qualemcunque commoditatem mihi inuiderent, ac ſuccedere cuperent eiecto, aliae ſe contemni aut negligi moleſte ferrent, quod ego tum quidem nec ſuſpicari poteram, vt qui nihil amarem, niſi libros, meque minime amabilem eſſe ſatis ſcirem. Quod ſi tales voculas vel e ſodalibus, vel aliis audirem, rideri me putabam, nec aliud reſpondebam, niſi vulgatum illud:

Neſcio, quid ſit amor, nec amo, nec amor, nec amaui.

Tum quidam, vt non ames, inquit, at amaris. Semel etiam fanatica quaedam vetula, quum me praetereuntem videret: hic, (inquit) hic ille eſt, quem volumus. Nec multo ante, cum in platea in Georgium Ioach. Rhaeticum incidiſſem, isque inter alia etiam Chiromantiae facta mentione, manum meam inſpexiſſet: breui, inquit, magnum tibi a muliere periculum impendet. Ego vero, vt qui non cum mulieribus, ſed cum virginibus Muſis rationem haberem, parum illa curabam, ac ridebam potius. Vtcunque fuerit, malui cedere, quam cadere, atque ex infauſto loco in tutiorem me recipere. — Atque hoc loco temperandum eſt calamo, multaque ſilentio praetereunda, ne qui ſe perſtringi exiſtiment, quos a me offendi minime vellem.

lem. Illud tantum dico, me non, nisi vrbe relicta, quietum esse potuisse. Itaque sub Idus April. 1547. priuata schola deserta, quam rogatu amicorum quorundam aperueram, Ioanne Fischero comite, qui nunc Tubingae Medicinam docet, commoratus aliquantulum Nerlingae apud Annam sororem, Tubingense, Argentinense et Basileense iter sum ingressus, cum vt veteres praeceptores atque amicos inuiserem, tum vt quatuor Isocratis orationes, et duas Demosthenis, quas conuerteram, Oporino excudendas darem. Destinaram autem Archidamum, Philippicam et Symmachicum Christophoro Iulio, cuius fere per annum hospitio liberali vsus fueram, Areopagiticum, orationem Demosthenis *de immunitatibus*, et eiusdem alteram de *militibus Chersonesitanis*, Friderico, Electori Heidelbergensi, cui me Andr. Osiander maioribus etiam in rebus mihi gratificatus, commendarat, Academiam, vt ferebatur, instauraturo. Sed cum literae illae nescio a quo per fraudem interceptae, minimeque principi redditae essent, eo fortasse consilio, vt desperatis rebus in ergastulo manere cogerer, mutaui consilium, te inprimis, Oporine, auctore, qui negabas, te velle ἀνεφάλους μύθους excudere. Sed si totum autorem transtulissem, et gratificaturum mihi, et labores meos, quantum res tuae ac temporum difficultates ferrent, remuneraturum. Hic ego in re longe quidem impari, sed caetera simillima eandem fortunam sum expertus, quam et oratores apud populum Athenienssem, et ipse populus apud Graecos, cui negat Demosthenes integrum esse a gubernanda republ. Graeciae, quam semel gerendam susceperit, vt maxime cupiat, recedere. Putabam enim, tunc me eo labore defunctum, tolerabili conditione suffragiis doctorum amicorum oblata, pristinum studiorum meorum cursum persecuturum. Id vero tantum abest factum vt sit, vt iam vltra vigesi-

vigesimum annum in eodem pistrino molam, ac propemodum verear, ne illi prorsus sit immoriendum. Bibliotheca quidem mea hactenus adeo frui non potui, vt liberali emtori aequissimo pretio eam sim addicturus, cuius

Nunc fruor adspectu, veluti spado, virgine gaudens,
Gaudia melle pari felleque mista capit.

Oneri quidem et sumtui mihi, domicilia, ciconiarum instar, saepius mutanti, fuit potius, quam vsui et honori. Tum autem hac spe Argentinam reuersus, id, quod tu iusseras, exsecutus sum, in aedibus medici celeberrimi, et veteris amici, Sebaldi Hauenreuteri, qui mihi domum victumque communem iam ante liberalissime obtulerat, neque in hunc vsque diem omnibus officiis ornare me destitit. Qua in re tanta animi alacritate perrexi, vt interdum vno die duodecim Graecas pagellas absoluerem: reliquas certe septemdecim orationes cum nouem epistolis et vita Isocratis, a tribus descripta autoribus, intra mensis vnius spatium confeci. Deinde semestre circiter datum est emendationi et annotationum conscriptioni, statimque prelo subiectus Latinus Isocrates anno 1548. publicatus est, temerario prorsus (vt Fabii verbis vtar) editionis honore, euentu tamen feliciore, quam prudentiore consilio. Maiorem enim habebam tum Graecae linguae vsum et facultatem, quam Latinae, deque stili puritate parum laborabam, id satis esse ratus, si autoris sententiam vtcunque expressissem, vt posset intelligi, praua consuetudine nostri saeculi et nationis fretus, quam Egnatius, *τὴν Ἡγησίππε λοιδορίαν μιμησάμενος, τὸν ἐγκέφαλον ἐκ ἐν τοῖς κροτάφος, ἀδὲ ἐν ταῖς πτέρναις, καταπεπατημένον φορεῖν*, sed cerebrum in digitis habere dixit, propter inconsideratam quiduis illinendi chartis audaciam, quae tamen male (sic) mihi cessit. Nam et patroni (vt initio significaui) primum

id meum et minime elaboratum opus approbarunt, et hac occasione commissi mihi fuerunt Augustani discipuli, quos biennium apud vos, vnum annum Lutetiae Parisiorum institui. Vnde in Fuggeram familiam primum adscitus, post a senatu Augustano ad Graecas Latinasque literas docendas sum vocatus, quo in munere versor adhuc, eo studio, quod fides mea postulat, eo successu, quem siue loci genius, siue fortuna mea, siue tempora nostra patiuntur. Argentinae autem dum agerem, cum opportunum erat, Theologos, Petrum Martyrem, Mart. Bucerum, Paulum Fagium, in Philosophia et literis Io. Sturmium et Iustum Velsium audiebam, quem posteriorem, conciliata mihi eius per Christophorum Ehemium notitia, pluribus de locis consulebam. Bene mihi cupiebat et Bucerus, lectis lucubrationibus quibusdam meis, mihique subindicabat, si in classe docere vellem, fore mihi spem non multo post publicae praelectionis. Verum ego verebar, vt quaternarum horarum, in tanta discipulorum frequentia, laborem perferre p[illegible]et mea imbecillitas, et, vt verum fatear, superiore loco, arroganter potius, quam vere, me dignum iudicabam. Non enim parua res, nec paruae eruditionis opus est, Graecos et Latinos oratores vel pueris interpretari cum fructu, eorumque animos, linguas et stilum salubribus et necessariis praeceptis instruere atque informare. Sed ita fit, iuuentus nec magnitudinem rerum, quae in speciem paruae sunt, metitur animo, et nocentissimo opinionis errore sibi praefidens altiora cogitat. Quo eodem morbo tunc et ipse laborabam. Qui si ea prudentia et moderatione fuissem, qua nunc, si non sum, at esse debeo, fortunam illam peramplam et prouinciam honestissimam cepisse me iudicassem. Post enim eam occasionem per annos amplius decem, non maiore stipendio, sed minore colendi studia com-

com-

moditate, partim typographicum, partim aulicum mancipium egi. Nam quum, te nomen meum deferente, Auguſtani, quos ſupra dixi, diſcipuli (quorum vnus adhuc, Conradus Marius, ſenator Auguſtanus ſupereſt, caeteris variis caſibus e medio ſublatis) erudiendi traditi mihi eſſent, inter quos vnus Bauarus, vt Gerbellius, quaſi numine afflatus, praedixerat, moleſtior mihi fuit, quam reliqui, Baſileam profectus ſub Calendas Aprilis, et quaternas horas illos docui quotidie, cum in eodem mecum conclaui et cubiculo noctu atque interdiu verſarentur, et totum illud biennium, vsque ad Calendas Februarias, conuertendo et emendando Demoſthene te auctore transegi. Cum enim ſpecimen vidiſſes, Cherſoneſitanam, et Leptineam, eum me eſſe putabas, quem Demoſthenes interpretem non recuſaret, meque hortabare, ne obtrectatorum conuitia reformidarem, quae nec ipſi vtriusque eloquentiae principes, Demoſthenes et Cicero, vitare potuiſſent. Bonifacius autem Amerbachius, cum id moliri me comperiſſet, per ſpeciem laudandi praeclari conatus, me haud obſcure a tanta temeritate deterrebat, qui, nec Eraſmum, nec Budaeum, quicquam in eo autore fuiſſe auſos, affirmaret. Verum ego tum τῶν ἐσχηματισμένων Διονυσίᾳ λόγων, καὶ τῆς Ἑρμογένους περὶ Δεινότητος μεθόδου ignarus, te potius ducem atque auctorem ſequebar, Pauſania, quem inchoaram, Abrah, Loeſchero mandato, qui non multo poſt me Baſileam ſecutus fuerat, vbi, vt diſcipulos haberet, quos honeſto ſtipendio inſtitueret, per occaſionem curaram, qua ille prudentius et felicius vſus, quam ego, iurisprudentiae laureola ornatus, et opibus ac dignitate auctus nunc (quod ex animo illi, vt et compluribus aliis amicis gratulor) Norimbergae floret. Nec multo poſt Baſileam Ludouicus Carinus, vir doctiſſimus et humaniſſimus ſenex, venit, mecumque egit, vt ſibi cum

Io. Fuggero (qui nunc solus ex omnibus gentilibus suis aliquam sui rationem habet) in Gallias ituro hypodidascalus essem, non aspernando praemio, et spe multo ampliore proposita. Antonium Fuggerum, auctoritate et gratia sua facile a parentibus discipulorum meorum, qui eidem Loeschero tuto committi possent, impetraturum, vt missum me facerent. Ibi ego quamuis in spem non exiguam arrectus, consulendum tameu prius Hauenreuterum, summum atque intimum amicum, cuius mihi et prudentia et beneuolentia explorata esset, ratus, conscensa naui, Argentinam sum profectus, illoque hortante, me in potestate Carini fore, pollicitus, modo ille caueret, ne ea mutatio vel dedecori, vel fraudi mihi esset. Sed et in reditu, nautis comitibus, robustissimis hominibus, aestu et fatigatione et sulfuratis vinis paene confectus sum, nec voti illius compos factus, cum Fuggerus Basileensem ministrum, suspicionis vitandae causa, repudiasset, et priores dominos leuitatis me arguentes grauiter offendi, τριταίθλιος ἐπὶ μιᾷ κενῇ ἐλπίδι γενόμενος, meumque Demosthenicum saxum voluens in vestra vrbe ita vixi, vt te et typographos reliquos, virosque doctos, amicos haberem, vulgo ignotus, improbis etiam, nescio quibus de causis, ridiculus, nec hospitio in salsuginosa vicinia satis commodo vsus, ac potius multis de causis infesto, quas tacere praestat, quam mouere Camarinam, quod aiunt. Eodem anno, quo istuc veni, inter deambulandum, ac potius ex arduo loco imprudentius decurrendum, prolapsus, ac in caput praecipitatus, miraculo quodam incolumis euasisse videor, capite prorsus illaeso, dextroque brachio tantum luxato, confractoque osticulo, vnde per omnem aetatem minus eo et firmo et ad scriptionem apto, vtor. Nemesi ipsa, vt opinor, temeritatem in scribendo meam castigante, eoque velut omine monente, manum

num de tabula. Te vero adhuc memini indignari, malum illud non potius ignauo cuipiam et improbo homini accidiſſe. Sed calamitas illa me vltra triduum non remorata eſt. Tanta enim eram incitatus Demoſthenicae conuerſionis abſoluendae cupiditate, vt laeua dextram ſubleuans non multum, aliquid tamen ſcriberem. Nam cui dictarem, praeſto nemo erat. Sebaſtiani autem Caſtalionis, quem nondum viſum ob Prodromum eius et Ionam eleganti carmine deſcriptos admirabar et amabam, iucunda et vtili conſuetudine ſum vſus. Nam cum eo et inter deambulandum variis de rebus et ſacris et prophanis familiariter colloquebar, et eius iudicio in corrigendo et Iſocrate et Demoſthene, quod ad dictionem attinet, vtebar, et quia re pertenui, ſtipendio nullo, familiam ex typographicis operis vtcunque ſuſtentabat, tenuitatem eius pro virili ſubleuabam. Eram enim Baſileae degens pecunioſior, quam nunc ſum, acceptis centum Ioachimis a Senatu Norimbergenſi, et ſeptuaginta florenis, praeter victum a diſcipulis, cum quidem ſumtus perexiguos facerem. Non enim tam refert, quanti ſint reditus, quam quantae expenſae, diuesque habendus eſt, non qui multum accipit, ſed qui parum conſumit. Quod ignorans bonus ille Caſtalio aeque, atque alii inepti homines, qui me ſtatim a Fuggeris inauratum fuiſſe opinati ſunt, (vt proximis anni 66. comitiis non ſine dolore et moleſtia ex Carolo Vtenhofio, excellenti ingenio et doctrina iuuene, cognoui) conqueri de me ſolitus fuit, vt qui praeſentem coluiſſem, negligerem abſentem. Verum iniquiſſime. Nam quum poſt diſceſſum meum praelectio Graeca illi mandata eſſet, non putabam, eum, qui antea ſine ſtipendio ſe ſuosque ſuſtentaſſet, nunc demum egere, nec ille quicquam a me petierat, et ego ipſe rerum mearum ſatagebam Praeterea (verum vt fatear) nonnihil of-

fenderat animum eius arrogantia, qui verſus meos illi honorificos et tales, quorum neque me, neque illum pudere debuit, in conuerſionem Bibliorum ipſius, ſuperbe reieciſſet, tanquam dehoneſtaturos lucubrationem ſuam. Tibi quidem ita probati fuerunt, vt eos, illo ignorante, multis exemplis praefixeris. Iam cum ego et in praefatione Demoſthenis, et in verſibus Iſocrati additis mentionem eius honorificentiorem, quam pro meritis, feciſſem, ille eidem Iſocrati pentamentron hoc addidit — *Sed aquis non ſine Caſtaliis:* quo innuebat, ſi quid elegantiae meae interpretationi ineſſet, id non Wolfii, ſed Caſtalionis eſſe: et quod ego illi, nimio quodam declarandi grati animi ſtudio vltro detuleram, id ipſe quaſi debitum iure ſuo ſibi vendicabat. Admonuerat me autem, vt abſtinerem formulis, quarum autorem probatum non haberem, et vt autoris verbis quam proxime inhaererem, nec mihi luxuriandi licentiam ſumerem. Haec fere ſumma eſt meritorum illius, quae multis coronatis mihi conſtiterunt, non illo quidem exigente, ſed me vltro largiente. Quod ſi mei diſcipuli, quos variis in locis interim habui, eadem liberalitate, et illas et alias longe plures admonitiones compenſaſſent, (id quod minime vnquam deſideraui) iam pridem auro abundaſſem. Nunc ille perinde facere viſus eſt, atque muſca illa in fabula, quae cum quadrigae inſediſſet, totum currum ſua vi agitari gloriabatur. Haec non ſcribo, illius ſugillandi gratia, (quem, vtut viuus de me ſenſerit, ne defunctum quidem amare et magni facere deſtiti) ſed defendendi mei cauſa ab ingrati animi crimine, quum longe plus illi praeſtiterim, quam ille mihi. Nam ſi lucubrationes meae victurae ſunt, illius nomen vna cum meo in iis viuet, et ego pro verbis aurum illi numeraui. Sed eſt neſcio quod ſupercilium et quaſi clandeſtinum odium exterorum in nos Germanos,

nos, quorum ſimplicitati illudere et inſultare pulchrum ſibi putant, et (quod mihi Iacobus Goupylus Lutetiae dicebat) ea perſuaſio penes plerosque viget, vt Muſas apud ſe ſolos habitare, atque aeternum domicilium conſtituiſſe arbitrentur. Idem arrogantiae vitium et maleuolentiae in altero etiam eiusdem gentis animaduerti. Qui cum mihi aliis rebus occupato ſuam vniuerſitatis hiſtoriam, quae tum ſub prelo erat, tantum non per vim legendam obtruſiſſet, egoque, ea perlecta, pro candore meo nimiaque facilitate, verſus aliquot in commendationem operis ſcripſiſſem, eodem faſtu repudiatus ſum, vt indignus ſcilicet, a quo tanti viri laudarentur. Caeterum biennio ad hunc modum apud vos exacto, Demoſtheneque edito, quum diſcipulorum parentes me Lutetiam ire iuſſiſſent, Auguſtam id opus dorſo mecum attuli, ſed ad patronum tum aegrotantem admiſſus non ſum, ab Antonio tamen Fuggero per aliquot dies conuiuiis exceptus, humaniterque habitus, et Nerlinga reuerſus, vbi ſorores inuiſeram, Luſitanico nummo, qui decem ducatos valebat, ob ſcriptum vxori et liberis epicedion donatus. Idem (quod interim tamen et ſero animaduerti) me in Italiam ſuis ſumtibus ablegaſſet, ſi vti foro ſciſſem,(ſic) vtrum id e re mea futurum fuiſſet. Reſpondebam autem ſimpliciter, eſſe me quidem celeberrimae regionis videndae percupidum, ſed timere flagitia et ſcelera nationis illius. Tum ille, ſunt quidem, inquit, complures illic callidi atque improbi, ſed viciſſim vix alibi viros prudentiores et meliores inuenias, Sic tum ab illo diſceſſi Baſileam rediturus, officia ſua benigne pollicito. Ibi compoſita ſupellectile, paratisque rebus neceſſariis, Gallicum iter comitatu ſedecim equitum ingreſſus ſum, Baſileam altero anno longe diſſimili comitatu rediturus. Lutetiam ingreſſi ſumus, 27. Apr. ac a Ioanne Kielmanno, nunc Wirtenbergenſi medico,

rebus omnibus adiuti, absque quo si fuissem, ignarus linguae et morum in summis difficultatibus versatus fuissem. Subleuabar nonnihil et a Mich. Vascosano, et Iacobo Goupylo medico. Praebebat se mihi comem et benignum Petrus Ramus et Adrianus Turnebus. Sed Io. Strazelius, Professor regius, meas interpretationes pro suggestu plane canina rabie exagitabat, τὰς ἀντιπάλας λόγας interpretans. Cuius praelectioni, quum semel fortuito interfuissem, meamque versionem ab eo per calumniam fugillari coram audiuissem, egredientem ipsum appellaui, meque velle cum eo de locis, quae notasset, placide conferre, sum professus. Tum ille: profecto mihi (inquit) nunc otium non est, alias, vbi voles, domi meae me conuenias licebit. Conueniam ergo, inquam. Sed quoties Wolfius fores pulsabat, toties Strazelius domo aberat. Pertaesus igitur atque perosus vanitatem calumniatoris, nihil mihi cum eo post negotii esse volui. Erat tum alius quidam poëtaster, homo parum sani cerebri, Hubertus Sussamaeus, qui cum me in bibliopolio Iacobi Puteani conspexisset, rubentem adhuc solito magis e quatuordecim dierum equitatione, heus, inquit, Germane, tune is es, qui Latinum Demosthenem nobis dedit? Sum, inquam. Tum ille: nos Galli non curamus Demosthenem, Cicerone contenti: atque ita e taberna se proripiens, facies (inquit) bibonem indicat. Inter haec non deerant, qui me in plateis ambulantem, non medio digito, vt Demosthenem Diogenes, demonstrarent. Habebam et Germanos nonnullos mei studiosos, inter quos praecipui fuerunt Sigfridus Pfinzing, Norimbergensis, omnibus naturae et fortunae dotibus ornatissimus adolescens, et longiore vita, melioreque fortuna (sed aliter diuinae prouidentiae visum) iudiciis omnium dignissimus, Matthias Ritterus, Francofurtensis, Hier. Boppius, Argenti-

gentinenſis, et Ambroſius Lobwaſſerus, et complures nobiles adoleſcentes. Verum nihil omnium rerum Lutetiae iucundum erat, in vrbe ambulanti ſtatim dolor capitis e foetore ſordidarum platearum oboriebatur, piſcium eſum ſtomachus reſpuebat, ſed inprimis verebar, ne Sorbona ab aemulis concitata me pro haeretico igni abſorberet. Idem metus in cauſa fuit, quo minus luculentam conditionem a Iac. Spifanio, Niuernienſi epiſcopo, legatoque regio, qui me ſibi et comitem itinerum ſuorum et a ſtudiis Graecis et Latinis, ſi quando vacaret, eſſe cupiebat, oblatam acciperem. Itaque primo quoque tempore reditum in Germaniam maturabam, inuitis dominis, qui me liberis ſuis, quam Danielem Oeſyandrum, quem ὑποδιδάσκαλον Baſilea mecum adduxeram, praeeſſe maluiſſent. Is, tum adoleſcens, nondum, vt opinor, viginti annos, ſtupendo ingenio et doctrina, (habeo enim adhuc complures eius et Graecas et Latinas epiſtolas, quarum nec Romae nec Athenis natum pudere debeat) ſatellitum Regis Heluetiorum conſuetudine et ſpectaculo duellorum in Italia deprauatus, nauata Marchioni Alberto, et poſt eius obitum Io. Wilh Saxoniae duci, opera, quum ad opes non contemnendas peruenisſet, miſerabilem (ſi fama vera eſt, quae vtinam vana ſit) vitae exitum eſt ſortitus. Venia tandem impetrata, conditionem aliam quaerebam, quae duplex offerabatur, vna apud Io. Iac. Fuggerum, altera a Chriſtophoro Carolouicio, qui victum communem et centum thaleros, dum vel in aula, vel in Academiis Mauritii principis honeſtus locus vacaret, promittebat. Interim intellexi, praeſtantem illum virum et in maximis negotiis imperii Germanici verſatum, multorumque arcanorum conſcium, ſtilo meo qualicunque in eo argumenti genere, quod Sleidano fuiſſe exitio ferunt, tractando vti voluiſſe. Sed neutra illarum variis

de cauſis ſucceſſum habuit. Itaque ſub Nonas Februarii Baſileenſe iter ingreſſus, Petro Guinando, Allobroge, comite, priusquam vrbem egreſſus eſſem, calcei anguſtiores ita calces attriuerant, vt cruentarentur. Itaque eis pro ſoleis vti coactus, per profundas niues nunquam fere ſiccis pedibus hoſpitium ſum ingreſſus, ac decimo tertio die poſt Baſileam carro, qui ab vno equo trahebatur, ob defatigationem longi et hyberni et quadrageſimalis itineris, in quo (in Burgundia praeſertim) praeter vinum διερητικώτατον et atrum panem vix quicquam mihi praebitum fuerat, conducto, ingreſſus, nec a te, Oporine, nec a quoquam alio admodum benigne et amice exceptus. Apparebat enim, moleſte ferre vos, neque dignitatis augendae rationem habitam, et diſcipulos a me relictos. Illud vero parum vos mouebat, quod, niſi illos reliquiſſem viuus, non multo poſt mortuus relicturus fuiſſem. Habui annum illum, quo in Gallia verſatus ſum, ac potius totum triennii tempus, quod edendo et recognoſcendo Demoſthene, quem, vna cum Iſocrate, Vaſcoſano breui recudendum reliqueram, ita infeſtum, vt paene fidem habere cogar Aeſchini, infelicitatem Demoſtheni obiectanti. Nullum, inquit aemulus ille atque accuſator vehemens, hominem attigit Demoſthenes, nullam domum, nullam vrbem ingreſſus eſt, quam non contagione mali ſui genii complerit atque euerterit. Mihi certe eum ſtudioſe lectitanti, et phraſes ac ſententias illius excerpenti, ea acciderunt, quae ſupra expoſui; inter conuertendum periculum capitis adii, patrono illum oblaturus aditu prohibitus ſum, quinquaginta exempla, quae tu mihi remunerationis ergo dederas, variis ac diuerſis in locis habitantibus doctis viris atque amicis deſtinata, vna cum literis, vel fraude miniſtri tui intercepta, vel alio caſu periiſſe, ex eo coniicio, quod nemo

nemo fere omnium vel respondit quicquam, vel gratias egit pro munere, vno atque altero exceptis. Quibus etiam elogiis Lutetiae fuerim honestatus, paulo ante dixi. Patronus porro cum tandem conualuisset, quadraginta florenorum honorarium mihi decreuerat, cum quidam Fuggeranus minister, et praecipuae in ea familia auctoritatis, tantum non auri montes pollicitus fuisset. Ego vero et hic hospite absente rationes confeceram, spes meas magnificas nemini magno pretio venditurus. Sic enim cogitabam: si Isocrates tantum attulit, quid de Demosthene fiet? si Norimberga tantum, quid Fuggerana familia, cuius et regiae opes et singularis erga doctos munificentia celebratur. Verum istae bonae rationes ita me fefellerunt, vt fateri cogar, quamuis cum dedecore meo, (quod enim magis meditari decet hominem Philosophum, quam μετριοπάθιαν? (sic) quid stultius, quam incerta habere pro certis? quid ineptius, quam alienae liberalitati praescribere modum, et tanquam ex syngrapha agere cum patrono?) negare igitur, inquam, non possum, me per omnem vitam, quae multis acerbitatibus referta fuit, nunquam in maiorem desperationem et indignationem incidisse. Eundem Demosthenem in herili bibliotheca biennio post recognitum ac tandem editum, etiam Aeschine adiuncto, nihilo feliciorem sum expertus. Tantum enim abfui, vt fructus inde aliquid aut gratiae ad me rediret, vt etiam offensam patronorum incurrerem, ob Elegiam ad fratrem adiunctam, quam ita sycophantae quidam interpretabantur, quasi Fuggeranae familiae male ominarer atque diffiderem, cum ego non aliud agerem, quam vt fratris fortunam mea esse certiorem ostenderem, pendens a tenui filo incertae gratiae potentum, cuius euentum ego neque primus, neque postremus, sum expertus. Inprimis vero versus hic:

Deli-

Deliciae eneruant animos, et corpora frangunt:

facete admodum exagitatus fuit, quum obiiceretur, annon praeſtaret, vti ſalubribus et boni ſucci cibis, (quum liceret) quam bubula et ſuilla, et cepis atque alliis veſci, aut crudis oleribus? In quo etiam inconſtantiae immerito arguebar. Fueram quidem in praefatione Demoſthenica de victu ſcholaſtico parum ſtudiis et valetudini meae conueniente conqueſtus, delicias autem non eo accuſaram, quod improbarem, ſed quod verebar, ne amiſſas fruſtra deſiderarem, ac minus etiam, quam pridem, aſperiorem victum ferre poſſem. Sed iam tandem ſuo genio Demoſthene relicto, Baſileam ad vos eſt redeundum. Ibi Martinus Borraus Cellarius operam dabat, vt, decreto mihi ſtipendio tanto, quantum ipſe, qui doctor Theologiae eſſet, haberet, Graecas literas docerem, et nauanda typographis opera rei familiari ſeruirem. Sed quum et ſtipendium pertenue eſſet, (quippe triginta ſex coronatorum) et typographica ſeruitus diſpliceret, aliam fortunam meliorem exſpectandam putabam. Eo accedebat, quod peſtilentia etiam ante aduentum meum ſerpere ibi coeperat, nec erant eae erga me amicorum voluntates atque officia, quae ſperaram. Quibus omnibus de cauſis allata tandem Lutetia ſupellectile mea, coepi conſilium eundi Auguſtam, relatisque triennii rationibus, receptisque libris, quos ante abitum in Galliam eo (ſed non parua et librorum et veſtium iactura facta) miſeram, in patria aut Nerlingae meliorem occaſionem exſpectandi. In eo itinere Georgium Hermannum Caudournae (Kaufbeuren) inuiſi, ab eoque et Ge. Laeto benigne ſuſceptus, et per triduum retentus, deſtinatum iter confeci. Et quia Carolus Caeſar, praeſente etiam filio Philippo, nunc rege Hiſpaniarum, comitia tum ibi agitabat, vix mihi locus erat in Conradi Marii conſulis, patronique mei, aedibus. Vbi

poſt

poſt multa impedimenta et mercatorias in conficiendis rationibus (cuius artificii ne nunc quidem magnum vſum habeo) ludificationes (videbantur enim et illi diſceſſum Lutetia meum, ſed paulo occultius et vrbanius, quam vos Baſilienſes, vlciſci velle) negotio meo confecto, acceptaque, quae debebatur, pecunia, non ampliore, quam vnde annum meis ſumtibus mediocriter poſſem viuere, iter in patriam inſtituebam. Sed Xyſtus Betuleius Ioanni Bapt. Haimzelio, cuius familiaritate et patrocinio, vt et fratris Pauli Conſulis (Danielem enim, et ipſum mihi fauentem, mors immatura intercepit) me iam per complures annos vti, ex aliis meis ſcriptis, qui volet, cognoſcet, me in vrbe eſſe indicarat, qui, me inuitato, cum ſororio ſuo, Io. Heinr. Herbardo, vt ſuſpicor, egerat, vt is quoque me ad prandium vocaret. Quo peracto, inter varia, quae mecum loquebatur, iniecto ſermone, quidnam conſilii haberem? meque reſpondente, in patria velle curare valetudinem, et circumſpicere conditionem mihi aptam, hoc ille audito, haec vtraque, inquit, hic ſine tuo ſumtu conſequi poteris. Delector enim conſuetudine doctorum. Ego vero eam fortunam non aſpernandam ratus, me ad eum conferebam, ibique Epicteti conuerſionem inchoabam. Interim et Richardus Moriſinus, Regis Angliae, Eduardi VI. legatus, mea praeſentia cognita, me ſumma humanitate et liberalitate proſecutus, in Angliam ad Suffolcienſem ducem erudiendum, luculento ſtipendio, honorificaque conditione ablegaturus erat. Verum et voluntati illius et commodis meis (etſi hoc incertum eſt, talibus Britanniae temporibus breui conſecutis) fata ſcilicet obſtiterunt. Dum enim haec ipſa tractantur, princeps adoleſcens e vita excedit, nec multo poſt per internuntios quosdam ad Io. Iac. Fuggerum, cui Demoſthenem dedicaram, accerſor. Is quum mecum

cum ageret, vt et Latinis literis ſcribendis et curanda bibliotheca, de qua tacere, quam pauca dicere praeſtat, atque alibi a me nonnulla dicta ſunt, operam ſibi nauarem, quod voluit, (quorſum enim ea, quae interceſſerunt, prolixe commemorem, quae e Luciani opere περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων, peti pleraque poſſunt) impetrauit, etſi (verum vt fatear) animo meo nonnihil alienato et adhuc offenſo, quod non is fuerit inſcriptionis laborioſiſſimi operis et praeſtantiſſimi oratoris euentus, quem exſpectaram. Sed ita erat in fatis ſcilicet, ne dicam, in fatuis. Nam cum ex me quaereretur, quantum numerari pro nauanda opera mihi vellem, reſpondi, me de parandis opibus non laborare, honeſto victu et amictu contentum. Neſcire autem, quae ratio ſumtuum huius vrbis eſſet, quam vbi cognouiſſem, rectius tum poſſe ſtatuere. Interim me rem heri permittere liberalitati. Stultum hoc reſponſum approbatore (ſi modo approbator, non ſubſannator ille fuit) non caruit. Cuius euim vecordiae fuit, de comparando aduerſae valetudini et ingraueſcenti aetati viatico mature non cogitare? Quaſi vero exploratum eſſet, me in illa familia, ὥσπερ ἐν πρυτανείῳ, σίτησιν perpetuo habiturum. Agnito itaque errore meo, quamuis petenti pecuniam daretur quantum vellem, (volebam autem non niſi quantum neceſſitas exigebat) primo ſeruitutis anno elapſo, petii decerni mihi centenos coronatos, nec ſine offenſa heri, quum initio bona cum gratia plus licuiſſet, (omnia enim difficilius impetrare ſolet, qui principio ſibi defuit, ſuique iuris eſſe deſiit) centenos taleros obtinui, cum hac appendice, ſi quid decederet, heri liberalitatem mihi non defuturam, qua ſemel tantum ſum vſus, florenis ſexaginta petitis ad veſtes comparandas. In eo igitur munere ſex integros annos et amplius verſanti, etſi pecuniae nihil acceſſit, tamen Fuggeranae fami-

familiae singularem humanitatem sum expertus, ita vt mihi omnium aedes paterent, et omnia comitatis officia supra meritum et dignitatem meam praestarentur. Eo tempore etsi studiis parum loci erat, (nam et conuiuia procerum, et circumuectationes, et conficiendorum indicum occupatio multum mihi temporis auferebant) Isocratem Graecolatinum et Demosthenem, accuratius recognitos edidi, Aeschinem praeterea oratorem, et commentarium Astrologicum, et historicum Zonaram et Choniaten conuerti, qua de re paulo post. Caeterum si et patronus meum ingenium diligentius inspexisset, et ego illius liberalitate vti scissem, vtrisque rectius consultum fuisset. Studebat ille me hominem politicum efficere, ingenio meo repugnante (Num (sic) Δία γὰρ Lacon ille aiebat, ἔνδον τι ἔμμεναι δεῖ) et ad aulicas dignitates promouere. Sed cum scholasticam meam simplicitatem ei rei minus idoneam, voluntatemque abhorrentem ab aula cerneret, atque homuncio quidam, scarabaeo nigrior, nullas non et extenuandae doctrinae meae et mores exagitandi machinas ex inuidia et aemulatione clanculum moueret, quem vnum in frequenti familia obtrectatorem habui, (quod quidem hactenus rescierim) quum initio summam erga me beneuolentiam simulasset, necessaria quidem omnia liberaliter etiam absens praebenda mihi curabat, in caeteris non magni facere me videbatur, adhibebat tamen suae mensae propter aliquam nominis mei celebritatem. In eo splendore ita mecum agebatur, vt de Lacedaemoniis scribit Aristoteles quos ex semisse tantum beatos esse ait, quod cum reliquis imperent, ipsi pareant mulieribus. Sic ego epulas quidem lautas habebam, sed quia herus abstemius vix odorem vini ferre poterat, plerumque Neccaricum acetum aqua probe dilutum apponebatur, stomacho meo atque intestinis inimicissimum. Quod

tam

tam diu ferre ſine interitu nullo modo potuiſſem, niſi (vt antea dixi) nuce muſcata et aliis medicamentis ventriculum ſubinde refouiſſem. Quod ſi occaſione animaduerſa, vti foro potuiſſem, facile impetraturus fui, vt et οἰκοσίτῳ eſſe mihi, et confectione indicum, (quae maioris laboris erat, quam ingenii) via ſemel demonſtrata, mandata amanuenſi, codices Graecos manuſcriptos, quorum ingens theſaurus, vt et Hebraicorum, bibliotheca illa continetur, partim perlegere, partim conuertere, partim Graece edendos curare licuiſſet. Quod illi, viro natura liberali et magnifico, et laudis gloriaeque cupido, adeo graue futurum non fuiſſe, certo perſuaſum habeo, vt magnam etiam ab eo gratiam fuerim initurus. Sed quod Ariſtophanes Cleoni, acerbo ſcommate, tribuit, id ego, etſi non ſine dolore et pudore, omnino tamen fateri cogor, me et ſaepiſſime fuiſſe, et fortaſſis etiam nunc eſſe προμηθέα μετὰ τὰ πράγματα, oblatasque occaſiones vel non perſpicere, vel amittere, easdemque amiſſas fruſtra deſiderare. Vnde factum eſt, vt herus, defuncta priore coniuge, Vrſula Harrachia, egregia heroina, (quam vnam, quod probitate mea et doctrinae fama delectabatur, marito tamdiu retinendi mei auctorem fuiſſe credo) paulatim occaſiones quaerere coepit mei honeſte dimittendi. Ac in ea re paene biennium eſt conſumtum, cum quidem ſaepius haud obſcure animaduerterem, me minus eſſe gratioſum, tum propter ſumtus, quos, rationibus ſuis ita poſtulantibus, minuere ſtudebat, tum propter Nigrini, quem dixi, crebras et clandeſtinas, atque etiam aliquando apertas, ſed iocorum ſpecie praetextas, mei criminationes. Huius enim rei magnas occaſiones habent, qui excrementa Iouis intuentur, et thus atque myrrham olere exiſtimant. Eundem aliquando dicere memini: in quem alieni corporis morbi atque vitia magi-

magicis artibus transferrentur, ei nullis remediis ſuccurri poſſe, mihique neſcio e quibus prognoſticis, non certe Hippocratis, praedicere, fore, vt omnium membrorum vigor, ſi non vſus eriperetur. In quo vtinam illae ψευδόμαντις fuiſſet, nec ego alienam intemperantiam ſaepiſſime luiſſem. Nullum certe quidem totius corporis membrum, vel internum, vel externum ſcio, in quo non mali aliquid habuerim, vel habeam, vel metuam, ſiue id mea geneſis portendat, ſiue γοητικαὶ κακοτεχνίαι conciliarint, ſiue ratio corporis atque aetatis apportet. Sed quia ſalebroſus hic locus eſt, et ſuſpicionum atque offenſionum plenus, ex eo eluctati ad viam planiorem et minus impeditam properemus. Hoc ſtatu rerum Io. Doreſchwanus, vetus Fuggeranae familiae procurator, quum ingraueſcente aetate ſe in libertatem vindicaſſet, reque familiari in Neoſolio, Pannoniae inferioris caſtello, frui decreuiſſet, animi gratia, Conſtantinopolim et Amaſeam vſque, Cappadociae vrbem, Strabone alumno celebrem, excurrit, indeque reuerſus, Zonara et Choniate, quos dixi, ſecum allatis, Antonio Fuggero autor fuit, ſcriptores diu deſideratos mea opera Graece Latineque in publicum edendi. Factum id eſt menſe Decembri anni 1555. adiunctusque mihi Hieremias Martius, nunc Auguſtanus Phyſicus, tum adoleſcentulus ingenioſus, et manu eleganti, qui et Graeca deſcriberet, et conuerſionem meam cum iisdem coniungeret. Haec vtraque facilius impetrata fuerunt, quod Ludouicus Carinus, cum apud alios complures viros illuſtres, tum apud Fuggeros, quorum plerosque inſtituerat, gratioſus, id inſtitutum ſuo ſuffragio comprobarat Ita conduplicabatur mihi labor, quum et bibliothecam curarem, et hero a Latinis epiſtolis eſſem, (etſi ea non magna erat occupatio) et interpretem agerem operis eo difficilioris, quod nec characteribus exoticis, nec

monaſtico dicendi generi, in Graecis oratoribus, philoſophis, poetis verſatus, aſſueueram. Neque vero hoc in loco volo eſſe prolixior, quum, ſi quis volet, reliqua e Byzantinae hiſtoriae praefationibus poſſit cognoſcere. Anno fere poſt, Auguſtino Myllero, Syndico huius vrbis, mortuo, qui, cum collegae eius, ſcholarchae reliqui, operam meam ad docendas Graecas literas expetiſſent, ſolus aduerſatus fuerat, quum diceret: (id quod omnino verum fuit) Matthiam Schenkium eadem omnia, quae a me exſpectarentur, praeſtare et poſſe et velle; mecum actum eſt per Io. Hainzelium, id quod fere biennio ante Gedeo Sailer medicus obſcurius tentarat, vt ſingulas horas quotidie Graece docerem. Perſuaſum enim fuerat ſcholarchis ab obtrectatoribus et aemulis, primarium ſcholae gubernandae non eſſe parem, quum ille vel audiſſet ex illis, offenſionem eius cauentibus, vel ſuſpicaretur, me collegam ſibi datum, vt parte laborum aliqua leuaretur. Poſt multas autem diſceptationes et heriles iniurias (quum enim famulum eo tempore non haberem, mea opera plane ſeruiliter abuti coeperat, egoque indignabundus me iſta facturum eſſe diutius negaram) res eo deducta eſt, vt 300. florenorum ſtipendio et in ſchola reformanda, et docendis Graecis literis, et curanda atque ornanda bibliotheca Auguſtanae Reipublicae operam meam in quinquennium promitterem, quod haud grauatim feci, ignarus, in quantum calumniarum et aerumnarum pelagus praecipitarer. Recognoſco igitur et hic *τὴν προμήθειαν, τὴν ἐπιμήθεως, τὴν ἐκ ὀλίγα βλάψασαν.* Nam quum publica lectio decerneretur, curaudum fuit, vt non in claſſe triuiali, ſed publico in loco, minore contemtu, docerem. Prouidendum fuit, ne mutatio hactenus obſeruatae rationis et ſubita nouatio in multorum odia et criminationes incurreret, deprecanda offenſa inſpectionis

nis classium, (quis enim ignorat τὸς ἐργοδιώκτας, si in ministros improbos et ignauos inciderint, praeter odium nihil quaerere?) et offerenda illius loco conduplicata docendi opera. Postulanda fuit separatio doctiorum, qui me audirent, a rudioribus. Quos quamuis perpaucos, seorsim a me eruditi, et in grauioribus argumentis Demosthenicarum et Ciceronianarum orationum exerceri, et ambitionem et ciuium et hospitum ostentatione quadam doctrinae, praeclarique conatus, excitari, quam ista accommodatione ad captum rudiorum, quae mihi mandata fuit, spem et exspectationem multorum frustrari et studia restinguere. ἀρχομένῳ γὰρ ἔργῳ, κατὰ Πίνδαρον, τηλαυγὲς εἶναι τὸ πρόσωπον ἔδει. Quae si non omnia, pleraque tamen aut obtinuissemus initio, aut alio nos contulissemus, quum receptus honesti non deessent. Fuissent et diuersae quorundam voluntates et obliqua consilia animaduertenda. Verum et publica auctoritas, et noui instituti praeclara species, et concessum literis fruendi otium, inter labores, quos facile ferrem, et stipendium, vnde honeste possem viuere, ita perstrinxerant oculos meos, easque animo meo tenebras obduxerant, vt horum nihil prospicerem, sed prona, plana, expedita, cum publico fructu et mea laude coniuncta fore omnia somniarem. Etiam verecundia impediebar, ne refragari sine periculo impudenter et nimium arrogare viderer, quum ministri munus esset, non praescribere dominis, sed ex eorum praescripto administrare omnia; praesertim, cum senator quidam, aedilem tunc agens, in os mihi, sed quasi per iocum, εἰρωνικῶς dixisset: Tu, Wolfi, nobis altam scholam instaurare instituis, sed istud domini mei (sic enim Academias vocant, et de sese senatores loqui solent) non patientur. Ac locum non esse Academiae in vrbe, maxima ex parte quaestui et voluptati seruiente, satis

praeuidebam. Sed si multorum annorum lucubrationibus partam quantulamcunque doctrinam communicandi cum pluribus negatam occasionem prospexissem, aliud fortasse consilii mature cepissem, nec pauci homines docti indignati sunt, meum ingenium in his puerilibus rudimentis velut obsolescere, atque animum obtorpescere. Ἔξι γὰρ ἀδέποτ', οἶμαι (inquit Demosthenes) μέγα καὶ νεανικὸν φρόνημα λαβεῖν μικρὰ καὶ φαῦλα πράττοντας· ὥσπερ ἀδὲ καλὰ καὶ λαμπρὰ πράττοντας, μικρὸν καὶ ταπεινὸν φρονεῖν. Ὁποῖ' ἄττα γὰρ ἂν τὰ ἐπιτηδεύματα τῶν ἀνθρώπων ᾖ, τοιοῦτον ἀνάγκη καὶ τὸ φρόνημα ἔχειν. Quod si mihi nunc post quatuordecim annorum balbutiem in doctiore et frequentiore auditorio dicendum docendumue esset, ne me turpiter darem, profecto vererer, non quod vel mediocris cognitio rerum bonarumque artium, vel extemporalis facultas dicendi magnopere mihi desit, (etsi memoriam nonnihil hebescere sentio) sed quia periculum esset, ne, vt Ciceronianus Scipio, referrem oculos ad terram identidem, humique potius reperem, et in Augustano phrontisterio me pueris β καὶ α λέγειν opinarer. Nunc certe quoties praelegenti mihi hospites eruditi (quod saepius fit, quam vellem) interueniunt, vehementer me et mei et auditorii pudet, ac doctiores adolescentuli huc profecti, me semel atque iterum auditum fastidientes, discedunt statim, conquerentes, tam pueriliter docere Wolfium. Quod mihi, nisi loqui parietibus malim, facere plerumque necesse est, quum raro vel mediocria ingenia mihi contingant, et maior pars vincat meliorem. Vnde factum, vt multa e bonis conquisita auctoribus inter praelegendum repudiarim, iisque chartis laceratis, commentarioli mei Ciceroniani et Isocratici non vna eademque via progressi pluribus in locis sint iusto breuiores et tenuiores, multaque receperint, indigna fortasse,

taſſe, quae imprimerentur, ſed tamen non inutilia, vel eo nomine, ut moneant adoleſcentulos, perperam eos facere, qui, non dicam, ICti et Medici, ſed Dialectici et Oratores euadere ſtudeant, fundamentis Grammaticae non fideliter iactis, quibus qnicquid ſuperſtruxerint, vt ait Fabius, futurum ſit, vt corruat. Caeterum illo tempore Zonarae et Choniatae conuerſione defatigatus, in thermas ferinas, non tam valetudinis ergo, quam requieſcendi, et inſidias euitandi, quas vitae meae parari ſuſpicabar, ſtudio fui profectus, indeque ſub idus Auguſti, natalem meum, huc reuerſus in aedes Huldrichi Fuggeri, qui iam antea communem victum vltro mihi liberaliter obtulerat, immigraui. Quo in loco tametſi affatim omnia neceſſaria praebebantur, et ſingularis erat heri ipſius erga me humanitas, tamen δι' ἀταξίαν οἰκονομικὴν καὶ ὑπηλά τινα, quae quarto anno poſt, quod ſane dolui et doleo adhuc, in neruum eruperunt, haud ſcio, plusne rei familiari meae ſplendor ille incommodarit (minimum certe quidem pecuniae in illis adibus comparſi, ac potius paene omnis inter manus mihi, neſcio quomodo, euanuit) an valetudini ac philoſophiae nocuerit. Intercedebant etiam nonnunquam offenſae, partim ob criminationes hominum nequam (ne quid grauius dicam) partim ob libertatem meam importunas quasdam παραδοξολογίας pari importunitate refutantem. Anno tandem 1562. Sept. menſe per calamitatem hoſpitis, et praeter exſpectationem meam, nec ſine multis difficultatibus, quaſi in libertatem ſum aſſertus, conductaque domuncula hinc inde oberrans cibi capiendi cauſa, tandem anno ſequente paruam oeconomiam inſtitui, cui, quantumuis frugali, propter extraordinarias expenſas complures, quas, multis neceſſitudinibus implicatus, vel tollere, vel minuere ſatis honeſte non poſſum, ſtipendium meum initio par eſſe non po-

tuiſſet, niſi aliunde aliquid acceſſiſſet. Et quidem diuina prouidentia factum eſſe arbitror, vt generoſus et magnificus vir, Carolus Villingerus, conuerſionem Suidae a me efflagitatam ducentis florenis remuneraretur, et quinquaginta aureis Auguſtana Respublica ob inſcriptionem commentarioli in Ciceronis Officia me donaret. Ita factum eſt, vt et aes alienum vitarem, et ſtatum meum qualemcunque priſtino more tuerer, vsque ad annum 1566. quo elocatio neptis Vrſulae Strauſſiae, quam D. Ioannes, collegae mei, Matthiae Schenckii, filius, Norimbergenſis Phyſicus, in matrimonio habuit, cui quadrantem pecuniae meae doti dixeram, res meas imminuit, effecitque, vt expenſae reditus ſuperarent, paruaque ſpes eſſet redintegrandae ſummae octingentorum florenorum, quibus vna centuria deceſſit. Sed hac de re parum laboro, modo viuenti nihil deſit, haeredes ea, quae ſuperfuerint, gratis animis accipere debebunt, maximis a me parta laboribus et defenſa. Neque enim vllum eſſe opificem arbitror, qui eadem laborandi pertinacia vſus, (parſimonia tamen adhibita, quae mihi defuit) ſublato omni feſtorum et profeſtorum diſcrimine, ἐδ' ἑορτὴν ἄλλο, ἢ τὸ τὰ δέοντα πράξαι ἡγησάμενος, non maiorem fructum cepiſſet induſtriae ſuae. Potuiſſem et ego fortaſſis, ſi et ad rem attentior ac tenacior fuiſſem, et in cognatos ac pauperes minus contuliſſem, nec in bibliothecam, qua per ſeruitutem et typographias parum frui mihi licuit, amplius mille florenos conieciſſem, genus mercis minime lucroſum, aliquid comparare, et reculam meam nonnihil exaggerare. Verum illa ita eſſe collocata, me non poenitet. Qua enim alia delectatione ἄνθρωπος ἄγαμός τ' ἄγονός τ' ὤν, et, vt Epictetus Diogenem appellat, ἀπερίσπατος, animum recreaſſem, niſi libris, ſi minus legendis, certo tamen ordine digerendis, fuiſſem occupatus. Is

ordo

ordo qui sit, si forte quaeris, non grauabor, propter studiosos adolescentulos, aliquid de eo quoque dicere, paulo tamen altius repetito consilio meo. Somniaui perpetuo, (quo enim alio verbo vtar, quum ea spes somnio fuerit inanior?) me locum aliquando, vel in Academia celebri, vel in gymnasio frequentiore et eruditiore habiturum. Quam ad rem bibliotheca et varia et copiosa mihi opus esse putabam, vt quodcunque vel disciplinae, vel autorum genus interpretandum mihi assignaretur, in eo explicando cum fructu adolescentiae quam vberrimo, et cum aliqua approbatione industriae meae versari possem. Ita factum est, vt bibliotheca mea paulatim aucta ad eum numerum excresceret, vt in decem distinctas classes tribueretur, Theologos, ICtos, Medicos, Philosophos, (his suum instrumentum, Dialectica, est adiunctum, vt et caeteris scriptoribus commentarii) Mathematicos, Philologos, Historicos, Poëtas, Oratores, Grammaticos, qui Lexica, Nomenclaturas, Obseruationes, elegantias, et id genus alia, praeter ipsius artis scriptores, continent. In his compingendis opera data est, vt non nisi eiusdem generis libelli coniungerentur, et si qui olim, vel ex imperitia, vel morae taedio, male compacti fuerant, diuellerentur, quae res aliquo sumtu mihi constitit, et libellos nonnullos aliquantulum deformauit. Illud vero mallem, me accuratius obseruasse, vt maximae quosque et chartae et literae codices comparassem, matureque oculorum acici, vt leones vnguibus suis feruntur, peperciſſem. Sed nec semper e copia delectum agere licuit, et multos bonos auctores, Graecos maxime, atque ab Aldo Manutio expressos, in alienis bibliothecis legere et excerpere quaedam sum coactus, quod nec veteris editionis exempla restant, et, qui eosdem velint recudere, pauci sunt, tarda maxime distractione deterriti, ob vere philoso-

phantium, et, Ciceronis exemplo, cum Latinis Graeca ad ſuam vtilitatem coniungentium paucitatem. Decem oratores, Pauſaniam, commentarios Hermogenis, κέρας Ἀμαλθείας, epiſtolas Graecas, Rhetores antiquos, Platonis et Ariſtotelis interpretes, alia complura praeclara monimenta, quotusquisque eſt in noſtra Germania, qui vel habeat, vel pretio tolerabili parare poſſit? Ego quidem etſi iam ante in hoc genere fui paene prodigus, et aetate ac laboribus defatigatus, ne nunc quidem antiquos et probatos autores mihi deeſſe paterer, ſi venales reperirentur, etſi valetudo nummis parcendum eſſe ſubinde inſuſurrat, et temporum difficultates monent, τῶν περιπετειῶν τῆς τύχης aliquam habendam eſſe rationem, vt, ſi alio demigrandum ſit, nec farcinis impediamur, nec viatico deſtituamur. Sed et haec Deo curae erunt, (quid enim, ſi magna congeſta pecunia cura, vel fraudatione, vel incendio, vel latrocinio pereat?) neque Midas quicquam auri ſecum ad inferos detulit, neque egeſtas viros ſanctos veteris memoriae coeli aditu prohibuit, et ego, quacunque hora et genere mortis e terris euocatus fuero, plus in iis relinquam poſt me, quam in easdem detuli. Faxit Deus Opt. Max. vt veram poenitentiam et fiduciam diuinae miſericordiae indubitatam, quae ſummae Chriſtiani hominis et vnicae opes ſunt, mecum aſportem. Cuius voti me fore compotem vt credam, non mea bonitas, quae nulla eſt, ſed clementia Seruatoris noſtri, Ieſu Chriſti, facit. Optaui ab aetate ea, quae iudicii aliquid habere coepit, non voluptates, non opes, non honores, ſed mentem ſanam in ſano corpore, et felicem ex hac vita emigrationem, quae vel vna, vt prioribus caruerim, abunde me beabit. Nam huius quidem vitae eam ſuauitatem ſum expertus, vt, ſi optio daretur, et ſi tertium nihil reſtaret, (quod dictu neſas eſt contra Prophetarum, Apoſtolorum, ipſius Chriſti affir-

ſti affirmationem) Epicuri ψυχοκτονίαν, Pythagorae ſiue μετεμψυχώσει, ſiue μετενσωματώσει longe anteferrem. Itaque ſaepius nocturno tempore coelo ſereno aeternam illam domum (vt Cicero loquitur) et ſiderum diuinum ſplendorem intuens, et cogitare ſoleo, et amicis dicere: ſi ſemel aſcendero, nullum mihi Pythagoram, nullam Pandoram perſuaſuram, vt denuo deſcendam, ac ſitim potius toleraturum, (etſi nec ſiti, nec fami, nec vlli miſeriae aut inopiae locus eſt apud ſuperos) quam Letheum poculum vel primoribus labris deguſtaturum. Nihil in terris habeo, non hominem, non rem, non ſpem, quae vel vnam horam ſuis vinculis aut illecebris me remoretur, contraque fere omnia, quae morti alacriter occurrendum eſſe hortentur, corpus mutilatum, et fractum, et eneruatum multis morbis, multis caſibus, perpetuis laboribus, et doloribus; fortuna paene omnibus conatibus meis pertinax aduerſatrix, labores et aerumnae frequentes, inſidiae et inſidioſae amicitiae, ingenium tenue et exhauſtum, ipſaque aetate languidum, inuidi et obtrectatores lucubrationibus, ſi non plures, quam grati lectores et candidi aeſtimatores, (hoc enim puto vere dicere poſſe neminem, quum ſciam, lucubrationes meas a plurimis cum applauſu et gratulatione ſuſcipi, honeſtiſſimisque elogiis doctiſſimorum quorundam virorum celebrari) multo certe plures et acerbiores, quam vellem; ſomnus, qui ſtultos cum ſapientibus, et infelices cum fortunatis exaequare dicitur, quemque tranquillum et ſomniorum expertem omni felicitati humanae Socrates anteponit, aliquando nullus, plerumque breuis, frequenter interruptus et turbulentus, quique corpus vigiliae debilius fere et aegrius reddat, quam accepit, id quod in morbis Hippocrates inſtantis mortis eſſe praeſagium aſſerit, Theophraſtus vero Paracelſus ſtrigum ludibriis et intempe-

riis expenſum fert. Neque haec in aetatem ingraueſcentem referri debent, cum iuuentus atque ipſa adeo adoleſcentia non multo fuerint meliores. Itaque non vitae ſuauitas in vita me retinet, ſed diuina voluntas, et nefarium facinus de ſtatione diuinitus aſſignata, iniuſſu imperatoris, decedendi, et exſpectatio maioris et ſincerioris contemplationis diuinarum rerum, hic inchoandae, illic perficiendae. Mortis quidem horrore me percelli nonnunquam vehementius, ſi negem, mentiar, non eo, quod vitae finis ſit, ſed quod ſanctiſſimo tribunali diuinae iuſtitiae ſiſtat omnes, in quo quis innocentia ſuo confidat, cum ſimus omnes nocentiſſimi, impiarum cogitationum referti, ſermonibus futilibus et improbis inquinati, omni flagitiorum et ſcelerum genere conſtricti, bonitatis omnis expertes? Tantum enim abeſt, vt heroicae illae virtutes, *fides*, *ſpes*, *charitas*, in nobis luceant, vt ipſius naturae ſcintillae reliquae in plerisque exſtinctae eſſe videantur. Quae qui attentius conſiderat, ſecuro animo quo pacto eſſe poteſt? Quare peropus eſt, et omnibus aliis rebus anteuertendum, vt in portum miſericordiae, per Ieſum Chriſtum promiſſae, mature confugiamus, eiusque vnius fiducia et interceſſione nos ſuſtentemus. Haec igitur vna, mihi quidem, formidandae mortis cauſa eſt, quum vita per ſe viliſſima ſit, et multos ac diuturnos crucitatus ſaepe tolerarim, ipſa morte, vt exiſtimo, (nec enim affirmare poſſum, quod expertus non ſum: ſed tamen coniectura e multis capi poteſt, qui leniſſime veluti obdormiſcant) grauiores atque acerbiores: nec male ſcripſiſſe videtur Eraſmus non tam ipſam mortem, quam viam atque aditum ad mortem, hoc eſt, tormenta morborum et angores animorum, eſſe grauem atque formidabilem. Quod autem accuratiore diaeta et exquiſitis pharmacis fatiſcens corpuſculum, tanquam male materiatam et ruinoſam domum,

domum, quasi fulcris et tibicinibus quibusdam sustento, id non fit diuturnioris vitae amore, sed maiorum cruciatuum timore, quos, siue corporis, siue animi sint, summum esse malum, nemo, vt opinor, expertus negauerit, quicquid otiosi et somniis suis beati philosophastri quidam contra et sensum communem, et experientae consensum et sacrarum literarum auctoritatem garriant. Sed his omissis, ad scriptiones meas, propter quas potissimam commentariolus hic institutus est, redeo. Cum ergo in Fuggerana bibliotheca Demosthenem et Isocratem recognouissem, Aeschinem, commentarium Ptolemaicum, Zonaram et Choniaten conuertissem, reliqui labores steriles fuerunt et ingrati, sed duo posteriores, alter monachus, semibarbarus alter, (exstat enim in Augustana bibliotheca Choniates, vsitata tum dialecto, quae plurima verba et phrases barbaras, mihi non intellectas, habet, nec a me conuerti potuisset, nisi alius quispiam (Alexander Chartophylax Byzantinus, vt opinor) paraphrasin eam, quae edita est, conscripsisset) liberalitate Graecae eloquentiae parentes, qui praeter verba ieiuna et inania, quamuis ornata et splendida, nihil dederant, magno interuallo vicerunt, et fundamentum peculii mei iecerunt, numeratis a patrono in singulas paginas florenis singulis, quae summa excreuit ad florenos CCCLXXII. Pro qua remuneratione quum quidam patrono singularibus verbis gratias a me actas in praefatione legisset, suspicatus, me plane ab illo deauratum, et annuis reditibus, vt Franciscus, Rex Galliae, solitus fuit, donatum, cognita summa illa, ineptias meas derisit, qui elephantum e musca feciſſem. Sed et per se praemium nequaquam aspernandum fuit, si nostram nationem, nostraque tempora spectes, quae Camoenarum voces non eo dignantur honore, quo τὴν ψευδοπαναργίαν, et meo animo, qui hactenus,

nus, non aucta, sed diminuta recula mea seruissem; maximum atque amplissimum, quique nihil nisi necessaria vitae subsidia vnquam exoptassem. Ἴση γὰρ χάρις (inquit Euripides) μεγάλοισι χαίρειν, σμικρά θ' ἡδέως ἔχειν. Nec multo post accessit munus docendi publicum, in quo adhuc versor, stipendio trecentorum florenorum, de quo et modo nonnulla dicta sunt, et plura scire qui volet, legat praefationem in commentariolos Isocraticos meam, quae errore typographi (hoc enim sine cuiusquam offensa dici potest, camarinam autem suspicionum mouere nec libet, nec expedit) ipsi autori, vt suo loco dicetur, praeposita est. Multo autem ante Cyprianus Leouitius inspecta conuersione annalium (quos iam tum confectos habebam ad annum aetatis sexagesimum vsque) subita mihi et opum et dignitatis incrementa promitti affirmauit. — Nec eum sane fefellit opinio. Nam sub brumam et benignus ille monachus ad conuertendnm traditus est, et renouatae scholarchiae mentio, et non obscure formosae et dotatae puellae oblatum coniugium. Ac postremum hoc iudicio repudiaui, tum patris recordatione, quem saepe dicentem audieram, paucos Wolfianae familiae maritos felices fuisse, tum Carini monitum, vitam mihi breuiorem ominantis, loto illa degustata, quae λήθην καὶ τῆς φιλοσοφίας homini μονογράμμῳ καὶ παρακμάσαντι allatura esset, duo priora post multas aerumnas et afflictationes biennio demum post ratum effectum habuere, et radices amarissimas nonnulla fructuum suauitate pensarunt. Nam dum in Byzantina historia dies noctesque laboro, solitasque deambulationes intermitto, magnam stomachi debilitatem sensi, etsi ea fortassis adscribenda est potius ποτηρίῳ τινὶ, ὃ νηπενθὲς μεμιγμένῳ. Sed haec et alia id genus plurima, satis est, ac plus satis, me exhausisse, et diuino praesidio ac antidotorum vi, praesentem pestem saepius

saepius euasisse, τὸς ἄλλος δὲ τὰ τοιαῦτα πολυπραγμονεῖν τι δεῖ, ἐμοὶ δὲ ἡ γλῶσσα δέδεται. Biennio itaque post, suscepta Graecae linguae professione, et scholae emendatione, cum ipso natali meo die ab Huldricho Fuggero honorifice et magnifice in aedes susceptus, ac potius paene raptus ac pertractus essem, per aliquot dies scholae Annaeae classibus (quae tum quatuor erant, nunc septem factae sunt, adiuncto, sed vacuo fere auditoribus, auditorio) perlustratis et docendi discendique rationibus obseruatis, magistratui consilium meum exhibui, in quo me fateor Mich. Toxitae ac inprimis Io. Sturmii libellis ea de re editis fuisse adiutum, etsi minimam illorum partem ad institutum accommodare licuit, eoque ab omnibus, quorum aliquid intererat, approbato, Riuianum opus de tribus dicendi artibus in scholam introduxi, paulo post et ab eorum ipsorum nonnullis, quorum suffragium accesserat, et ab aliis, miris calumniis exagitatum, impactumque mihi crimen impietatis, vt qui Christum e schola eiecissem, in qua magistratus, qui eam communem omnibus ciuibus esse vellet, varietate opinionum distractis, sacra doceri noluerat, exceptis Christianae religionis primis elementis, sine vlla interpretatione tradendis. Putabant enim, quum et Euangelici et Catholici suos quique publicos doctores haberent, quemlibet suos liberos, ab vtris mallet, instituendos facile curaturum. Sed in deteriorem partem rapere calumnia solet omnia, cui quaeuis ad criminandum causa grauis est, ad excusationem aut defensionem, ne iustissima quidem vlla quicquam valet. Non tamen ita multo post studiis quorundam effectum est, vt minor Catechismus Lutheri Germanicus classicis pueris ediscendus proponerteur. Alterum autem illud, quod iidem tentarant, non successit, vt Anneae scholae non nisi Euangelici scholarchae darentur. Quo et ego crimine

mine imprudens inuolutus, dum eorum auctoritatem sequor, per quos ad hoc munus adscitus fueram, principum quarundam ciuitatis familiarum iniquissima odia suscepi, quae me diu grauiter pressserunt, et verendum, vt vel nunc bene sarta sit gratia. Plumbeas enim (inquit apud Plautum) iras plerique gerunt, si offenderis. Sin quid bene feceris, gratia pluma est leuior. In quo multis nominibus mihi fit iniuria. Nam et consul erat, qui subscriptionem a me flagitaret, et suffragatores senatorii ordinis non paucos habebat, quam tamen, a Matth. Schenkio, collega meo, admonitus, deprecatus fui, et de inferioribus tantum scholarchis, qui de molestia illius muneris subinde conquerebantur, idque per occupationes obire vix ac raro admodum poterant, agi putabam, neque supplicationem fraudi cuiquam fore existimabam, ignarus occultarum machinationum et factionum. Sed horum nihil mihi profuit, quo minus nonnulli omnia et dicta et facta mea in deteriorem partem, iam antea non admodum aequi mihi, nescio quibus de causis, fortasse παῤῥησίᾳ et praeteritione solemnium titulorum, quibus in familiis Fuggeranis non assueueram, offensi, raperent, et clanculum frigidam suffunderent, et Danos quosdam in me concitarent, qui turbarent omnia. Erat etiam vnus, qui, quum aliquando in conuentu, quem vocant, exposuissem, quid a vetere domino, qui ex superioribus scholarchis non postremae auctoritatis erat, in mandatis accepissem, indignaretur, quasi ille monarchiam sibi vsurparet, remque publicam inutili et superuacaneo sumtu oneraret. Id autem ad me pertinebat, quem ab illo scholae obtrusum esse etiam alii dictitabant, vt cum bona gratia et honorifice me ex familia, vt Homerum Plato e rep. sua, dimitteret. (sic) Haec et alia multa in hac σχολαρχίᾳ μᾶλλον, ἢ σχολαρχίᾳ et deuoranda mihi et concoquenda, vel

da, vel inuito et nauſeante ſtomacho, fuerunt. Quae ſi praeſciſſem, nihil ſuaue meritu, vt ille apud Comicum ait, fuiſſet, ac quiduis potius ſubiiſſem, natura et vitae inſtituto laboris honeſti, quam iniuriae et contumeliae patientior. Saepe igitur poenituit, non in montem Boruſſiae regium abiiſſe, magis etiam doluit, cum Cyprianus, nomine ſui principis, Ottonis Henr. Electoris, trecentos thaleros et victum aulicum obtuliſſet, me fidem meam iam tum et Ant. Fuggero et Auguſtanae reip. obſtrinxiſſe, ac ne Bernenſis quidem et Argentinenſis ciuitatis liberalitate vti potuiſſe. Ita ſeruitus, praeter alias difficultates, quas ſecum affert, etiam fortunae melioris occaſionem eripit incautis ac potius infortunatis hominibus. Quis enim, qui per ſe ſtatum rerum ſuarum tueri poſſet, libertatem vel toto, vt ille ait, auro venderet? quantum moleſtiae eſt homini ſtudioſo, valetudinario, officioſo in amicos, ſeruire horologio, tanquam tyranno, intra vna moenia tanquam ergaſtulum concludi, vnde non niſi ambitioſis precibus impetrata venia, vel vnum diem abeſſe liceat. Sed nec ſoli nos ii ſumus, quibus minime contingunt optata, et faceſſant iſta, deſcripta ab aliis, vt opinor, quanquam ego malim obliuione ſempiterna deleri. illud praetereundum non eſt, cum, anno ſeruitutis ſcholaſticae quarto fere exacto, requirerem e ſcholarchis, num opera mea diutius vſuri eſſent, et illi moram ex mora nectterent, ego, ludibrio me haberi ratus, Argentinam ad D. Hauenreuterum, ſacram meam ancoram, confugiens, quaero, numquis mihi locus in ea ſchola eſſe poſſet, qui cum reſcripſiſſet, locum quidem vacare nullum, ſed ſcholarchas extra (ſic) ducentos florenos in annos ſingulos mihi numeraturos, modo ne quid nouarem, nec bene conſtituta conuellerem. Vnde quum appareret, me nonnullis, neſcio cur, (neque enim vel natura mea, vel

vel consuetudo fert, quicquam vti curem, nisi res meas: τό, τε σωφρονεῖν τὲ πολυπραγμονεῖν πολὺ κρεῖττον ἡγεμαι) suspectum esse, ἐπεῖχον καὶ διεσκεπτόμην: tandemque omissis iis, qui me subinde, siue de industria, siue fortuito, differebant, accessi D. Christoph. Peutingerum, duum virum (horum enim munus est, ministros et conducere et missos facere) et supremum scholarcham, cum quo ita re transacta sub horam matutinam sextam, vt ego operam meam Augustanae scholae addicerem, vicissim respublica Augustana etiam valetudinario semissem stipendii annui numeraret. Trihorio (vt Plautus loquitur) post afferuntur mihi ob Hauenreutero meo literae, quibus et doctissimi viri, Gerardi Seueri, obitus significabatur, et omnia, quae postularem, rata fore promittebat, et enixe hortabatur ac rogabat, vt primo quoque tempore me Argentinam conferrem. Quid dicam, quid animi mihi fuerit? Fatendum certe est, Argentinae in frequentia doctorum, vbi et quos docerem et discerem, plures, quam hic, habiturus fuissem, me longe maluisse. (sic) Sed quid facerem?

Fata obstant, nigraque palus inamabilis vnda.

Quem euentum cum in mensa herili expositissem, quidam homuncio facetus, tacentibus caeteris, linguae Latinae ignarus exclamauit: FATVE, cuius vocis plus millies mille de causis sum recordatus: eumque numine afflatum eam elocutum existimaui. Sed his et huiusmodi de rebus nihil dicam in reliquis, nisi narrationis series et postulet et flagitet. Praetermittam etiam valetudinis et fortunarum incrementa et detrimenta, breuiterque ea, quae supersunt, perstringam, quae ad lucubrationes meas pertinent. Nec enim schola me vlla nobilitat, ac potius haec nomini meo caliginem offundit ac tenebras obducit, sed typographia tua, Oporine, secernit populo, quam et

Vene-

Venetae et Lutetianae et Lugdunenſes et Auguſtanae certis interuallis ſecutae ſunt. Dum ergo in aedibus Huldrichi Fuggeri dego, excudendum curaui Riuianum opus cum nonnullis additamentis et meis et aliorum, a Philippo Vlhardo Auguſtae anno 1557. ſi recte memini, aut certe 58. initio, quo et dialogus de vſu Aſtrologiae prodiit. Commentarios Ptolemaicos, et Porphyrianam iſagogen, in Fuggerana bibliotheca conuerſa, edidit Baſileae Henricus Petri, cum Hermete de Reuolutionibus anno 1559. quorum ob infinitas deprauationes me interpretem perhiberi puduit. Eodem anno et Nicephorum Gregoram abſolui, non tam praemii cupiditate, quod centum florenorum fuit, quam metu offenſae patroni, qui minus alacriter illam prouinciam ſuſcipienti ſemel in os dicebat, me nimis eſſe locupletatum. Et quidem fateor, me Croeſo ditiorem mihi tum viſum, qui et communem cum Fuggero victum haberem, et ſtipendium publicum, et aliquot iugera ſiluularum, quae poſt fratri florenis 125. quanti mihi in herciſcunda familia aeſtimata fuerant, addixi, et trecentos florenos in poculo. Verum erat illud non faſtidium, neque ſecordia, ſed ſtudiorum amor, quibus aliquando perfrui cupiebam. Cum autem minutos characteres graecos in ſplendida charta ad lucernam maxima ex parte perlegerem atque verterem, acies oculorum, ſiue illa, ſiue alia occultiore de cauſa, non multo poſt ita hebetata fuit, vt vendendae adamatae bibliothecae conſilium caperem. Sed ea primum ab Hier. Fuggero, deinde ab Argentinenſi ſchola, et Ortemburgico Comite, Ioachimo, repudiata fuit, et ea quoque ſpes, quam Henr. Huſanus, Megalopyrgenſis Cancellarius in Spirenſibus comitiis mihi fecerat, ob diuturnum eius ſilentium labaſcit. Itaque nunc etiam ea florenis ſeptingentis proſtat, quum mihi amplius mille conſtiterit, et haud facile ab

vllo, vel ducentis additis, parari possit, auctis omnium rerum pretiis. Ea nunc oneri potius, quam honori mihi est, quum ea vti parum libeat, tali auditorio, et, quae valetudo mea est, vel vnus liber, inter alias occupationes, toto anno a me vix perlegatur. Atque vt coniicio, ne haeredes quidem meos magnopere iuuabit, fratre filiis orbo, caeteris indoctis, idque foeminis. Gregoras igitur oculos mihi potius hebetauit, quam loculos refersit, vt Zonaras stomachum debilitarat. Accessit, ne vlla calamitas sola esset, proscriptio nominis mei pontificia, qua factum reor, vt editio illius in annm 1562. differretur, ac post obitum patroni demum publicaretur. Vidit tamen id opus Ferdinandus Imperator manuscriptum, et appendice praefationis delectatus, me dissimulanter per magistrum equitum, Iaroslaum Bereſtainium, calice aureo Ioannico (vt vocant) elegantissimo, nec exigui pretii, donauit, quem ego Ludouico, Oetingensi Comiti, dedi, quo commendatiores haberet sorores meas. Fuissem et eiusdem Imperatoris propensa voluntate in Latinos secretarios receptus, nisi Bereſteinio eidem, me sorte mea contentum esse, quod ille (siue simplicitatem meam subsannans, siue τὴν αὐτάρκειαν admirans) rarae cuiusdam philosophiae esse dicebat, significassem. Eodem anno 1562. hospitis mei fortunis afflictis, cum Hispanus nihil solueret, et ipse vrgentibus creditoribus, ac fratribus potius, custodiretur, per aliquot menses hinc inde cibi capiendi causa vagatus, tandem conducta ancilla ἀκόσιτος esse coepi, vt supra attigi, quum quidem τῷ παρασιτεῖν iam pridem taedium me grauibus de causis cepisset, nec hospes et patronus missum facere vellet. Anno secuto tandem Epicteti omnia opera, forma 8va, nec multo post commentariolos in Officia Ciceronis tu, Oporine, forma media charactere pereleganti excudisti. His continenter successit Suidas Latinus

folio

folio oblongo, calamitoso ac pestilenti tempore et a me versus et a te excusus mendosissime, vt multa loca nec ipse intelligam sine Graecis. Nocuit scilicet Saturnia illa lues non corporibus tantum, sed voluminibus etiam nostris. Verum hanc tandem secuta sunt Saturnalia καὶ ἀνθιστήρια totius biennii, quo ἡσύχῳ ποδὶ in Isocraticis et Demosthenicis annotationibus elaboraui. Anno vero 1566. cum Francofurti, quo, vt et antea, bis ab hero veteri, commercandi libros ergo, missus fueram, negares, te mihi intra triennium vacare posse, et comitia hic de expeditione Turcica agerentur, putabam, Isocratem, belli barbarici perpetuum auctorem, ei deliberationi maxime idoneum scriptorem, senatoribus magnorum principum offerri commodissime posse. Verum typographus nostras praesentis lucelli auidior, dum quasuis nugas meae lucubrationi interponit, editionem eo vsque distulit, dum comitia finirentur, nec sibi minus, quam mihi, incommodauit, quum mendosus ille et parum elegans libellus adhuc iaceat, nec inueniat emtorem. Inscriptio autem mea Caesari, quem habuerit euentum, alibi est expositum. Tuae porro literae, quibus nouos typos et omne ornandi operis studium offerebas, siue fraude mercatoris, siue malo fato quopiam nostro, toto biennio post et amplius mihi redditae fuerunt, quum iam Graecolatinum illud chaos et rudem atque indigestam molem excudendam nescio quibus dedisses. Satis enim apparet, correctorem illi et preli gubernatorem Oporinum defuisse. Male etiam me haberet commentariorum praetermissio, quos vna cum auctore, anno 1567. 9. Apr. in ipso fere solaris eclipsis articulo, perferendos ad te dederam, nisi te, mi Oporine, anno sequente 3. Nonas Iulii, non ita multo ante e quarta vxore, Faustina Amerbachia, patrem factum, fata nobis eripuissent, et a teterrimis harpyiis liberassent.

raſſent. Fuiſti tu profecto Hercule et aerumnoſior et fortior, et plura in rempublicam literariam beneficia, quam ille in terrarum orbem, contuliſti. Sed de tanto viro et ſuapte induſtria doctorumque hominum monimentis clariſſimo, tacere praeſtat, quam pauca dicere, tantaeque cauſae patronus adhibendus eſt Theodorus Zwingerus, Doctor Medicus, vir non illa tantum, quam profitetur, arte praeclarus, ſed et philoſophica ſcientia et oratoria dicendi facultate excellens. Nam Andr. Iociſcus noſter, non multo poſt illum ſecutus, vellem luculentum argumentum copioſius atque ornatius tractaſſet. Addam tamen et ipſe, ne plane ἀσύμβολος eſſe videar, breue diſtichon:

Πᾶσαι Ὀπωρινῆ μνημήϊα βιβλιοθῆκαι,
Σῶμα δὲ κεκμηκὸς σῆμα τόδ' οἷον ἔχει.

De eodem κατὰ προσωποποιΐαν ad foeneratores, cum alluſione ad Arionem ipſius:

Iam teneo portum: piratica turba valeto:
Non habet in coelis factio veſtra locum.
Praedonés auidi, Plutonia regna ſubite:
Illa queunt veſtram pellere ſola famem.
Me Delphin meus Eridani peruexit ad vndas.
Nectare et Ambroſia cum Ioue diisque fruor.

Genethliacon autem Immanuelis filii et Graeco Stephano περὶ πόλεων ipſe adiiciendum curauit, tamen quia noſtrae aetatis ambitio et auaritia Graecam fidem magis, quam Graecas literas, amat, quid vetat etiam hic adiicere? vt id οἱ μισέλληνες (ſi qui horum forte haec legent) ſi non legere, ſaltem adſpicere vel inuiti cogantur:

Ἰωάννῃ Ὀπωρινῷ Ἱερώνυμος Βόλφιος συγχαίρων τῆς εὐτεκνίας.

Τηλύγετόν σοι ἔδωκ' ἐπὶ γήραος εὐρύοπα Ζεύς. etc.
v. Steph. p. 387. ad calcem.

Huius

Huius obitus, candide lector, praeterquam quod veteri et constanti amico priuauit, in multas etiam turbas me coniecit, ob rixas typographorum, cum Episcopius meas lucubrationes iure societatis, Gemusaei nomine successionis, sibi vendicarent, atque interim illas neutri excuderent. Ac iacerent illae adhuc, vti reor, nisi eiusdem Zwingeri singulari fide, et liberali opera, etiam Lud. Carino, quantum extrema sinebat aetas, (nec enim multis mensibus interiectis Oporinum secutus, praeter superiora beneficia, quae alibi celebraui, μνημόσυνον sui quinquaginta florenos in argenteum poculum conferendos mihi legauit) suffragante et adiuuante, tandem perfectum esset. vt Oporiniani Isocratem retinuissent, Ciceroniana et Demosthenica Herwagiani sibi vindicassent. Anno itaque superiore Eusebius Episcopius primum commentariolos in Officia, Catonem, Laelium, Paradoxa, Somnium Ciceronis, deinde specimen Demosthenicum edidit, non sane speciosum. Quod eo factum est, quod codices mea manu correctos, vel ipse ab aemulis, in quorum potestate illi erant, petere, vel hi vtendos ei dare noluerunt. Sunt et scholia Graecorum marginum, me nesciente atque inuito adiecta, dictione, quae mihi non satis probetur vbique. Hoc demum anno 1570: quo haec scribo, nundinae vernae et Gnomologiam Demosthenicam, Aeschineam et Vlpianam, obiter inter ipsos auctores relegendos excerptam, congestamque potius, quam digestam, aut iudicio adhibito limatam, et auditoribus meis ad conuertendum datam, atque Isocratem cum Commentariis post multas tergiuersationes et longam desperationem, attulerunt tandem, sed haud magna cum delectatione mea. Nec enim scio, quomodo factum sit, siue obliuione, siue alio consilio typographorum, contra voluntatem certe meam factum est, vt, praefatione ad

ne ad Caesarem vna cum versiculis eiusdem argumenti, praetermissa, ea, quae ad commentariolos pertinet, ipsi auctori peruersissime praeponeretur. Quod alienum peccatum ego statim dependi, acceptis ex aula Caesarea literis, quibus mihi leuitas grauiter obiicitur, tempestiue citata Platonica sententia, ὅτι ἐ πρέπει τό γε καλῶς δεθὲν ἀφελέσθαι. Deinde quia praefatio ad scholarchas μεμψίμοιρα quaedam habet, quae nequaquam eo animo scripta, (neque enim ita insanio, vt vel innocentes traducere, vel potentiores lacessere instituam) fortassis aliqui ad imminuendam existimationem suam referent, ominose admodum, in ipso vestibulo operis, caetera, vt opinor, haud contemnendi, quodque auspicatissimum esse cupiebam, est collocata, et prima lectori obiecta, qui eam alioqui in medio codice quasi delitescentem non attigisset. Sed nec expostulando et conquerendo proficio quicquam, et haec res eo se commodius habet, quod Io. Crato, Caesareus consiliarius, et medicus intimus, πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, patronus et defensor contra obtrectatores mihi contigit. Nam ipsi quidem Caesari non tantum otii esse puto a rebus tot regnorum atque imperii, vt has ei nugas adspicere libeat, nisi importune obtrudantur, nec ego illius Maiestati id opus denuo ingessissem, sed existimationis meae patronum eundem retinere, interesse existimaui. Quod idem consilium cur in prioribus patronis mutarim, graues ac iustae causae fuerunt, ipsorum voluntas, quam studiis fratris et amicorum, Christoph. Fabii Iulii et Christoph. Herdessiani, ICti, ex eo cognoui, qui talia curare solitus fuit, nec obscure tulit, quanti merces istas faceret, et ὁ προσφωνέμενος et ratio temporum. Nam qui me ex typographiis et ex inscriptionibus lucubrationum mearum auream metere segetem suspicantur — vtinam non insignem mihi facerent iniuriam. Oporinus enim

enim, quoad vixit, nullum mihi teruncium vnquam dedit, quamuis non deeſſent, qui aurum pollicendo me ab illo ad ſe traducere conarentur. Sed mihi et grati animi officium et amicitiae fides auro et priuatis emolumentis, vt debuit, fuit antiquior. Libros quidem complures vltro miſit, quod grato animo accepi, quia ſine ſuo incommodo illa mihi mittebat. Quod autem aliquam ſumtuum, quos in tabellarios et amanuenſes in tot annorum caritate feci, non exiguos, compenſationem petii ab iis, qui illi ſucceſſerunt, quis poteſt mihi iure vitio vertere? Nam nec vlla antehac neceſſitudo inter nos interceſſit, et quibus ex rebus fructum illi capiunt, eas mihi eſſe fraudi, quis aequum cenſeat? Quaſi vero liberalitatis non ſit, gratis tot labores cepiſſe, niſi etiam rei familiaris iacturam fecero. Ac ne ſic quidem quicquam ab illis exegiſſem, niſi domeſticae difficultates me ſolito attentiorem ad rem reddidiſſent, et fraudationibus et occultis rapinis compilatum, et neptis elocatione exhauſtum, et quotidianis ſumtibus non paruis ob afflictam valetudinem et varias neceſſitudines oneratum. Patronorum autem munera (Ant. Fuggerum et Carol. Villingerum excipio, quibus mercenariam locaui operam, ab illo 472. pro Byzantina hiſtoria, ab hoc 200. florenis ob Suidam acceptis) et remunerationes aliorum pro donatis libris (vt de vecturae ſumtibus et bibliopegorum mercedibus nihil dicam) tanta ac talia fuerunt, vt conduplicato pretio a nemine mediocri notario vel ſimplicis deſcriptionis impetrandae ſpem haberem. Gloriolae autem praemium quale et quantum eſt, quod his viginti annis a Demoſthene primum edito acceſſit? Non tanti profecto, vt operae pretium fuerit, vel vnum menſem lucnbrare. Quod ſi ſapuiſſem, doctoris inſignia potius, vt complures fecere non incallidi homines, ſtatim a prelo mercatus, maiore cum auctoritate vel aulicum agere, vel, quod nunc opto ma-

gis, quam ſpero, per otium philoſophari potuiſſem. In hac quidem vrbe, quanti vulgo fiam, plerique norunt. Si quod autem in ſcholis et bibliopoliis nomen habemus, quis ex eo fructus ad nos rediit, niſi vt ſcribendis et legendis fucoſis magna ex parte literis bonum tempus male conteramus? Quid dicam de tot momis? quid? quod pontificio fulmine percuſſis, noſtroque nomine cruentis inuſto literis, ſi in aduerſariorum manus incideremus, per cruciatum et ſummam contumeliam ſanguis et vita profundenda eſſet. Hem tibi praemia τῆς βιβλιογραφίας! Iam quid moleſtius accidere poteſt homini φιλολόγῳ καὶ φιλαναγνώστῃ, quam in tanta ſupellectile vtriusque linguae autorum, et omnium paene diſciplinarum varietate legendi otium non habere? Id vero mihi rariſſime contigit, atque adeo, quum anno ſuperiore Demoſthenem, Aeſchinem, Vlpianum, cum annotationibus meis ſub nonas Dec. abſoluiſſem, meque omni moleſtia defunctum putarem, collatis inter ſe quinque codicibus, Aldino veteri, Manutiano, Herwagianis duobus, Feliciano vno, qui me plus caeteris omnibus iuuit, adiunctis etiam Obſopaei caſtigationibus et coniecturis meis eruditis (ſi quid glorioſule dicendum eſt) et ſagacibus, Lutetiani Demoſthenem ſuum, quem per integrum Zodiacum annorum parturierant, tum demum pepererunt, cum meus partus, complurium annorum doloribus eo vsque perductus, iam prelo ſubiiciendus eſſet. Itaque impoſita mihi neceſſitas eſt iactationem illam octo manuſcriptorum codicum ingenti taedio deuorandi, eodemque tempore Iſocratis, prelum adhuc redolentis, quia id a me typographi poſtulabant, relegendi et corrigendi. Quorum vtrumque afflicta valetudine et inter quotidianas et ordinarias et extraordinarias occupationes, quadrimeſtri ſpatio confeci, conuerſis iis etiam, quae Vlpiano et annotationibus acceſſerant, et adiuncto Auguſtano codice. Verum

rum haec in prooemio Graecolatini Demosthenis, vt et illud, cur extremam lucubrationem illam Augustanae reip. inscribere et voluerim et debuerim, commodius exponentur. Quanto autem inter haec otio abundarim, quibus voluptatibus diffluxerim, intelligent ii, qui paucas vtriusque autoris paginas euoluerint, quum in singulos mihi apices fuerit inquirendum. Et tamen quem horum laborum fructum feram, θεῶν ἐπὶ γόνασι κεῖται. Basilea longe absum, et aliàs alias chartas eo misi, quas ordine inter sese conferendi nulla potestas fuit, et incertum est, qualium hominum consiliis pareat typographus, quorum operis vtatur. Qui si quid peccarint, in me illa cudetur faba, statimque in promtu erit maleuolis: Hem tibi quindecim codicum correctionem! Hem Wolfii partum elephantinum! Eo vero gloriari posse videor, si meae castigationes et annotationes emendate impressae fuerint, me illam cum octo illis παλαιοῖς ἀντιγράφοις non commutaturum. Vlpiani alia ratio est, cuius deprauationes non omnes a me sine aliorum exemplarium collatione potuisse corrigi, quis miretur? ac non miretur potius, tot potuisse? Integros autem versus et clausulas integras addere, non grammatici, sed Esdrae cuiusdam fuerit, qui ignita potione exhausta vetus testamentum ex memoria restituisse perhibetur. Sed haec, vt dixi, huius loci non sunt, et suo tempore, si vitam mihi ad id vsque tempus propagarit Deus, commodius explicabuntur. Interim me Ioach. Camerarii πολλῶν ἀνταξίᾳ ἄλλων, siue praeiudicium, siue augurium consolatur et delectat, qui non ita pridem αὐτολεξεὶ sic ad me scripsit: „Lucubrationes tuas Demosthenicas aueo at„que gestio videre, feroque molestе editionis moram. „Nam quod tu mentionem facis humiliorem operae „tuae, id moderationis tuae est. Quemadmodum au„tem antea, ita nunc etiam, quid praestitum sit, αὐτὸ δηλονότι δείξει. Tu modo fac quamprimum tuis

„laboribus frui bonarum artium ſtudioſis concedatur.“ Τοσαῦτα μὲν ἂν ἐκεῖνος ὁ τῆς Φιλοσοφίας πένταθλος, ὃς, ἐξ ἀπαλῶν ὀνύχων Φιλοσοφεῖν ἀρξάμενος, ἔτος ἄγων ἤδη τὸ τρίτον πρὸς τοῖς ἑβδομήκοντα, ὀξυοίᾳ τε καὶ παστῶν αἰσθήσεων ἀκριβείᾳ πολλῶν τῶν ἀκμαζόντων τὴν ἡλικίαν διαφέρων, ἄξιός γε ὢν (εἰ τᾶτο θέμις ἄνθρωπον εὔξασθαι) ἀγήρως τε καὶ ἀθάνατος γενέσθαι. Caeterum illud haud iniuria nunc a me quaeri poſſit, cum neque gloriam ſpectem, neque fructum ex tot editionibus aliquo nomine dignum capiam, quae me agitent intemperiae, vt a vorſando iſto Siſyphio ſaxo non deſiſtam? Reſpondeo paucis, non ſcribendi cacoëthes inſanabile me tenuiſſe vnquam, ſcriptorem factum eſſe per calamitatem, ſcriptorem manſiſſe hacteuus fatuo quodam meo atque infelici fato. Quae reprehendi audieram, quoties noua editio adornabatur, corrigere cupiebam, et facere meliora. Ad haec tanta erat apud me Oporini, vt tanti viri praeclara erga me voluntas atque merita poſtulabant, et gratia et auctoritas, vt nec petenti quicquam denegare poſſem, nec hortanti refragari auderem. Ita factum, vt ſextum ſit editus Iſocrates, Demoſthenes quartum nunc ſub prelo ſit. Officiorum commentarioli bis, vt et Byzantina hiſtoria, in qua Galli neſcio quid ſe correxiſſe profitentur, me, vti par erat, nequaquam in conſilium adhibito. Legendi ſpatium nondum contigit. Sed ſi quando contigerit, legam, et ἐξεταστικῶς legam, atque ipſas fortaſſis correctiones corrigam. Viſa autem editione Gregorae Nicephori, cuius inſcriptioni haec verba ſunt addita: *adhibita prius cum Graeco diligenti collocatione, qua certe non pauca fuerunt emendata:* verſus hos ex tempore, animo commotiore effudi potius, quam ſcripſi:

Si mea corrigis, vnde data eſt tibi tanta poteſtas?
Si mea corrigis, eſſe notata errata decebat.

Si mea

Si mea corrigis, esse probata errata decebat.
Quid si deprauas temerarius haud male versa?
Quid si gloriolam sine re, vanissime, captas?
Heus, libros censeto tuos, mea scripta relinquens,
Expolienda mihi, quem longior erudit vsus.
Vnus Aristarchos omnes superauit Homerus.

Reliquae conuersiones semel editae sunt, Epicteti, Suidae, Commentarii Ptolemaici, Astrologicum item, quatuor Ciceroniana opuscula, spe cimen editionis et Gnomologiae Demosthenicae. Quae si quando relegere potuero, singularum editionum et mea et typographica errata peculiari libello consignabo. Quod vt non fiat, cessando parum detrimenti fiet. Atque haec hactenus de vitae meae et studiorum ratione, in quibus, quae praetermissa sunt, e praefationibus et annotationibus meis, si cui libitum fuerit, facile depromet. In quibus equidem vellem pauciores esse μεμψιμοιρίας καὶ περιαυτολογίας, minus etiam multa ἐπὶ κολακείᾳ ὑποπτα. Quae si talia visa fuerint, sciat lector, me aut aliorum praedicatione, aut spe atque opinione mea esse deceptum, aut seruire tempori necesse habuisse. Illud addendum est, me et in scholis dictasse plurima, et priuatim tam versu, quam prosa, siue (vt quidam dicendum putant) vorsa et prorsa oratione conscripsisse, quorum si quid me vel viuente, vel mortuo, fuerit editum, id minime Wolfianum habendum. Nam si digna, quae diuulgarentur, iudicassem, eam prouinciam aliis non reliquissem. Quis autem nescit, qui aliena scripta venditent, quam et deprauata mutilataque edere, et quam alienos centones assuere soleant? Quare studiosos adolescentes et monitos et rogatos volo, vt praeter eas, quas recensui, editiones, et si quid forte posthac editum fuerit cum praefatione mea, nihil esse meum arbitrentur. Scripta haec sunt nono Calendas Decembris anno 1570. quo ipso die lapsus in glacie dextrum femur et cubitum grauiter allisi, nondum satis recreatus e casu cum vitae periculo coniuncto, ante

dies

dies 28. e loco ſuperiore facto: moleſta eſt lithiaſis καὶ αἰμυρία, moleſta in tanto frigore ſitis, moleſti humores in manus et pedes deſtillantes, vt fert imbecillis ſtomachus et hepar male affectum, καὶ τὸ φοβερὸν γῆρας ἐκ ἐρχόμενον μόνον. Qua de re idem Camerarius, ex literis (inquit) tuis ad Cl. V. D. Henricum tuum miſſis, intelleximus, te quoque minus commode valere. ἀλλὰ τὰ ἡμέτερα ἤδη τοιαῦτά τιν' ἐξίν, ὥϛε συνεχῶϛ θεραπείας δεῖσθαι τῶν νόσων ἀχυγιαζομένων, ἀλλὰ συναποθνησκεσῶν, κατὰ τὸν Ἱπποκράτη· ἐπικέφισις δὴ ζητητέα τῶν ὀδυνῶν, τῷ κακῷ ἤδη διὰ τὴν ἐμφιλοχώρησιν ἀνηκέϛε ὄντος. Quae dum veriſſima eſſe videantur, iamque pridem, non ſanationis tantum, ſed etiam longiuſculae vitae ſpem ademerint, ea, quae reſtant, diuinae prouidentiae committo, ſubſidio mihi comparata patientia, et ſpe vitæ melioris ac beatæ immortalitatis, quam nobis omnibus largiatur IeſusChriſtus. Amen.

Caeterum omnes eos, qui de me vel ſcribent, vel loquentur, (quando tacere nolent) enixe rogo, vt et me fuiſſe hominem, et ſe non eſſe deos cogitent, naturaeque fortaſſe non peſſimae, vt foecuodo agro, debitam culturam et tempeſtates commodas defuiſſe. Iis autem, apud quos haec nihil valebunt, illud Euangelicum inſuſurrandum erit: ὅϛις ἀναμάρτητος ὑμῶν ἐϛιν, ἔϛω τὸν πρῶτον ἐπ' ἐμὲ λίθον βαλέτω.

Symbolum et Epitaphium Hieronymi Wolfii.

Ἐλέησον ἡμᾶϛ, ὦ Κύριε, ζῶντάϛ τε καὶ θανόντας.

Ouidius.

Quamuis eſt, fateor, meritis indebita noſtris:
Magna tamen ſpes eſt in bonitate dei.

Ἄδηλον.

Vna ſalus, ſeruire Deo; ſunt caetera fraudes:
Omnia praetereunt, praeter amare Deum.

I. I. REIS-

I. I. REISKE

AD

GREGORII CORINTHII COMMENTARIVM AD HERMOGENIS ΠΕΡΙ ΔΕΙΝΟΤΗΤΟΣ ΜΕΘΟΔΟΥ PRAEFATIO.

Secundum exantlatos labores, quos minoribus oratoribus graecis ornandis tertium in annum insumsi, animum coepi nuper ad Demosthenem referre, cuius memoriam paene omnem secundaria istaec opera ex animo meo excusserat. Indicibus itaque numero compluribus constructis, quorum praecipuus atque copiosissimus est index graecitatis demosthenicae, coepi genus omne veterum auctorum perscrutari, locos demosthenicos vestigans, quo et certior fierem, quid illi vetusti suis in demosthenicis libris legissent, et cognoscerem, quomodo locum quemque accepissent atque interpretati essent, aut denique quos tropos, quas figuras rhetoricas, quae artificia cum rhetorica, tum dialectica notassent atque enucleassent. Tria enim haec sunt primaria capita iis probe tenenda atque sedulo demonstranda, si qui se Demosthenis interpretes ferre audeant. Haec ego agens, et materiam e lexicographis inprimis atque technographis, eorumque

que ſcholiaſtis comportans, ad Hermogenis Scholiaſtas, ab Aldo primo, et ad hoc dici, ſolo editos, deueniebam; quos qui recuderet, intra tantum temporis ſpatium (tertium paene ſaeculum ad finem vergit) fuiſſe neminem, cum fuiſſent, qui technographos latinos haud ſemel ederent, profecto non mirandum, ſed pudendum adeo atque poenitendum eſt. Video equidem; quid ab vſu eorum abſterrere potuerit. Nugis ſcatent, ſentibus horrent inexplicabilium diſputationum, et ſaepe numero fatuarum atque ridicularum, ſuper ſtatibus et diuiſionibus, et poſitionibus ſophiſticis, quibus diſputationibus ſi qui indulgeant, in easque ſeſe penitius abdant, verendum ſit, ne cum magiſtris delirare incipiant; non tamen carent fructibus haud poenitendis, quos fructus illinc excerpi vtique operae pretium fuerit. Ego equidem illinc haud pauca, olim in commentariis ad Demoſthenem referenda, excerpſi. Cernens ibi ego, in Aldina illa ſcholiaſtarum ad Hermogenem farragine, ad libellum Hermogenianorum agmen claudentem, περὶ μεθόδε δεινότητος, paene nihil ſcholiorum eſſe proditum, ſperare coepi, me rem neque ſuperuacaneam eſſe facturum, neque ſtudioſis graecae literaturae moleſtiam creaturum, edendo Gregorii Corinthii, quod ad hoc diei ineditum fuit, opuſculo ad illum, quem dixi, Hermogenis libellum, praeſertim, qui nihil aliud in promtu haberem, a re quidem, quam hic ago, non prorſus abhorrens, quo impleretur numerus foliorum, ad exaequandam huius voluminis molem cum ſuperiorum quoque voluminum. Non me fugit non admodum ſplendidam me palmam mereri, neque lauta graecas opes acceſſione augere. Vereor quoque, ne ſint futuri, qui flagellum idem in me retorqueant, quo eos nonnunquam cecidi, qui concacatis quibusque char-

chartulis graecis, cloaca, quam luce publica dignioribus, prodendis gloriolam venarentur. Videtur tamen opella haec, quam ipsemet ego magni faciendam esse haud contendam, vsus praestare posse non prorsus nullos; quae non idmodo, quod profitetur, non indiligenter agat, vt Hermogenis sententias, ob dictionis breuitatem interdum impeditiores, explanet, sed etiam praeterea aliorum auctorum locos ab Hermogene laudatos enucleet. Quod Corinthii studium a nobis contemni nefas sit, quorum interest plurimum, nosse quomodo veteres grammatici vetustos auctores enarrauerint. Eorum enim auctoritas, tametsi passim locorum leuis et vana et explodenda est, rursus tamen vbique temere aspernanda et ridenda non est, cum consentaneum sit, hominibus, qui ad aetates vetustissimorum auctorum proxime accedant, quibus ab aetatibus nos distamus quam longissime, de sententiis eorum, quae illi in scriptis reliquissent, per similitudinem linguae, morumque, item per traditionem, aliisque multis de causis, melius constare potuisse, quam nobis possit, qui rebus paene omnibus ab illis discrepemus, totoque, quod aiunt, coelo distemus. Tametsi Corinthius duodecimo secundum C. N. seculo non est vetustior, quippe qui Simeonem Metaphrasten laudet, credibile tamen est, eum e vetustiorum technologorum riuulis, qui nunc exaruerunt, hortulos suos irrigasse. Qua de re certo constat illo e loco capitis tertii, vbi soloecismos graecos castigat εἰς τὸν Γαινᾶ, εἰς τὴν Ἀετᾶς, εἰς τὴν Ἀσπαρον, quibus vtebatur vulgus significare volens, *ad aedes Gaïnae*, *ad Aetii*, *ad Asparis*, qui omnes seculo quinto claruerunt. neque credibile est, vt aedes eorum ad seculum vsque XII. euicerint, nomina quoque pristinorum dominorum illis per tot secula adhaesisse tenaciter. Possint item ex hoc opuscu-

lo le-

lo lectiones erui meliores illis, quae in libris Hermogenis vulgaribus proſtant. Non videtur Corinthii aetate adhuc ſuperfuiſſe Soſipatri opus, hodie deperditum, vnde locum ad caput 24. refert, appellans μεταβολὰς καὶ μεταποιήσεις τῶν δημοσθενικῶν χωρίων. Conſtat ex hoc opere, conſueuiſſe vetuſtos rhetorices magiſtros tironibus ſuis, praeter alia exercitia, etiam hoc imponere, vt locos Demoſthenis lectiores, ipſis propoſitos, per omnes tropos et figuras, formasque periodorum, veluti pueriles quosdam βέμβικας ſurſum deorſum agitarent. Fragmentum ex Euripidis Pirithoo ad cap. 27. recitatum in collectione Valkenariana p. 191. non reperio.

De Gregorii huius, ſeu Georgii, Corinthii, alias Pardi dicti, aetate ſcriptisque pluribus expoſuit Leo Allatius, cap. 72. Diatribae de Georgiis, apud Fabric. B. G. T. X. p. 798. item Gisbertus Koen in praefatione ad notum de dialectis libellum. Commentariolum hunc ad Herm. π. μ. δ. praeter Allatium, Labbeum, Lambecium, commemorat Bandinius T. II. Catalogi MSS. graec. bibl. Med. Florent. p. 292. et p. 342. teſtans geminum eius exemplum ibi inueniri. Quorum exemplorum prius eandem inſcriptionem praefert, quam Bauaricum, ſeu Monachienſe, vnde ego nunc edo: poſterius hanc, ab illa paulo diſcrepantem. Ἀπὸ τῆς ἐξηγήσεως τῆς εἰς τὸ περὶ μεθόδε δεινότητος τῦ μητροπολίτε Κορίνθε κυρίε Γρηγορίε σχόλια. Ambo exempla Medicea in calce ſecum conſentiunt, a Bauarico diſſentiunt, in v. ἄντια, in loco Heſiodeo. pro quo Bau. dat ἀκτέανος. Exemplum Monachienſe, vnde meum apographum ſumſi, non conſtat vnde ſit exſcriptum. De hoc conſtat, iuſſu Fuggerorum, quorum primitus fuerunt plerique codices graeci, qui hodie

die Monachii in bibliotheca Electorali asseruantur, seculo XVI. adulto ferme, ab homine graeco exaratum esse, quem suspicor Andream Darmarium fuisse. Literarum formae sunt planae et ad legendum expeditae, non calligraphicae quidem illae, at rursus non deformes, neque inficetae; et nihilo minus tamen negotii haud parum legenti cuique creabit festinatio, qua vsus librarius, omnium paene vocabulorum caudas amputauit, h. e. vocabulis ad medium exaratis literas superposuit indicaturas exitus seu terminationes eorum. e. c. τ8. quod signum cum possit perinde accipi pro τέτ8 et τέτῳ et τῦτον, et τέτων, et τέτοις et τέτους, et e denis certe vocabulis quibusque sena quaeque ad hunc modum exarata sint a capite opusculi ad calcem, facile existimatu est, quam impedire morarique debeat haec secordia, vel peritissimumquemque atque attentissimum lectorem. Codicum graecorum, quotquot tractaui, omnium nullus tam crebris, et tantum dubitationis relinquentibus abbreuiaturis horruit, atque hic vnus, vt valde verear, ne in integrandis atque velut explanandis illis compendiis, passim locorum a vero aberrauerim. De quo quaerent, si tanti facient, alii, si quibus aliorum erit exemplarium copia. Codex Monachiensis, cuius mihi nuper copia erat, numero 213. signatus est et in tergore, et in indice Montfauconiano. v. Bibliothecam Bibliothecarum T. I. p. 591. Verum ibi quidem hoc Gregorii opusculum silentio est praeteritum, operarum, vt suspicor, Parisinarum secordia. Fuit etiam penes me indultu Neuhausii, ICti, aedilis Lipsiensis, viri amplissimi, codex mstus, Aphthonium et Hermogenem cum scholiis ineditis, nescio cuius, tenens, olim a Wagenseilio ex Hispania has in oras translatus. Codex ille bibliothecae senatus Lipsiensis vsui mihi

fuit paene nulli. Nam Gregorii locos vix duos aut tres exhibebat. Dignus tamen videtur esse, quem Hermogenis editor, quisquis olim erit, consulat. Nihil superesse cerno, de quo admoneam, praeter illam tituli phrasin ἀπὸ τῆς ἐξηγήσεως. Dubium nullum est, quin haec dictio sit imperitioribus impositura, qui parum teneant, eam tantundem valere, atque illam alteram in titulis similium opusculorum vsurpari solitam ἀπὸ φωνῆς. Ambabus hisce dictionibus, non hoc significatur, excerpta esse, non integrum opus, id quod neminem suspicari velim; sed istud, scholia istaec esse ex ore magistri dictantis ad calamum excepta. Hermogenis ipsius verba geminis vncis inclusa repraesentaui. Haec te nunc, benigne lector, volebam. Vale. Scripsi d. 3. Sept. 1773.

ΑΠΟ ΤΗΣ ΕΞΗΓΗΣΕΩΣ ΤΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΤΟΥ ΚΟΡΙΝΘΟΥ

ΕΙΣ ΤΟ ΠΕΡΙ ΜΕΘΟΔΟΥ ΔΕΙΝΟΤΗΤΟΣ του ΕΡΓΟΜΕΝΟΥΣ βιβλιον [1].

Σκοπός ἐστι [2] τῷ Ἑρμογένει διδάξαι ἡμᾶς ἐν τῇ παρούσῃ πραγματείᾳ πῶς τεχνικῶς ἐν λόγῳ μεθοδεύσομεν ἕκαστον, ὧν χρήζομεν, ἤγουν σχημάτων, ἢ ἄλλων χρησίμων εἰς ῥητορείαν. ἡ δὲ μέθοδος αὕτη ἔλλειψις τῆς δεινότητός ἐστιν [3]. ἐν ἐκείνῃ γὰρ τὰς λέξεις καὶ τὰ λοιπὰ ἐδίδαξε. τὴν δὲ μέθοδον παρῆκε. τὸ δὲ δεινὸν τρία σημαίνει, τὸ φοβερὸν καὶ καταπληκτικόν· ὡς τὸ Αἰδοῖός τέ μοι ἐσσὶ φίλε ἠυρὲ δεινός τε. τὸ μέγα καὶ ἰσχυρὸν, ὡς τό· Δεινὸς χαρακτὴρ καὶ πίσημος ἐν βροτοῖς Ἐσθλὸν γενέσθαι. καὶ τὸ ἀκριβὲς καὶ ἐπιτήδειον, ὡς ὁ Θεόκριτος λέγει περὶ τοῦ Σιμωνίδου. Εἰ μὴ δεινὸς ἀοιδὸς Κήιος [5]. δεινότης ἓν ἐνταῦθα λέγεται τὸ εἰς δέον καὶ κατὰ καιρὸν ταῖς τῆς ῥητορικῆς ἰδέαις χρῆσθαι, ἔτι

1. Quibus artibus, exercitiis, modis laudem τῆς δεινότητος consequatur orator, h. e. ingenii et facundiae excellentis, rarae et inimitabilis.

2. Codex mediceus plutei LVII. quintus sic incipit. Ἡ πᾶσα σπουδὴ ἐστι τῷ Ἑρμογένει διδάξαι.

3. Sententia est, Hermogenes hoc libello suppletum it illum defectum, quem in libri secundi de formis capite π. δ. p. 359. editionis Geneuensis a Porto apud Crispinum curatae, quam vbique locorum cito, reliquerat.

5. Theocrit. Idyll. XVI. 44.

γε μὴν καὶ τοῖς τῆ πολιτικῆ λόγῳ μέρεσι. μέθοδος δέ ἐστι διοίκησις καὶ ποιὸς σχηματισμός, κατ' ἐξαίρετον μὲν ἡ [6] περὶ τὴν ἔννοιαν, ἔστι δὲ καὶ περὶ τὰ ἄλλα. τυγχάνει δὲ μέρος τῆς Φρονήσεως ἡ δεινότης: [Πᾶν μέρος λόγ. Hermog. p. 405. 1.] τῆτο δὲ ὡς προθεωρία τίς ἐστιν ἄρχεται δὲ ἀπὸ τῆ πάσης λέξεως. p. 406. 3. [εὕρηται μὲν ἐπὶ μηνύσει πράγματος. p. 405. 1.] πραγμα ἐνταῦθα τὸ καθόλῳ λέγει, τὸ δηλῶν τόπον ἢ χρόνον ἢ πρόσωπον. πρότερον δὲ διδάσκει πρὸς τί χρήσιμα τὰ μέρη τῆ λόγῳ καιρῆ τυχόντα, τετέχνιν ἐπιτηδειότητος, καὶ τί δύναται ἐν αὐτῷ ἦθος προσθήκη. καιρῆ δὲ, εἶπε καλῶς, τυχόντα διὰ τὸ τὰ ὀνόματα τῇ Φύσει ἑκάστε καταλλήλως τεθεῖσθαι. ἢ τὸ καιρῆ ἰδίε τυχὸν· δύναται καὶ ἔτως νοεῖσθαι ἀντὶ τῆ· περιστάσεως δέ τινος μερικῆς παραπεσάσης καὶ χρείας εἰ λεχθῇ τι ὄνομα σημαῖνον τι ἰδιάζον, κατὰ τὸν ὁμηρικὸν Ὀδυσσέα Οὖτιν ἑαυτὸν ἐπιτηδείως καλέσαντα. καὶ γὰρ καιρῆ ἔτυχεν, οἷον· Εἰ μὲν δή ἔτις σε βιάζεται, Φασὶν οἱ Κύκλωπες: [ὁ δὲ καιρὸς κατ' ἦθος προσθήκην γενόμενος. p. 405. 3.] ἦθος προτθήκη γίνεται, ὅταν μὴ ἐΦ' ἧς κεῖται σημασίας ἡ λεξις, ταύτῃ χρησώμεθα, ἀλλ' ἐΦ' ἧς αὐτοὶ διὰ τῆ ἐμΦαινομένε ἦθος παρ' ἡμῶν καὶ τῆς διαθέσεως βαλώμεθα ταύτην παραλαβεῖν. καὶ πρὸς τὸ ἴδιον μεταγαγεῖν βάλημα διὰ τῆς ἐμΦαινομένης ἐμΦάσεως. ὁ γοῦν σχετλιασμὸς καλὰ ἦθος προσθήκην γενόμενος, ἐξαλλάττει τὴν σημασίαν. οἷον· αὐτὸς ὢν, οἶμαι, θαυμάσιος κρατιώτης ὦ Ζεῦ [7]· τὸ γὰρ θαυμάσιος ἐνταῦθα ἐν τῷ σχετλιασμῷ ἀδενὸς λόγε ἄξιον σημαίνει. [ἀλλὰ καὶ διάΦορον· p. 405. 5.] διαΦέρει ἡ ἰδία τῆς διαΦόρε, ὃν τρόπον τὰ μερικὰ διαλάττουσι τῶν διαΦορῶν. τὰ μὲν γὰρ μερικὰ καὶ τὰς ὅρας τῶν, ὧν εἰσι μερικὰ, καθολικῶν δέχον-

6. ἡ redit ad *διοίκησις*.

7. Demoſth. p. 375. 24. ed. Lipſienſis, quam vbique cito.

δέχονται· αἱ δὲ διαφοραὶ τὰς ὅρους τῶν πρὸς ἃ διαφοραὶ τυγχάνουσιν, ἐδαμῶς ἐπιδέχονται. ἐ γὰρ τὸν ὁρισμὸν τῆ λογικῆ τὸ ἄλογον ἐπιδέξαιτο. τῆτον ἓν τὸν τρόπον καὶ ἡ ἰδία διάνοια τῆς διαφόρε διοίσει. ἡ μὲν γὰρ ἰδία μερική τις ἔσα τῆ καθόλε τὸν ὁρισμὸν ἐπιδέξεται. ὡς καὶ ἀπὸ τῆ παραδείγματος δῆλον. ὁ γὰρ κλέπτης πρὸς τὸν καθόλε κακῆργον μερικὸν, διὰ τῆτο καὶ τῆ καθόλε τὸν ὁρισμὸν ἐπιδέξεται. καθόλε γὰρ κακῆργος ἐςὶν ὁ φαύλην τινὰ πρᾶξιν ἐκ προαιρέσεως ἐργαζόμενος· ὅ γε καὶ τῶ κλέπτη πάντως ἐφαρμόσει λεγόμενον· ἡ δὲ διάφορος τὸν ὅρον ἐκ ἂν ἐπιδέξαιτο τῆς πρὸς ἣν λέγεται διαφορᾶς. καὶ ὅρα τῆτο καὶ ἐκ τῆ παραδείγματος. [δημηγορεῖν γάρ, φησι, τὸ ἐν δήμῳ ἀγορεύειν, ἰδίως δὲ, (ἀντὶ τῆ διαφόρως,) τὸ κεχαρισμένα λέγειν καὶ ἀπαίδευτα. p. 405. 9.] ὅρα ἔν πῶς τὸ ἀπαίδευτα λέγειν τῆ δημηγορεῖν τὸν ὅρον ἐκ ἂν ἔξει. εἴγε δημηγορεῖν μέν ἐςι τὸ ἐξάγειν λόγες εἰς πλῆθος διὰ παραίνεσιν· τὸ δ' ἀπαίδευτα λέγειν τὸ γέλωτα κινῆσαι βέλεσθαι. [οὐ μόνον διάφορον ἀλλὰ καὶ διαφόρες.] ἡ διάφορος τῶν διαφόρων κατ' ἀδὲν ἄλλο διαφέρειν λέγεται, ἢ καθὸ ἐκεῖ μὲν μία λέξις λαμβάνεται διάφορος, ἐνταυθοῖ δὲ πολλά. πολλαὶ γάρ εἰσι τῶν λέξεων δύο δηλῆσαι, ἕτερα δὲ πολλά. οἷον Ταρσὸς λέγεται ἡ πόλις. λέγεται δὲ καὶ τὸ πλατὺ τῆ ποδός. καὶ πάλιν τὸ δίκη ὄνομα σημαίνει τὴν κρίσιν. τὴν δικαιοσύνην. τὴν ἕνεκα τῆ ἁμαρτήματος εὐθύνην. καὶ τὴν σωματοειδῆ θεὸν, ὥς φασιν οἱ Ἕλληνες. [καὶ ἐ μόνον διαφόρες, ἀλλὰ καὶ ἐναντίας.] ἐ πάντα τὰ διάφορα καὶ ἐναντία. ἀλλὰ τὰ ἐναντία ὄντα [8] καὶ διάφορα. ἐ μὴν τὸ ἐναντίον ὡς ἐκ τῶν παραδειγμάτων ἐςὶ δῆλον. ἐδὲ μία γὰρ τῶν διαφόρων ἐννοιῶν ἀντίκειται πρὸς τὴν λέξιν. ἐπὶ δὲ τῶν ἐναντίων τῆτο ἐςὶν εὑρεῖν. ἀντίκειται γὰρ τὸ ὀλίγον πρὸς τὸ πολύ· οἷον κακῆργος πᾶς ὁ κακόν τι ἐργαζόμενος. τοιῆτος ἐςὶ καὶ

8. Num πάντα vel πάντως?

παρὰ Ἡσιόδῳ τὸ ἡμερίκοιτος. τῆς γὰρ λέξεως πάντα ὀντιναῦν τὸν ἐν ἡμέρᾳ καθεύδοντα σημαινούσης, καὶ τὸν κλέπτην ὁ ποιητὴς ἐδήλωσεν. εἰπών· Μή ποτέ σ' ἡμερίκοιτος ἀνὴρ. μερικωτέραν διάνοιαν διὰ καθολικῆ ὀνόματος παριῶν· τῇ δὲ κεχαρισμένα λέγειν τὴν σημασίαν, παρ' Εὐριπίδῃ εὑρίσκομεν· Φησὶ γὰρ ἐν Ἑκάβῃ· Ἀχάριτον ὑμεῖς σπέρμα, ὅσοι δημηγόρους Ζηλᾶτε τιμάς. μηδὲ γιγνώσκοισθέ μοι, Οἵ τὰς φίλας βλάπτοντες, ἀγνώσκετε, Ἣν τοῖσι πολλοῖς πρὸς χάριν λεγητέ τι. τὸ δὲ ἰδίως ἐνταῦθα ἀντὶ τῆ διαφόρως παρελήφθη τῷ τεχνικῷ. [διαφόρως δέ. οἷον ἄνθρωπος γένος ὄνομα.] γένος ὁ ἄνθρωπος ὄνομα εἴρηται καταχρησικῶς ἀντὶ τῆ εἴδος. ὥσπερ γὰρ κατηγορέμενον, ὑποκειμένων τινῶν ἐρρήθη γένος εἶδος ἰδικώτατον ὄν. ἢ τοῦτο φησὶν, ὅτι ἡ λέξις ἡ ἄνθρωπος τῆ τῶν ἀνθρώπων γένεσις εἰς δήλωσιν εὑρεθεῖσα, ἔ μὲν ἦθος ἥμερον παριᾷ, ἔ δὲ τύχην, ἔ δὲ πανεργίαν. τέτε τῆ ὀνόματος καὶ παρὰ τῇ θείᾳ γραφῇ τέσσαρα εἰσὶ τὰ σημαινόμενα. ὅταν γὰρ λέγῃ ἐν τῷ Ἰώβ· Μὴ καθαρὸς ἔσιν ἐναντίον κυρίε, ἢ ἀπὸ τῶν ἔργων αὐτῆ ἄμεμπτος ἀνὴρ; καὶ ἐν Ψαλμοῖς. Καὶ ἄνθρωπος ἐν τιμῇ ὢν, ἐ συνῆκε· τὸ τῆ γένες ὄνομα δηλοῖ· ὅταν δέ φησιν· Ἀνθρωπός τις ἦν ἐν χώρᾳ τῇ Αὐσίτιδι, τὸ τῆ ἤθες ἥμερον δηλοῖ. ὅθεν καὶ ἐπάγει· Καὶ ἦν ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος ἀληθινὸς, ἄμεμπτος, δίκαιος. ἐπὰν δὲ λέγει· ἄνθρωπός τις ἦν πλέσιος, καὶ ἐνεδιδύσκετο πορφύραν καὶ βύσσον, τὸ τῆς τύχης περιφανὲς ἐμφαίνει. τὴν δὲ πανεργίαν σημαίνει ὅταν λέγει· Υἱοὶ ἀνθρώπων, ἕως ποτὲ βαρυκάρδιοι; καὶ πάλιν· Υἱοὶ ἀνθρώπων, ὀδόντες αὐτῶν ὅπλα καὶ βέλη: [Καὶ ἦθες ἥμερε:] τὸ ἦθος διπλῶν. τὸ κοινὸν, ὃ καὶ τῇ καθόλε ἀρετῇ πρέπει. καὶ τὸ ἴδιον [9], τὸ προσήκοντας ἑκάστῳ λόγες ἀποδιδόναι. ῥητόρων τὸ ἰδικὸν, φιλοσόφων τὸ καθολικὸν. καθὸ καὶ περὶ τὴν ἠθικὴν ἀρετὴν καταγίνονται. οἱ γὰρ ῥήτορες τοῖς ὑποκειμένοις μόνον προσώποις

9. f. τὸ εἰδικὸν.

ποις οἰκείοις. καὶ πρέποντας λόγους περιάπτουσιν, οἷον στρατηγοῖς, ἢ τοῖς ἰδίως ὀνομασθεῖσιν ἠθικοῖς [10]. [Ἐναντίας δὲ, ὡς τὸ μείνατ' ἐπὶ χρόνον· τὸν πολὺν, τὸν ὀλίγον·] ὁ καλῶς ὁ Ἑρμογένης παρήγαγε παράδειγμα τῶν ἐναντίων τὸ πολὺ καὶ τὸ ὀλίγον. τῶν πρός τι γὰρ τίθησιν εἶναι ταῦτα ὁ Ἀριστοτέλης. κεῖται δὲ ἐν τῇ β̄ τῆς Ἰλιάδος τὸ ῥητόν, ἔνθα φησὶν ὁ Ὀδυσσεὺς πρὸς τοὺς Ἕλληνας, παρακαλῶν αὐτοὺς ἐν τῷ πολέμῳ μένειν· Αἰσχρόν τι δηρόν τε μένειν κενεόν τε νέεσθαι. Τλῆτε φίλοι καὶ μείνατ' ἐπὶ χρόνον. ὄφρα δαῶμεν Εἰ ἐτεὸν Κάλχας μαντεύεται ἢ ὅ. Ὁρᾷς πῶς ἐπὶ μιᾶς λέξεως τὰ ἐναντία [11] δηλώσης τὸν Λοξίαν τρόπον ἐμιμήσατο. ἵνα καὶ τὴν ὀλιγωρίαν ἀνακαλέσῃ [12] καὶ τὴν ὑπομονὴν ἐπαλείψῃ: [καὶ τὸ Αὐτὸς, ὦ Φαίδων, παρεγένου; αὐτὸς, ὦ Ἐχέκρατες] Τοῦτο κεῖται ἐν τῷ Φαίδωνι, ἢ περὶ ψυχῆς. κεῖται δὲ ἐν ἀρχῇ. Αὐτὸς, ὦ Φαίδων, παρεγένου Σωκράτει ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, ἢ ἔπιε τὸ φάρμακον ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ, ἢ ἄλλῃ τινὶ ἥκουσας; Αὐτὸς, ὦ Ἐχέκρατες. τὸ αὐτὸς δύο εἰσὶ τὰ σημαινόμενα ἐνταῦθα, τὸ μὲν γὰρ μακαρίζοντος ἐστὶ, τὸ δὲ σεμνυνομένου· ἐναντίον δὲ μακαρισμῷ τὸ μεγαλοφρονεῖν καὶ σεμνύνεσθαι. τὸ μὲν γὰρ ἀρετῆς, τὸ δὲ κακίας, τὸ μεγαλοφρονεῖν καὶ ἐπαίρεσθαι· τάχα δὲ ἔχει ἐναντιότητά τινα καὶ κατὰ τὰ πρόσωπα, τὸ μὲν γὰρ ἐστὶ δευτέρου, τὸ δὲ πρώτου, ἀντὶ τοῦ ἐγώ. ἢ τὸ μὲν πρῶτον ἐρώτησις ἐστὶ, καθ' ὑπόκρισιν [13]· τὸ δὲ δεύτερον κατὰ ἀπόφασιν· ἐναντίον

10. Sunt fictitiae illae heroum mythicorum personae, in scholis Sophistarum contritae, quae olim sic dictis ἠθοποιίαις resonabant, quarum plena sunt Libanii primus tomus et Leonis Allatii Excerpta Sophistarum.

11. malim τὰ ἐναντιώτατα.

12. num ἀνακαύσῃ.

13. Probe enim norat Echecrates, Phaedonem

δὲ τῷ δισάζειν τὸ ἀποφαίνεσθαι. ἢ καὶ ἔτως· ὁ μὲν ἤρετο ὡς θαυμάζων· τὸ δὲ θαυμάζειν καὶ μακαρίζειν ἀφελείας ἔξιν. ὁ δὲ μέγα φρονῶν ἔφη, αὐτὸς, ὦ Ἐχέκρατες. τὸ δὲ μέγα φρονεῖν σεμνόν ἐστι. καὶ ἔστιν ἡ ἀφελεια ἐναντίον τῇ σεμνότητι, ὡς αὐτὸς ἔφη ὁ Ἑρμογένης. [in calce capitis primi.]

C. II. [Πάσης λέξεως τῆς ἀγνοεμένης ἐν πεζῷ λόγῳ. Herm. p. 406. 3.] μέθοδον ἡμῖν παραδίδωσι τὸ πᾶσαν λέξιν ἀγνοεμένην εὑρίσκειν· ὅταν γὰρ ἐντύχῃς, φησὶ, λέξει τινὶ ἀήθει, ἐξέτασον ἐν ἑαυτῷ ταύτην τίς ἐστιν· καὶ εἰ μὲν νομικὴν εὑρήσεις, ἐρώτησον τὸς νομικὸς, καὶ μάθῃς· εἰ δὲ τεχνικὴν, τὸς περὶ τέχνας. εἰ δὲ ἐθνικὴν, τὸς εἰδότας τὰς γλώσσας, καὶ ἔτως εὑρήσεις: [ὁ παρασάγγης:] μέτρον ἐστὶ παρ' Αἰγυπτίοις μεθ' ἧ μετρῆσι διὰ τὴν τοῦ Νείλε ἐπίκλυσιν τὴν γῆν ἔχον σαδίες τριάκοντα. ὁμοίως δὲ καὶ ὁ σχοῖνος ἑξήκοντα. ὁ δὲ σαδίος ἔχει πόδας χ [id est ἑξακοσίες] τὸ δὲ ὄνομα τὸ παρασάγγης τῶτο εὑρήσεις πολλάκις ἐν τῇ Ἀναβάσει τοῦ Κύρ. ἀποροῦσαι δὲ ἄξιον πῶς εἰπὼν [ἐκ οἶδα τίς ἐστιν ὁ παρασάγγης] λέγει πάλιν, [μέτρον ὁδῶ ἐστὶν οἱ τριάκοντα σάδιοι] ἔστιν ἴν εἰπεῖν ὅτι, τὸ ἐκ οἶδα τίς ἐστὶ, περὶ τοῦ πόθεν ἐτυμολογεῖται εἶπε: [σχοῖνος δὲ Αἰγύπτε:] ἐκ τότε λέγομεν καὶ σχοινοτενῆ κῶλα. τὰ μακρὰ, καὶ ὑπερβαίνοντα τὸ ἡρωϊκὸν· ὡς τὸ Ἔμελλεν ἄρα πολλὰς ἡμῖν ὑποθέσεις καὶ τὰ ἑξῆς. [νομικὸν δὲ ὄνομα τὸ πομπεύειν:] τῶτο λέγει Δημοσθένης ἐν τῷ ὑπὲρ Κτησιφῶντος [p. 268. 25.] καὶ ἔστιν ἐν μεταφορᾷ ἀπὸ τῶν ἐν διονυσιακαῖς πομπαῖς ἐπὶ τῶν ἁμαξῶν διαλοιδορεμένων ἀλλήλες. ἐν Ἀθήναις γὰρ διονυσίων ἀγομένων ἀλλήλοις διαλοιδορεῖσθαι ἔθος ἦν, καὶ τῶτο ἔλεγον πομπεύειν· παρ' ἡμῖν δὲ πομπεύειν ἐστὶ τὸ προέλευσιν ποιεῖσθαι: [καὶ ἡ εἰσαγγελία καὶ ἡ φάσις:] ἡ περὶ καινῆ τινὸς ἀδικήματος εἰσαγωγὴ, δημοσίᾳ ὁμοίως καὶ

adfuiſſe Socrati morienti, ſed ſimulat ignorantiam, quo ſpecioſam colloquio cauſam inueniret.

καὶ ἰδιωτικῆ, εἰσαγγελία ὠνομάζετο. εἰσήγγελλον δὲ τὴν δίκην πρὸς τὴν βουλὴν οἱ πρυτάνεις· εἰ δέ τις τὸν ὑποχύττοντα δημόσιον μέταλλον, ἢ δημόσιον οἶκον ἐξιδιάμενον, ἢ κακῶς ἐπιτετροπευκότα, εἰσῆγεν εἰς δικαστήριον, ὁ τοιοῦτος φάσκειν ἐλέγετο τὸν ἁλόντα. καὶ ἡ δίκη ἐντεῦθεν ὀνομαζομένη, Φάσις παρωνομάζετο. παρὰ μὲν ἓν τοῖς νομικοῖς ἡ Φάσις νομικὴ ἔστι. παρ' ἡμῖν δὲ Φάσις ἡ τῶν δικαζῶν ἀπόφασις. παρὰ δὲ τοῖς Φιλοσόφοις Φάσις καὶ ἡ κατάφασις, καὶ ἡ ἀπόφασις. [καὶ ἄλλα τοιαῦτα ὀνόματα νομικά ἐστι.] τοιαῦτα λέξεις καὶ παρ' ἡμῖν εἰσὶ νομικαί· Φάμενα γράμματα λοιδορίαν περιέχοντα. καὶ Φάκτε ἄγνοια, τουτέστι πράγματος. καὶ πάλιν ἐθνικαὶ λέξεις τὰ σηκρέτα παρὰ Ῥωμαίοις. καὶ ἀσηκρῆτις, ὁ τὰ ἀπόρρητα τῆ βασιλέως εἰδώς: [τεχνικὰ δὲ ἐκεῖνα. ζεύξαντες τὰς παλαιὰς ναῦς.] καὶ τοῦτο ἐν τῷ πρώτῳ τῆ Θουκυδίδε εἴρηται. λέγει δὲ περὶ τῆ πρὸς Κερκυραίους τῶν Κορινθίων πολέμου. καὶ ὅτι ἔπεμψαν οἱ Κερκυραῖοι πρὸς τοὺς Κορινθίους αὐτῶντες διαλλαγάς· πλὴν ἐπ' ἄμφω παρεσκευάζοντο, λόγῳ μὲν πρὸς εἰρήνην, ἔργῳ δὲ πρὸς παράταξιν· τὸ γὰρ ζεύξαντες τὰς παλαιὰς ναῦς ἀντὶ τῆ ζυγώματα[14] κρατύναντες κεῖται. ζυγώματα δὲ καλοῦνται τὰ ξύλα τὰ ἀπὸ τῆ τοίχου τῆς νεὼς πρὸς τὸν ἕτερον διατείνοντα τοῖχον· ἀφ' ἃ[15] τὴν ναῦν σφίγξαι καὶ συναγαγεῖν, ἵνα μὴ χαυνωθῆ. ἢ ζυγώματα τὰ ξύλα τὰ ἐμβαλλόμενα ταῖς σανίσιν. ὥστε συζεῦξαι τὰς σανίδας διηρημένας ἔστιν ὅτε, ὡς ἂν εἰ ἔλεγε· προεθεράπευον οἷς ἔδει τὰς ναῦς. [Καὶ δὶς διὰ τεττάρων μουσικόν·] αἱ μουσικαὶ πᾶσαι συμφωνίαι πέντε εἰσὶν· ἡ διὰ τεσσάρων, ἡ διὰ πέντε, ἡ διὰ πασῶν. ἡ διὰ πασῶν ἅμα καὶ διὰ πέντε. καὶ ἡ τελειοτάτη ἡ δὶς διὰ πασῶν. καὶ ἡ μὲν διὰ τεσσάρων ἔχει τὸν ἐπίτριτον λόγον· ἡ δὲ διὰ πέντε τὸν ἡμιόλιον. ἡ δὲ διὰ πασῶν τὸν διπλάσιον· ἡ δὲ διὰ πασῶν ἅμα καὶ διὰ

14. Fort. ζυγώμασι.
15. in MS. erat ἐφ' αὖ.

πέντε, τὸν τριπλάσιον. τὸν δὲ τετραπλάσιον ἡ δὶς διὰ πασῶν: [Καὶ μοσχεύειν γεωργικόν:] μοσχεύειν τὸ ἀνατρέφειν· μοσχεύονται γὰρ τὰ κλήματα τὰ μέλλοντα φυτευθῆναι, τῶν γεωργῶν παρὰ τὸ ὕδωρ τιθέντων τὰ φυτὰ, ἐπὶ τῷ θᾶττον αὔξεσθαι μοσχεύειν ἓν κλῆμα ἀντὶ τῶ περιθάλπειν, ἢ ἀντὶ τῶ ἐμφυλίζειν καὶ ἐπιτήδεια ποιεῖν τὰ κλήματα. εἰδέναι δὲ δεῖ ὅτι καὶ ὁ Χρυσόστομος φησί πε ἀνακογχυλίσασθαι· καὶ ἔστιν ἰατρικὴ ἡ λέξις, ἀντὶ τῶ ἀναγαργαρίσαι. καὶ ὁ Ἑρμογένης δὲ ἐν τῷ περὶ κάλλους ἔφησεν ἐκ συμφθάρσεως. [p. 298. 9.] λέξις δέ ἐστιν ἰατρική.

C. III. Hermog. p. 406. Ἀκυρία λέξεως ἐστὶν ὅταν μὴ ἐφ' ἧς κεῖται σημασίας κυρίως ἡ λέξις, ταύτην θήσομεν; ἀλλ' ἐφ' ἑτέρας. οἷον· ἐρωτῶσε, ἔχε με παρηντημένον. ἐρωτᾶν μὲν γάρ ἐστι τὸ ζητεῖν καὶ ἐρευνᾶν· ἐνταῦθα δὲ ἀντὶ τῶ παρακαλεῖν εἴληπται. πάλιν εἴ τις εἴπῃ πρὸς τὸν παρόντα, ποθῶσε, ἀκυρολογίαν εἶπεν. ὤφειλε γὰρ εἰπεῖν ἐρῶ σε. ἔρως μὲν γάρ ἐστι τῶν παρόντων, πόθος δὲ τῶν ἀπόντων. ὡς καὶ Ὅμηρος· Ὡς σέο νῦν ἔραμαι, καί με γλυκὺς ἵμερος αἱρεῖ. ἐπὶ δὲ τῶ ἀπόντος. Ἀλλά με σός τε πόθος τά τε μήδεα Φαίδιμ' Ὀδυσσεῦ, Σή τ' ἀγανοφροσύνη μελιηδέα θυμὸν ἀπήυρα. παραφθορὰ δὲ λέγεται παρὰ τὸ παραφθείρεσθαι τὴν λέξιν· οἷον αἱμοδιᾶν λέγεται τὸ ἀλγεῖν τὲς ὀδόντας. ὃ λέγεται ἔτως παρὰ τὸ αἷμα ἐμφαίνεσθαι περὶ τὲς ὀδόντας. ἀντὶ γὰν τῶ εἰπεῖν αἱμοδιᾶν ἐάν τις εἴπῃ ἀμοδιᾶν, παρέφθειρε τὴν λέξιν. διάζωμα δέ ἐστιν ὃ περὶ τὰ αἰδοῖα ἐφόρεν οἱ ἀγωνιζόμενοι. τῶτο ἐάν τις εἴπῃ διαζώσραν, παραφθορὰν ἐποίησε. τοιαῦταί εἰσιν αἱ ἰδιωτικαὶ λέξεις. οἷον εἰς τὸν Γαῖνα εἰς τὴν Ἀετῶς. εἰς τὴν Ἄσπαρον· ὀφείλει γὰρ λέγεσθαι εἰς τὰ Γαϊνᾶ, καὶ εἰς τὴν Ἀετίᾳ, καὶ εἰς τὴν Ἄσπαρος. ἰδιωτικὸν καὶ τό· ἐν ἐκείνη τῇ νυκτὶ ἐπίασαν ἐδέν. ἀντὶ γὰρ τῶ ἐπίεσαν κεῖται, τετέσιν ἐζώγρησαν, ἐδάμασαν· μέμνηται δὲ τῶ διαζώματος ἐν τῇ πρώτῃ τῶν συγ-

συγγραφῶν ὁ Θεκυδίδης. Ὅμηρος δὲ ζώμα ὀνομάζει ἐν τῇ ψ ῥαψῳδίᾳ[16] λέγων· ζῶμα δέ οἱ πρῶτον παρακάββαλεν:

C. IV. p. 407. Περὶ ταυτότητος ὀνομάτων. Ὡς δὲ χιὼν κατατήκετ' ἐν ἀκροπόλοισιν ὄρεσιν. αὕτη ἡ παραβολὴ κεῖται ἐν τῷ τ τῆς Ὀδυσσείας, διηγουμένου ψευδῶς τὰ Ὀδυσσέως τὰ ἑαυτοῦ πάθη. ἔστι δὲ ἡ ἔννοια αὐτῆς τοιαύτη· ὅτι ὥσπερ τὴν ἐπιφάνειαν τῆς χιόνος διαλύει ὁ Εὖρος, ἢν ὁ Ζέφυρος συμπιλοῖ, ἵνα καὶ τὴν ἐπιφάνειαν τοῦ προσώπου τῆς Πηνελόπης, ἡ θλῖψις τῆς ψυχῆς κατέτηξε. τὸ δὲ ἐν ἀκροπόλοισι διὰ τὸ ἐν ἄκρῳ πέλειν εἴληπται, τετέσιν ἐν ἐξοχῇ· Ὡς δ' ὅταν ὠδίνουσαν ἔχῃ βέλος ὀξὺ γυναῖκα. ταῦτα ἐν τῷ λ κεῖται τῆς Ἰλιάδος, ὅτε ὁ Ἀγαμέμνων ἐτρώθη. εἰκάσαι δὲ πρὸς τὰς νυγμὰς τῆς ἀλγηδόνος ταῦτα. πάντα δὲ ὀδυνηρὰ ἔλαβε τὰ ὀνόματα, τὸ ὀξύ, τὸ δριμύ, τὸ πικρόν, ἐπιτείνων τὸν πόνον· Εἰλειθυίας δὲ λέγονται παρὰ Δωριεῦσιν αἱ ὠδῖνες. ὅθεν καὶ ἀνειλήθυια ἡ ἄγονος γυνή. μογοστόκοι δὲ, διὰ τὸ ἐπὶ τῶν μόγις τικτουσῶν τάττεσθαι. ἀμφίβολον δὲ τὸ ἔχουσιν. ἢ γὰρ κέκτηνται ὀδύνας, ἢ ἐπέχουσι καὶ εἴργουσιν· ἄμεινον δὲ τὸ πρῶτον· διὰ δὲ τοῦ δῦνον, τὸ σφοδρὸν τῆς πληγῆς, καὶ τὴν εἰς βάθος χωρήσασαν ἀλγηδόνα ἐσήμανεν. ἄξιον δὲ ζητῆσαι πῶς ἡ Ἥρα, ἤγουν ὁ ἀὴρ, πικρὰς ὠδῖνας ἐμποιεῖ ταῖς τικτούσαις. φασὶν ὃν ἀπαρτιζόμενον διὰ τῶν δέκα μηνῶν τὸ κυοφορούμενον ἕλκεσθαι πρὸς ἀναπνοὴν τοῦ ἀέρος, καὶ ἀποσπώμενον τῆς μήτρας ἐμποιεῖν τὰς ὀδύνας. ἰστέον δὲ ὅτι τὸ μὲν δριμὺ καὶ τὸ πικρὸν ἐπὶ τῶν ποιοτήτων λέγομεν. ὥσπερ δριμὺ τὸ ὄξος καὶ τὸ σίνηπι, καὶ πικρὸν τὸ ἀψίνθιον· τὸ δὲ ὀξὺ ἐπὶ τῶν βελῶν. [καὶ ὁ Θεκυδίδης ἐν τῷ προοιμίῳ τεκμήριον, σημεῖον.] διαφέρει τεκμήριον σημείου, τῷ τὸ μὲν τῶν ἐνδεχομένων εἶναι καὶ τῶν θέσει θεωρεμένων. τὸ δὲ τεκμήριον

16. in MS. erat ἐν τῇ τῆ ψ ῥαψωδίᾳ. num voluit ἐν τῇ τῆς Ὀδυσσείας ψ. ξ.

κμήριον τῶν φύσει παρεπομένων. ὥσπερ εἰ λέγοιμεν τεκμήριον μὲν τῆ τετοκέναι τὴν γυναῖκα, τὸ γάλα, καὶ τῆ πυρὸς τὸν καπνόν, σημεῖον δὲ τῆς μάχης τὰς ἐπὶ τοῖς δόρασι σημαίας. διαφέρουσι δὲ κἂν τούτῳ· ὅτι τεκμήριον[17] μὲν τῆ πράγματος ἓν ἢ καὶ δύο πολλάκις, καὶ αὐτὰ κατὰ φύσιν· σημεῖα δὲ τῆ αὐτῆ πολλά. [Ἐκ δὲ τεκμηρίων.] τοῦτο ἐν ἀρχῇ τῆς πρώτης τῆ Θουκυδίδου συγγραφῆς κεῖται. λέγων γὰρ περὶ τῆ Πελοποννησιακῆ πολέμῳ, ὡς μέγας ἐγένετο ὑπὲρ τοὺς πρὸ αὐτοῦ, ὅτων διέξεισι. τὰ γὰρ πρὸ αὐτῶν καὶ τὰ ἔτι παλαιότερα, σαφῶς εὑρεῖν μὲν διὰ χρόνου πλῆθος ἀδύνατον ἦν· ἐκ δὲ τεκμηρίων, ὧν ἐπὶ μακρότατον σκοπῶντί μοι ξυμβαίνει, ἃ μεγάλα νομίζω γενέσθαι, ἔτε κατὰ τοὺς πολέμους, ἔτε εἰς τἆλλα. τὰ μὲν οὖν πρὸ αὐτῶν εἶπων, τὰ μηδικὰ ἐδήλωσε. διὰ δὲ τῶν ἔτι παλαιοτέρων τὰ τρωικά. ὃ δὲ λέγει, τοιοῦτον ἐστίν, ὡς ἐκ μὲν ἰσαρίας ἀδύνατον ἐστὶν ἀποδεῖξαι πῶς ἐκ εἰσίν, ἔτε τὰ μηδικὰ, ἔτε τὰ τρωικά. μεγάλα, ἔτε κατὰ τοὺς πολέμους, ἔτε εἰς τἆλλα, τετέσι, τοὺς ἐκλείψεις, τοὺς σεισμούς· ἐκ δὲ τεκμηρίων ἐοίκασιν ἃ τοιαῦτα εἶναι· [καὶ παράδειγμα τόδε τῆ λόγῳ.] εἰδέναι δεῖ ὡς ἀδιαφόρως τοῦτο ὁ τεχνικὸς ἔθηκε τέταρτον· πρὸ γὰρ τῷ συγγραφεῖ δεύτερον κεῖται μετὰ τὸ τεκμήριον· διεξιὼν γὰρ ὡς ἐκ ἐν βεβαίῳ ὤκουν τοὺς χώρους οἱ Ἕλληνες, ἀλλ' ἀεὶ συνεχεῖς μεταβολὰς ἐποιοῦντο. πόθεν; ὅτι ὅτε μεγέθει πόλεων ἴσχυον θαῤῥεῖν, ὅτε τῇ ἄλλῃ παρασκευῇ· μάλιστα δὲ τοῦτο ἐποίει ἡ τῆς γῆς ἀρετὴ· διὰ γὰρ τὴν ἀρίστην γῆν ἐξωθοῦντο ὑπὸ τῶν δυνατωτέρων. ταῦτα δὴ διεξελθὼν ἐπήγαγε τάδε. τὴν γὰρ Ἀττικὴν διὰ τὸ λεπτόγεων ὅσαν ἀστασίαστον ἄνθρωποι ὤκουν οἱ αὐτοὶ ἀεί. καὶ παράδειγμα τόδε τῆ λόγῳ ἐκ ἐλάχιστον ἔστι, τὸ διὰ τὰς μετοικίας εἰς τἆλλα μὴ ὁμοίως αὐξηθῆναι. ἔστι δὲ ἡ ἔννοια τῆ ῥητῆ τοιαύτη· πόθεν δῆλον, ὅτι

17. in MS. erat τεκμηρίω.

ὅτι μετοικίας ἐποιοῦντο ἀεὶ καὶ πυκνὰς μεταναστάσεις; ἐκ τῆ μὴ ὁμοίως τῇ ἀττικῇ αὐξηθῆναι τῷ πλήθει τῶν ἀνδρῶν τὰς οἰκήτορας τῆς ἄλλης Ἑλλάδος, διὰ τὰς ἀρίστας τῶν γαιῶν ἀπανισαμένας [18]. ἡ γὰρ ἀττικὴ διὰ τοῦτο ἔμεινεν ἀστασίαστος, διὰ τὸ λεπτόγεως εἶναι· ἔνιοι δὲ τὸ παράδειγμα ἐκ ἐξελάβοντο ἐπὶ τῆς μεταβολῆς καὶ ἀπαναστάσεως, ἀλλ' ἐπὶ τῆ τὴν ἀττικὴν ἀστασίαστον μεῖναι διὰ τὸ λεπτόγεων εἶναι· ἐξηγοῦνται δ' ἐν τοῦτο ἔτως. σημαίνει τῷ τὴν ἀττικὴν τὰς αὐτὰς οἰκεῖν, τὸ κατὰ μὲν τὰ ἄλλα πράγματα μὴ αὐξηθῆναι, οἷον πλῆτον καὶ ὅπλα, ἐπειδὴ ἐκ ἀπανίσαντο· κατὰ δὲ τὸ πλῆθος τῶν ἀνδρῶν καὶ μάλιστα μεγάλην γενέσθαι· σημεῖον δ' ἐστὶ ταῦτα τῆς Ἑλλάδος, εἰπὼν, ὡς ἐσιδηροφόρει πᾶσα ἡ Ἑλλὰς διὰ τὰς ἀφράκτες οἰκήσεις καὶ ἐκ ἀσφαλεῖς, ἐπάγει πόθεν δῆλον, ὅτι ἐσιδηροφόρει πᾶσα ἡ Ἑλλας; ὅτι καὶ μέχρι τῦ νῦν, φησὶ, πολλοὶ τῶν Ἑλλήνων νέμονται, τετέσιν ἔτω κατοικῦσιν, ἔτω διάγεσι σιδηροφορῦντες. [μαρτύριον δὲ. Δήλε γὰρ καθαιρομένης.] τῦτο λέγει ὁ Θουκυδίδης περὶ τῦ λῃζεύειν καὶ βλάπτειν ἀλλήλες τὲς Ἕλληνας. φησὶ γὰρ, ὅτι λῃσαὶ ἦσαν οἱ νησιῶται, Κάρες τε ὄντες, καὶ Φοίνικες. ἔτοι γὰρ δὴ τὰς πλείστας τῶν νήσων ᾤκησαν. μαρτύριον δὲ. Δήλε γὰρ καθαιρομένης ὑπ' Ἀθηναίων ἐν τῷδε τῷ πολέμῳ, καὶ τῶν θηκῶν ἀναιρεθεισῶν, ὅσαι ἦσαν τῶν τεθνεώτων ἐν τῇ νήσῳ, ὑπερήμισυ Κάρες ἐφάνησαν, γνωσθέντες τῇ τε σκευῇ τῶν ὅπλων συντεθαμμένων, καὶ τῷ τρόπῳ, ᾧ νῦν ἔτι θάπτεσι.

C. V. Περὶ περιττότητος [p. 408.] Μέθοδον ἡμῖν δίδωσι πότε δεῖ χρῆσθαι τῇ περιττότητι, καὶ τὴν προσοῦσαν αὐτῇ διαβολὴν ἐκφεύγειν. διαιρεῖ δὲ ταύτην εἰς δύο, εἰς λέξιν, καὶ εἰς γνώμην, τετέσιν ἔννοιαν. καὶ τὴν μὲν λέξιν αὖθις εἰς διατριβὴν, καὶ πλῆθος, τὴν δὲ γνώμην εἰς καθολικὰς λόγες καὶ ἐπενθυμήσεις. ὁ δὲ καιρὸς

18. MS. ἀπανισαμένας.

καιρὸς τῆς χρήσεως τάτων ἔτος. ὅτε μὲν βέλτιο ἐνδείξασθαι ἦθος ἐνδιάθετον, τότε δεῖ παραλαμβάνειν τὴν διατριβὴν καὶ τὸ πλῆθος. ὅτε δὲ τὰ σκληρὰ καὶ αὐθάδη νοήματα λεαίνειν, τότε χρεία τῶν ἐπενθυμήσεων. ὅτε δὲ τὰς ἰδίας λόγους πιστώσασθαι, τότε παραλαμβανέσθωσάν σοι οἱ καθολικοὶ λόγοι. ἰστέον δὲ ὡς ἡ κατὰ λέξιν περιττότης κατὰ τὸν Ἑρμογένην μέθοδος ἐστὶ τῆς περιβολῆς. ὡς αὐτὸς ἐν τῷ περὶ ταύτης λόγῳ φησί. [p. 271. lq.] ἔκειν περιβλητικὸν τὸ τί ἐρῶμεν; ἀδὲ τὸ τί φήσομεν; ἀδὲ τῶν ἄλλων τῶν εἰρημένων αὐτὸ καθ' αὐτὸ ἀδέν. ἀλλ' ἡ ἐκ παραλλήλων θέσις αὐτῶν πεποίηκεν ἴσως τινα ἔμφασιν περιβολῆς. τᾶτο δὲ ἐχὶ λέξεως δήπαθεν, ἀλλ' ἴσως μεθόδε: [διατριβῇ καὶ πλήθει] τετέχνιν ἐπιμονῇ καὶ ἐγχρονισμῷ καὶ συναγωγῇ· ἡ δὲ κατ' ἔννοιαν περιττότης γίνεται ἀπὸ ἐπενθυμήσεων καὶ συμπλοκῆς λόγων καθολικῶν [τῆς] μετὰ τῶν μερικῶν καὶ προκειμένων λόγων. καὶ ἔστι μὲν περιττότης ἐπενθυμήσεων, ὅταν ἐπὶ τῷ ἐνθυμήματι δύο ἢ καὶ τρία ἕτερα ἐνθυμήματα παραληψόμεθα. οἷον ὁ Δημοσθένης ἐν Φιλιππικοῖς κατασκευάζων, ὅτι δυνησόμεθα περιγενέσθαι τῷ Φιλίππῳ, ἀπὸ τῶν χρόνων ποιεῖται τὴν πᾶσαν πίστιν. ἐπεὶ γὰρ αὔθαδες ἦν καὶ σκληρὸν τὸ λέγειν, ὅτι νικήσομεν τὸν Φίλιππον, εἰς ἀπόδειξιν τάτε ἐπάγει, ὅτι νῦν οἱ Ὀλύνθιοι φίλοι τυγχάνεσιν ἡμῶν· εἶτα ἐπὶ τάτῳ ἕτερον ἐνθύμημα. ἀλλὰ μὴν καὶ Θετταλοὶ ἀπεγνώκασιν αὐτῷ διδόναι χρήματα. τᾶτο δὲ καλεῖται ἐπενθύμημα. καὶ πάλιν ἄλλο· καὶ Κερκυραῖοι διδόασιν ἡμῖν συμμαχίαν· εἰδέναι δὲ χρὴ ὅτι ἐπενθυμήτεις λέγει ἐνταῦθα, ἃ τὰ κυρίως ἐνθυμήματα καὶ ἐπενθυμήματα, ἃ συγκριτικῶς προφέρονται, καὶ ἐπὶ ταῖς ἐργασίαις τίθενται, ἀλλὰ τὰς ἁπλῶς ἐννοίας τὰς κατασκευαστικὰς τινῶν καὶ ἀποδεικτικάς. καθολικοὶ δὲ λόγοι λέγονται οἱ γνωμικοὶ, οἱ καὶ εἰς πίστιν παραλαμβάνονται τῶν ἰδίων λόγων, τετέσι τῶν ἐπὶ μέρες· ὥσπερ ὁ Δημοσθένης, θρασὺν ὀνομάζων καὶ ἀπαί-

